


Woodstock

[illegible]

LOGICAE GENERALIS

INSTITUTIONES

QUAS

IN WOODSTOCKIENSI COLLEGIO SS. CORDIS

AD SCHOLASTICOS SOCIETATIS JESU

TRADEBAT

B. A. SCHIFFINI EJUSD. SOC.

ANNO 1873.

EX TYPIS COLLEGII.

DIVO · THOMAE · AQVINATI

DOCTORI · ANGELICO

VERACIS · SAPIENTIAE · RESTAVRATORI · MAGISTRO

SEXTVM · IAM · SAECVLVM

HVMANAE · DIVINAE · QVE · SCIENTIAE · FVLGORE

DOCTISSIMAS · QVASQVE · MENTES

IRRADIANTI

ET · EGREGIIS · SCRIPTIS

AETERNVM · INTER · HOMINES · VICTVRO

HOC · QVICQVID · EST · OPERIS

TANTI · DOCTORIS

AVSPICIO · SVSCEPTVM · TVTELA · PROVECTVM

B · A · S · SOC · IESV

IN · AMORIS

ET · GRATI · ANIMI · PIGNVS

D · D · D ·

A · R · S · MDCCCLXXIV

OPERIS RATIO.

Quum mihi sub hujus anni initium demandatum fuit munus, ut ea, quae in alumnorum meorum, qui in primo philosophiae stadio versantur, emolumentum cessura putarem, quaeque ab auctoribus, quos prae manibus haberent, conquiri haud facile possent, typis consignarem, id mihi consilii objectum est, ut Logicae institutiones, quae χρόνικῶς primum exigi solent, primum etiam ita pertractarem, ut quae potiora viderentur compendio traderem excussa, eademmet fusius viva voce explicaturus. At vix manum operi admovi, satis perspexi quod dudum plurium annorum magisterio non semel licuit conjicere, nimirum ex brevi rerum sive in se sive relate ad discipulorum captum difficilium compendio parum commodi discipulorum mentes percepturas esse, nec me Superiorum voluntati, ut par esset, morem gesturum. Neminem enim inficiatum iri arbitror quaestiones passim in Logica occurrere, quae si ut hujusmodi considerentur et Logicorum more pertractentur, faciles quidem putandae sunt, propter intimam tamen, quam cum subtilioribus Metaphysicae quaestionibus habent, affinita-

tem, non levem identidem difficultatem creare solent: quamobrem nisi apte distinguantur, et suo quaeque loco ponatur, et prout cujusque fert gravitas, utilitas atque necessitas evolvatur, facile contingere poterit, ut claritatis et distinctionis loco confusio atque obscuritas obrepat, ut addiscentium animi per totum anni decursum incerti fluctuantesque distineantur. Accedit et illud, quod haud assuetae ad abstractarum rerum considerationem nonnisi pedetentim et gradatim assurgant juvenum mentes, quos ideo, quam viva voce Magister ipsis tradit explicatio, nisi aliud addatur, non admodum, ut opinor, juvabit. Vix enim, aut ne vix quidem illam percipient inexperti, vel certe ad longum tempus memoriter retinere non valebunt: quo fit, ut iis, quae explanata jam fuerant, in posterum et in Metaphysica potissimum denuo recurrentibus, vel explicatio iteranda sit, vel ea, quorum intelligentia aut memoria non amplius perdurat, supponenda coeco fere modo erunt, quorum neutrum sine temporis jactura vel discipulorum incommodo fieri potest. Compendiosa autem rerum multarum difficiliumve pertractatio, sive scripto tradita sive praelo commissa, etsi plurimum valeat quum longior et uberior praecesserit, sola tamen vel nullas prorsus vires adjiciet, vel si aliquas, certe non eas, quibus transacto rerum Logicarum curriculo, Metaphysicarumque inita palaestra, intra istarum ambitum facili penna juvenum mentes excurrere ac prope dixerim pervolare valeant.

Haec itaque atque alia, quae memorare non est necesse

nec juvat, animo reputans, quum in libris, quos hac super re Aristoteles ejusque Commentatores ac D. Thomas praecipue tam docte ac egregie exararunt, plurima invenissem, quaeque optima et ad juvenum mentes solida doctrina imbuendas atque informandas apprime necessaria et utilia viderentur, operae pretium duxi fore ut quae apud probatissimos hosce auctores hac illac sparsa reperiebantur, in unum veluti corpus, majore quo poteram delectu colligerem, iis adjectis, quae tempora ipsa et nova docendi ac discendi ratio postulant, eaque omnia certo ordine disponerem, facilique et ad incipientium captum accomodata methodo proponerem. Quocirca, mutato consilio aliorumque, quorum auctoritas apud me plurimi est, suffragio expetito, in id unice animum intendi, ut integrum, et quoad ejus fieri posset, completum Logicae universae cursum exararem consignaremque praelo. Inceptum opus anni hujus initio, ad finem usque per aliquot continentes menses et quantum scholasticae, quibus distinebar, occupationes permiserunt, Deo O. M. adjuvante et vires addente, perduxi. Longius, quam par esset, fortasse quibusdam videbitur, at certe non his, qui opus non tam libri mole, quam rerum tractandarum copia et magnitudine dimetiantur. Harum vero quinam ordo, quaenam sit dispositio, quaenam sive necessitas sive utilitas, Index, quem ad calcem appositum quivis inveniet, facile edocebit.

Hoc unum tantum superest, ut ad vos, Fratres Charissimi, in quorum gratiam hoc munus suscepi, sermonem meum

convertam, vosque obtester, ut hoc opere, qualecumque demum illud sit, eadem, quam toto hujus anni decursu semper et constanter adhibuistis, diligentia et solertia, per subsequentes philosophici ac theologici curriculi annos, utamini. Equidem ingenue fatear in eo elaborando non exiguus mihi labor subeundus fuit; illum tamen, utpote in vestrum commodum nonnihil cessurum intelligebam, libenti atque constanti animo suscepi. Quamobrem istud, tamquam amoris, quo vos omnes complector, pignus accipite, et si quid emolumenti inde percipietis, id unice in Dei gloriam vestrique ac proximorum utilitatem referatis.

LOGICÆ

DEFINITIO, OBJECTUM, PARTITIO.

"Omnis, quae ratione suscipitur, de aliqua re institutio debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur." Ait Tullius Lib. 1. de Officiis. Quamobrem operae pretium erit ante omnia Logicae definitionem tradere. Deinde ipsius Objectum determinabimus, ac demum ipsius partitionem tradenus.

DICO I.—*Logica est scientia, qua actus rationis ad verum ordinate, sine errore ac facile assequendum diriguntur.*

Ex S. Thoma 1. Post. Analy. lec. 1.

1. Intellige sensum verborum. I. Logica dicitur *Scientia.* Est enim proprium Logicae ordinem considerare, quem actus mentis humanae habent sive ad invicem, sive relate ad ratiocinationem, hujus intrinseca constitutiva investigare, ex iisque leges ac normas deducere, quibus ratiocinatio ipsa regulanda sit, ut in veri cognitionem mens tuto procedat. Haec autem omnia notitiam claram et distinctam relationum, id est cognitionem scientificam important. Cf. in Auctore n. 1. textum S. Th. in 1. Ethicorum lect. 4.

Dicitur II.—*Actus rationis.* Hi actus sunt tres ad invicem coordinati, ut mox dicam. Ad hos autem dirigendos ordinandosque reflexio mentis est necessaria, quae quidem reflexio *propria* est humanae mentis, quae, utpote spiritualis, id est in exercitio suae activitatis non affixa vel indigens organo corporali, non modo in actus facultatum *compositi,* sed etiam in *proprios* redire potest et consequenter ordinare.

Dicitur III.—Ut verum *sine errore ac facile*—quibus verbis scopus, ad quem Logica tendere debet, indicatur. Hic autem scopus

eo facilius ac tutius obtinetur, quo penitior et plenior notitia habetur legum, secundum quas actus rationis sunt exercendi.

2. Declaratur assertio verbis S. Thomae.—"Ratio non solum dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam actus sui est directiva. Hoc enim est proprium intellectivae partis, ut in seipsa reflectatur. Nam intellectus intelligit seipsum et similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Sicut igitur ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinventa est ars aedificatoria, vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinate hujusmodi actus exercere potest; eadem ratione ars quaedam necessaria est, quae sit directiva ipsius actus rationis; per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate, faciliter et sine errore procedat. Et haec est Ars logica, id est rationalis Scientia." l. c. Cf. Auct. n. IV.

Ex dictis colliges

3. Primo. Logicam esse non modo utilem sed et necessariam, tum *a*) ad operationes mentis humanae ordinandas: tum *b*) ad alias scientias, uti oportet, addiscendas: tum *c*) ad refellendos ac vitandos errores: tum *d*) ad ipsam vitam recte instituendam. Cf. Auct. loc. cit

4. Secundo. Merito nuncupari *Organum*, *Mentis medicinam* ac *magistram*, *Clavem Scientiarum*. *Artem artium*. *Scientiam Scientiarum* quatenus sc. ipsa est Scientia instrumenti, quo mens utitur in scientiis ceteris addiscendis.

5. Tertio. Logicam artificialem, de qua hic est sermo, distingui a logica naturali, quemadmodum perfectum distinguitur ab imperfecto, *in eodem genere.* Est enim Logica naturalis: "dispositio quaedam, quam homo habet a natura, ad bene utendum actibus rationis, nullo magisterio, nullaque doctrina." Logica vero artificialis: "reflexa quaedam notitia est et distinctior et magis evoluta mediorum ad verum capessendum idoneorum, quam studio et meditatione consequimur" seu aliis verbis "ipsa illa naturalis dispositio studio ac reflexione ad perfectionem adducta." Prior communis est homini, qua homo est: non item posterior, utpote quae studium ac reflexionem exquirit. Cf. Auctorem n. III.

DICO II. *Objectum Logicae est Ratiocinium regulandum.*

Pro intelligentia assertionis

6. Adnoto primo. Aliud est objectum *materiale*, aliud objectum *formale* alicujus vel facultatis, vel artis, vel scientiae. Objectum materiale dicitur res illa (sive haec sit materialis sive immaterialis) circa quam facultas, vel ars, vel scientia aliqua versatur: Objectum vero formale est id, quod in tali re facultas, vel ars, vel scientia attingit, seu est ratio illa vel proprietas illa, sub qua facultas, ars, scientia rem illam attingit. Sic. v. g. Corpus est objectum materiale visus, medicinae et matheseos: objectum autem formale visus est color, medicinae sanitas, matheseos quantitas. Ex utroque unum conflatur *totale* objectum, quod quandoque *Subjectum* scientiae denominatur, eo quod hujus disputationibus vel inquisitionibus subjiciatur. Hinc intelliges *idem* posse esse objectum materiale diversarum facultatum, artium vel scientiarum; itemque *multiplex* posse esse objectum materiale ejusdem scientiae, vel ejusdem artis, vel ejusdem facultatis. Intelliges etiam diversitatem et distinctionem facultatum, artium vel scientiarum, ex distinctione ac diversitate objectorum formalium esse desumendam.

7. Adnoto secundo cum S. Thoma tres esse humanae mentis operationes, nec plures paucioresve, easque ad invicem colligari ac subordinari. "Oportet, inquit Angelicus Doctor, Logicae partes accipere secundum diversitatem actuum rationis. Sunt autem rationis tres actus; quorum primi duo sunt rationis, secundum quod est intellectus quidam. Una enim actio intellectus est intelligentia indivisibilium sive incomplexorum (dicitur etiam apprehensio), secundum quam concipit quid est res .... Secunda vero operatio intellectus est compositio vel divisio intellectus (dicitur etiam Judicium), in qua est jam verum vel falsum .... Tertius vero actus rationis, est secundum id, quod est proprium rationis, scilicet discurrere ab uno in aliud: ut per id quod est notum deveniat in cognitionem ignoti." loc. cit.

"Harum vero operationum" prosequitur S. Doctor, "prima ordinatur ad secundam; quia non potest esse compositio et divisio nisi simplicium apprehensorum (sic. v. g. non potest mens affirmare '*hominem esse animal*' nisi prius intellexerit quid sit *homo*, quid sit *animal*). Secunda vero ordinatur ad tertiam; quia videlicet oportet, quod ex aliquo vero cognito, cui intellectus assentiat

procedatur ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis" (sic. v. g. postquam mens judicaverit *hominem esse animal*, et aliunde cognoverit *omne animal esse sensibile;* hoc judicium pronunciat *hominem esse sensibilem*). Hinc vides apprehensiones contineri judicio, judicia autem ratiocinio: quippe impossibile est conjungere vel segregare ea, quae non sint antea simpliciter apprehensa; neque ad ignotum mens progredi potest nisi per id, quod jam notum supponitur. Vides etiam,

Nonnisi his tribus operationibus omnem cognitionem humanae mentis contineri. Nam omnis cognitio aut affirmationem negationemve continet: aut neutram continet. Si neutram continet, habebitur simplex apprehensio. Si vero alterutram continet: tunc vel ista affirmatio vel negatio sequitur immediate perceptionem rei, vel derivatur ex anteriori affirmatione aut negatione, cum qua connectitur: in priori casu Judicium, in posteriori Ratiocinatio habebitur.

8. His constabilitis, patet assertio. Etenim objectum Logicae est operationes mentis ordinare (n. 1). Jamvero idem est operationes mentis ordinare, ac Ratiocinium regulare (n. 7). Quamobrem Objectum Logicae est Ratiocinium regulandum, atque ideo merito *Logica* a λογος, vel *Dialectica* a διαλεγομαι, dissero, discurro nuncupatur.

Dico. III. *Logica jure merito partitur in tres partes, quarum prima de Apprehensione, secunda de Judicio, tertia de Ratiocinatione agit.*

9. Patet ex dictis. Nam omnes scientiae dividi ac ordinari debent, secundum quod dividitur et ordinatur ipsarum Objectum. Jamvero Objectum Logicae est Ratiocinium: hujus autem elementa sunt notiones et judicia. Ergo.

PRIMA PARS.

DE PRIMA MENTIS OPERATIONE.

10. Apprehensio est: "actus, quo mens alicujus objecti notitiam habet, nihil de eo affirmando vel negando." Haec autem objecti notitia continetur ipsius (objecti) expressione, reproductione et quadam quasi similitudine, quae in mente progignitur, quaeque *conceptus, intellectio, notio, verbum mentis, species expressa, forma intellecta, idea* (improprie tamen) indiscriminatim nuncupatur.

Per hunc intellectualis apprehensionis actum res quodammodo transfertur in mentem in eaque *idealiter* existere incipit: atque inde factum est, ut quum mens similitudine objecti *informatur,* objectum *apprehendere, capere, percipere, tenere* dicatur. Haec autem objecti similitudo intellectualis non est ulla ratione confundenda cum repraesentatione sensitiva aut cum phantasmatibus, quae imaginatio substernit operationi humani intellectus. Ratio est: tum quia repraesentatio intellectualis, sensitiva, vel phantastica differunt objecto, *formali* saltem: tum quia prior est *propria* intelligentis, sensationes autem et phantasmata sunt homini *communia* cum brutis animantibus.

11. Id, quod perceptivus actus in mente reproducit et quod per conceptum repraesentatur, Conceptus *objectum* vel etiam *conceptus objectivus* nuncupatur. Est tamen considerandum aliud esse objectum *materiale* conceptus, aliud esse objectum *formale* seu *proprium* ejusdem. Prius est res ipsa, quam perceptio attingit, ut illa *est in se,* id est cum notis proprietatibusque omnibus, quascumque habet: posterius vero est eadem res, secundum quod habet illas notas, quibus hic et nunc a mente exprimitur. (n. 6.)

Duo in hac tractatione praestanda sunt, quorum primum est varios conceptus respectus ac varias ipsius denominationes breviter declarare et quemadmodum exterius exprimatur exponere, diversasque terminorum partitiones tradere: secundum est, hanc primam mentis operationem ad subsequentem dirigere ac ordinare; quod praestabimus agendo de Universalibus, de terminorum proprietatibus, de Divisione et Definitione,

Quamobrem sex erunt quaestiones.	Prima.	De Conceptu seu termino mentali.
	Secunda.	De Vocabulis seu terminis oralibus.
	Tertia.	De partitionibus terminorum.
	Quarta.	De Universalibus.
	Quinta.	De Proprietatibus Terminorum.
	Sexta.	De Divisione et Definitione.

Ex his, quae in auctore inveniuntur, ea tantum subindicare sufficiet ad ipsumque remittere; quae autem vel omnino desunt, vel ulteriorem explicationem exigunt, qua majore potero brevitate, tradere conabor, uberius ac plenius in Schola explicaturus. Quod hic dico, de aliis partibus dictum puta.

QUAESTIO I.

DE CONCEPTU ET TERMINO MENTALI.

Conceptus sub triplici ratione considerari potest. Primo: relate ad Intelligentiam, quae illum *gignit*.—Secundo: relate ad Objectum, cujus est *expressio*.—Tertio: relate ad Judicium, cujus est *terminus*. Sub hoc triplici respectu, quaeritur quid sit, et quomodo denominetur.

Respondeo.

DICO. I.—*Conceptus sub priori respectu consideratus est: "reproductio mentalis objecti, quam Intelligens facit in seipso:" et jure meritoque dicitur Conceptus subjectivus vel formalis, Verbum mentis.*

12. Probatur I. Pars.—Quum mens *actu* intelligit, intellectio non foras prosilit sed in mente moratur, et tamen per ipsam manifestatur et prorsus describitur atque idealibus quasi coloribus exhibetur objectum, utcumque dissitum, quod mens contemplatur. Dixi I. Intellectio non *foras prosilit:* quia ipsa est actus vitalis et immanens; proprium autem est actionis vitalis et immanentis perfici, compleri ac terminari in ipso principio, a quo procedit. (S. Th. qq. DD. q. 8. de Veritate a. 6.) Dixi II. Per ipsam *manifestari objectum*. Quod quidem experientia constat: cum enim v. g. plantam, aut animal, aut hominem intelligis, in ipso intellectionis actu, quem elicis, quodammodo legis et tibi explicas quidquid ad plantae, vel bruti, vel hominis naturam, aut partes

aut operationem spectat. Jamvero id aliter explicari nequit, nisi dicatur in mente *reproduci* illud objectum. Quamobrem conceptus, si relate ad Intelligentiam consideretur, est *reproductio mentalis* objecti, quam intelligens facit in seipso.

Declaratur II. Pars.—Conceptus hac ratione inspectus, dicitur —primo, *conceptus subjectivus* et *formalis : conceptus* quidem : quia est quaedam veluti mentis procreatio et partus : *subjectivus* autem ; quia, ut actus seu affectio subjecti intelligentis consideratur : *formalis* demum ; quia est intrinsecus terminus actionis. (Suarez met. D. 2. s. 1. n. 1.) Dicitur secundo *Verbum mentis :* quia mens cognitione, quam acquirit, sibi quodammodo loquitur.

Sufficit haec modo indicasse : penitiorem de hac re explanationem opportuniori loco trademus. Cf. Liber. Con. Int. v. II. c. I. a. 3.—Composto c. 3. a. 3.—Kleutgen Filosofia trac. 1. c. 1.

DICO. II.—*Conceptus relate ad Objectum, est* : "*signum naturale et formale objecti :*"—*diciturque species expressa, conceptus objectivus, forma intellecta.*

13. Ut priorem hujus assertionis partem rite intelligas, adnota. Signum generatim est : "id omne, quod, sui praesentia, potentiae cognoscitivae aliud a se diversum repraesentat." Quamobrem est veluti medium inter potentiam, cui repraesentat rem, et rem, quam repraesentat. Si relate ad rem consideretur, erit vel naturale vel arbitrarium : *naturale,* si ex natura sua connectitur cum re, cujus est signum ; *arbitrarium* vero si ex arbitrio hominum connectitur cum re, cujus est signum. Sic fumus est signum naturale ignis, vestis nigra signum arbitrarium luctus. Si autem signum relate ad potentiam consideretur, tunc erit vel *objectivum* seu *ex quo,* vel *formale* seu *in quo.*—Objectivum, si prius in se cognoscitur, prioritate saltem *naturae* seu dependentiae, et deinde ex sui cognitione, ad cognitionem rei, cujus est signum, adducit : hujusmodi sunt omnia signa externa. Formale autem erit ac dicetur, si *immediate* transfert potentiam ad cognitionem rei significatae, quin tamen ipsum *prius in se* cognoscatur : hujusmodi esset v. g. speculum, in quo cerneretur res, non excedens tamen id, quod in eo cernitur (S. Th. Opusc. 14. de Natura Verbi) : in hac hypothesi, etsi visio spectata, ut *actio,* terminaretur ad speculum, spectata tamen, ut *cognitio,* terminaretur *immediate* ad objectum in speculo repraesentatum. Hisce adnotatis,

Patet primo: Conceptum esse *Signum:* nam est similitudo expressa rei.

Patet secundo: Conceptum esse Signum *naturale:* quia omnis similitudo natura sua connectitur cum re, cujus est similitudo.

Patet tertio: Conceptum esse Signum naturale *formale:* tum quia experientia nos docet, nos prius intelligere res, et postea conceptus: tum quia ratio dictat conceptus non attingi nisi per cognitionem secundam seu reflexam.

Secunda assertionis pars facile intelligitur ex dictis.

Cf. Auctorem n. 4.

DICO. III.—*Conceptus relate ad judicium consideratus, est: "id, in quod ultimo resolvitur judicium tamquam in Subjectum et Praedicatum:"—et jure dicitur terminus mentalis.*

14. Habes explicationem in Auctore n. 5.

QUAESTIO II.

DE EXTERIORI EXPRESSIONE TERMINI MENTALIS.

Quaeritur quaenam haec sit, et quomodo terminum mentalem et rem exprimat?

15. DICO.—*Inter omnia signa, quae exprimunt exterius conceptus mentis, primatum semper obtinuerunt ac obtinent vocabula. Haec autem sunt signa non naturalia, sed arbitraria: perque ea immediate conceptus, mediate vero res per conceptus expressae significantur: ac jure meritoque dicuntur termini orales.*

Habes explicationem hujus assertionis in auctore nn. 6. 7. 8. 9. —Cf. etiam S. Th. 1. Perihermenias l. 2.—Toletum in 1. Perihermenias quaestione 1.

QUAESTIO III.

DE TERMINORUM PARTITIONIBUS.

Quaeritur quaenam et quot sint termini, sive mentalis, sive oralis, partitiones?

16. Respondeo.—Terminus, sive mentalis, sive oralis, multifariam dividitur. Hae autem partitiones, aliae sunt *communes* utrique termino, eaeque sunt, quae mere procedunt ex objecto significato: aliae vero sunt vel termino mentali, vel termino orali *propriae*. Termino mentali *propriae* illae sunt, quae procedunt vel ex diverso modo, quo idem objectum perfectius imperfectiusve a potentia cognoscitiva attingitur, vel a diverso modo, quo objectum cognitioni obversatur. Termino autem orali partitiones *propriae* illae sunt, quae procedunt a diverso modo, quo vocabulum exprimit conceptum. His adnotatis,

17. Dico I.—*Terminus oralis est*—a) *significans vel insignificans; significans autem*—b) *vel fixus, vel vagus, vel aequivocus.*

Cf. Auctorem n. 13.

18. Dico II.—*Terminus mentalis, inspecto modo diverso, quo objectum cognitioni obversatur, esse potest intuitivus vel abstractivus: sin autem consideretur diversa ratio qua, idem objectum perfectius vel imperfectius a potentia attingitur, esse potest*—a) *obscurus vel clarus; clarus autem*—b) *confusus vel distinctus; distinctus demum*—c) *incompletus vel completus vel adaequatus.*

Cf. Auctorem n. 12.

Unum tantum adnotandum occurrit sc: quid et quotuplex sit Abstractio. Est enim res maximi momenti.

19. Abstractio *generatim* habetur, quando facultas, quae abstrahere dicitur, unum vel alterum ex his, quae in objecto conjuncta *a parte rei* (sc: prout objectum in se est) inveniuntur, attingit, relictis caeteris. Exinde nomen *abstractio* intelligis: abstrahere enim idem sonat ac *dividere, separare, disjungere.*

Hujusmodi porro abstractio duplici potissimum ratione fit.

Primo. Quando facultas cognoscitiva, cum ipsi exhibetur objectum aliquod materiale (n. 6), attingit illud sub ea proprietate, vel nota, vel forma, quae objectum *formale* illius facultatis constituit, relictis caeteris notis, quae forte in objecto conjuncta realiter inveniuntur. Hic abstrahendi modus *communis* est cuilibet facultati *cognoscitivae:* sic v. g. Visus colorem seu potius objectum coloratum, puta pomum, videt, at non saporem, qui in pomo conjunctus est cum colore: item imaginatio pomum repraesentat cum suis sensibilibus qualitatibus, sed abstrahit ab actuali praesentia.

Secundo. Quando facultas cognoscitiva attingit proprietates vel formam rei seu subjecti, non attento subjecto, in quo hae proprietates vel formae insunt vel inveniuntur. Hic abstrahendi modus *proprius* est facultatis *intellectivae* quae naturam abstrahit a conditionibus individuantibus, quibus a parte rei, in ordine scilicet physico, concretizatur. Haec abstractio dicitur *praecisiva* vel simpliciter *praecisio.*

Duo notanda veniunt.

20. Primum est.—Denominationes *formae* et *subjecti* sunt metaphoricae. Intellectus enim humanus nequit res concipere, nisi per proprietates vel notas, per quas vel sub quibus res nobis manifestantur. Hinc fit, ut res illae considerari possunt veluti latentes seu stantes vel jacentes sub illis proprietatibus easque sustentantes: hinc denominatio *subjecti* a *sub* his proprietatibus *jacere.* Hae autem proprietates *formae* dicuntur, sumiturque metaphora a materia aliqua informi, puta cera liquescenti, quae sub typo aliquo constricta formam ipsius refert. Quemadmodum enim cera haec primitus liquescens et informis, postquam sub typo constricta fuerit, ad typi imitationem formatur ac determinatam aliquam figuram accipit; ita consimili ratione, res, primitus veluti indeterminata, accedentibus proprietatibus, determinatur ac *formatur,* ita ut talis sit et non alia. Sic v. g. homo accedente justitia vel prudentia fit ac denominatur justus, prudens.

21. Secundum est.—Per utramque abstractionem nulla fit *separatio realis.* Cum enim facultas *cognoscitiva* suum *proprium* apprehendit objectum, non equidem affirmat quod res ita se habet in ordine reali, prout ab ipsamet facultate attingitur; sed tantum id, quod *suum* est, apprehendit: de aliis autem proprietatibus vel

subjectis, quae non continentur sub objecto *formali* facultatis, non curat: quia ad ipsam non pertinent. Sic v. g. Visus percipiendo in pomo colorem sine sapore, non affirmat quod color sit in pomo sine sapore, sed tantum apprehendit id, quod suum est: de sapore autem non curat: quia sapor est objectum *formale* gustus, non autem visus (n. 6). Pulcherrime ad rem S. Thomas ait: "Ista autem abstractio non est intelligenda secundum rem (i. e. secundum ordinem realem) sed secundum rationem (i. e. secundum ordinem idealem). Sicut enim videmus in potentiis sensitivis, quod licet aliqua sint conjuncta secundum rem, tamen illorum sic conjunctorum visus, vel alius sensus potest unum apprehendere, altero non apprehenso, ut visus apprehendit colorem pomi, qui tamen saporem colori conjunctum non apprehendit, sic multo fortius potest esse in potentia intellectiva: quia licet principia generis, vel speciei numquam sint nisi in individuis, tamen potest apprehendi unum, non apprehenso altero, unde potest apprehendi animal sine homine, asino et aliis speciebus: et potest apprehendi homo, non apprehenso Socrate vel Platone: et caro, et ossa, et anima, non apprehensis his carnibus, et ossibus, et sic semper intellectus formas abstractas, id est superiora sine inferioribus intelligit. Nec tamen falso intelligit intellectus, quia non judicat hoc esse sine hoc, sed apprehendit et judicat de uno, non judicando de altero." Op. De Potentiis animae c. VI.—Cf, etiam Sum. Th. 1. p. q. 85. a. 1, ad 1.

22. DICO III.—*Terminus sive mentalis sive oralis est*—a) *categorematicus vel syncategorematicus*:—b) *univocus vel analogus analogia vel proportionis vel attributionis, quae quidem attributio duplex est sc: per meram extrinsecam habitudinem, vel per intrinsecam participationem formae*:—c) *singularis et communis; communis autem collectivus et distributivus; distributivus vero particularis, universalis, transcendentalis*:—d) *primae intentionis seu realis, secundae intentionis seu logicus*:—e) *abstractus vel concretus*:—f) *absolutus vel connotativus*:—g) *connexi, disparati, oppositi: oppositio autem quadruplex, relativa sc: contraria, privativa, contradictoria,*:—h) *incomplexus et complexus.*—

Hae sunt praecipuae partiones utrique termino communes. Hoc unum observa hic sumi terminum mentalem seu conceptum

non *subjective* sed *objective* (n. 12. 13). De his agit auctor a n. 10. ad 16. Quaedam tamen necessario addenda sunt.

DE UNIVOCIS ET ANALOGIS.

23. Univoca illa dicuntur: "quorum nomen commune est, et ratio per nomen significata simpliciter eadem." Cf, Auct. n. 13.

Analoga vero illa dicuntur: "quorum nomen commune est, ratio autem per nomen significata neque omnino in illis est diversa, neque omnino eadem, aut aequo modo participata."

Analogia autem duplex est: proportionis sc: vel melius *proportionalitatis*, et *attributionis*—Prior sumitur ex proportione plurium rerum in ordine ad aliquos terminos vel effectus, et in hoc consistit, quod *principale analogatum* denominatur tale a propria forma *absolute considerata*, aliud vero vel alia (quae analoga analogata vel analoga secundaria dicuntur), tametsi a propria forma similem denominationem suscipiant, tamen non absolute considerata, sed quia in ordine ad illam servat quamdam *proportionem* cum habitudine primi analogati ad suam formam: v. g. Homo dicitur ridere a proprio actu ridendi absolute sumpto, pratum vero dicitur ridere a viriditate propria, non absolute inspecta, sed quatenus servat quamdam propertionem pratum viride ad hominem ridentem.

24. Analogia vero attributionis dupliciter habetur.—Primo: quando forma denominans in uno extremo tantum est *intrinsece*, in aliis vero solum per *extrinsecam* habitudinem. Sic sanum dicitur de animali, et de cibo, medicina et vultus colore: est enim sanitas intrinsece in animali, in ceteris vero tantummodo per extrinsecam habitudinem, quatenus sc: cibus conservat, medicina restaurat, vultus color significat sanitatem, quae in animali invenitur.—Secundo: quando forma denominans in utroque membro est *intrinsece*, tamen in uno (quod analogum princeps vel analogum analogans dicitur) *absolute*, in alio vero (quod analogum secundarium vel analogum analogatum dicitur) per *habitudinem* dependentiae et quidem *intrinsecam* et *essentialem* ad illud: sic Ens dicitur de Deo et de creatura, de substantia et accidenti, ut suo loco fusius videbimus.—

Inter hos duos modus attributionis quatuor differentiae adnotandae sunt.

Prima est.—In priori attributione, nomen tribuitur secundario significato *metaphorice*; in posteriori autem *propriissime*, imo et *essentialiter*, quum ab intrinseca forma vel natura sumatur.

Secunda est.—In priori, secundarium analogatum *definitur* per principale: non item in posteriori.

Tertia est—In priori, non datur unus conceptus *communis omnibus analogatis;* e contra in posteriori datur *unus* conceptus *formalis* et *objectivus* (n. 12. 13.) Quamobrem

Quarta est.—Nomen analogum priori attributione, nequit esse *medium demonstrationis:* contrarium vero accidit in posteriori.

Cf. Auctorem n. 14.

DE TERMINO SINGULARI ET COMMUNI.

25. Terminus *singularis* ille est: "qui rem individuam significat." Est autem Individuum: "id quod, unum aliquod cum sit, in pluribus esse et de pluribus suapte natura praedicari seu affirmari nequit." Cf. Fonseca Isag. Porphyri. Quoniam vero humana mens *intimam* individui naturam non cognoscit, hinc fit, ut individua non discriminemus ab invicem, nisi per quasdam notas *extrinsecas*, quae his versiculis continentur:

"*Forma, Figura, Locus, Tempus, Stirps, Patria, Nomen*:
Haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter."

Terminus vero *communis* est: "qui rem pluribus subjectis communem seu convenientem exprimit." Dico *subjectum* illud omne, in quo invenitur id, quod de eo affirmatur.

Porro aliquid potest convenire pluribus, vel

a—*simul* junctis: et tunc terminus id exprimens *collectivus* dicitur: v. g. Exercitus, Familia:

b—*seorsim* impectis: et tunc terminus id exprimens dicitur *Distributivus.* Terminus autem distributivus esse potest *particuris, universalis, transcendentalis,* prout res vel forma, quam exprimit, convenit singulis subjectis *univoce* (sive minus sive magis *extensive*); vel tantum *analogice* analogia per intrinsecam participationem formae. Sic v. g. terminus *homo*, qui de individuis a, b, c, d, . . . x distributive et univoce praedicatur est *Particularis:* et terminus *Substantia* qui de speciebus a′, b′, c′, d′, . . . x distributive et univoce praedicatur est *Universalis:* terminus Ens, qui distri-

butive, at analogice de Deo et creatura, de Substantia et accidente praedicatur, est *transcendentalis.* Sed de his fusius in questione sequenti.—

DE TERMINO REALI ET LOGICO.

26. Terminus *realis* ille est: "qui objectum reale et secundum praedicata realia exprimit." *Logicus* vero est: "qui objectum logicum et secundum praedicata logica exprimit." Praedicata *realia* illa appello, quae objecto conveniunt in ordine reali, i. e., secundum quod in se est: praedicata autem *logica* illa denomino, quae objecto competunt in ordine logico, i. e. secundum quod substat cognitioni reflexae mentis. Qua in re observandum est, mentem humanum, postquam ipsa objectum aliquod, puta humanitatem vel animalitatem, *directe* cognoverit, posse in hos conceptus *objective* inspectos (n. 13.) reflectere, eosque considerare, veluti quasdam formas, quae de pluribus sive individuis, sive speciebus, praedicari possunt. Hinc denominationes quaedam profluunt, puta *Speciei*, *Generis*, *Differentiae*, *etc.* quae non conveniunt rebus, prout hae sunt in se ipsis, sed prout sunt in ordine ideali et ab intellectu *reflexe* cognoscuntur.

Uterque actus directus scilicet et reflexus, *intentio* intellecta nuncupatur: *intentio* quidem, quia intellectus sua cognitione *intendit* quodammodo se in objectum: *intellecta* vero, quia conceptus non subjective sed objective consideratur (nn. 12. 13.) Conceptus autem directus, utpote primus, *intentio prima;* reflexus vero, utpote qui primum supponit subsequiturque, *intentio secunda* nuncupatur. Cf. si placet Auct. n. II. Introd. Logicae.

DE TERMINO ABSOLUTO ET CONNOTATIVO.

27. Terminus *absolutus* ille est: "qui formam seu perfectionem aliquam, tamquam per se stantem significat;" sive haec forma sit substantia, ut homo, sive sit accidens, ut Sapientia. *Connotativus* vero est: "ille, qui formam aliquam vel accidentalem vel substantialem, tamquam subjecto alicui adjacentem significat." Unde formam significat et simul *connotat* Subjectum, in quo haec forma invenitur, atque idcirco connotativus dicitur: v. g.,

Sapiens=Subjectum habens Sapientiam.

At formam *clare*, tametsi *in obliquo*, significat; Subjectum vero *in recto* quidem, at *obscure* denotat, ut in citato exemplo videre est. Subjectum, in quo est forma, significatum *materiale;* subjectum vero, quatenus hac forma donatur, significatum *formale* dicitur.

Hoc duplex significatum assignari etiam solet in absolutis, si concreta sunt: imo in ipsis abstractis, si ut concreta considerantur v. g. Homo: fortitudo est virtus. Demum observa non solum nomina adjectiva sed et multa, quae grammatice sunt substantiva, esse logice connotativa: item omne concretum non esse connotativum: Sic, v. g., homo, Petrus, Sortes sunt termini concreti, at non connotativi: atque idem dic de omni concreto metaphysico et logico.

DE OPPOSITIS.

28. Termini oppositi sunt, qui res seu objecta inter se opposita, exprimunt. Illa autem dicuntur *opposita:* "quae in una eademque re singulari simul esse non possunt:" quod si multis et non certa lege opponuntur, *improprie* opposita vel etiam *disparata* dicuntur: sin autem uni tantum termino et sub determinata quadam habitudine repugnant, *proprie* opposita nuncupantur.

Jam age oppositio proprie dicta quadruplex est: *contradictoria* sc: *privativa, contraria, relativa:* quod sic probo. Vel enim haec oppositio viget inter duas formas positivas; vel inter formam aliquam ejusque carentiam; tertium non datur. Si primum: tunc vel *a*)—illae duae formae mutuo se expellunt, quia *sub eodem genere* positae *maxime* inter se differunt, ut, v. g., in genere qualitatis sensibilis candor et nigredo: et sic opponi *contrarie* dicuntur: vel *b*)—illae duae formae mutuo se expellunt, quia una aliam respicit et per respectum ad illam denominatur: ut, v. g., filiatio et paternitas; et sic *relative* opponi dicuntur. Si autem secundum contingerit; tunc vel—*a'*) illa carentia est mera negatio, ita ut oppositorum unum simpliciter neget vel tollat, quod aliud affirmat vel ponit, ut v. g. Ens, non-Ens; Homo, non-Homo, etc.: et sic *contradictorie* opponuntur: vel—*b'*) illa carentia est negatio quidem formae, at in subjecto apto ad habendam illam formam et in tempore a natura constituto, quemadmodum est visio et caecitas respectu hominis: et sic *privative* opponi dicuntur.

Hac in re duo sunt sedulo adnotanda, quae ex dictis colliguntur. Primum est: *a''* Contradictoria secundum se medium non habent: nam de unaquaque re alterutrum contradictoriorum dicendum est, alterum vero necessario negandum.—*b''*) Privativa medium habent: non quamvis alterutrum eorum proprio subjecto necessario insit, inveniri tamen potest aliud subjectum, cui nec forma, nec ejus privatio insit.—*c''*) Contrariorum vero aliqua medium admittunt respectu proprii subjecti, eaque sunt, quorum neutrum proprio subjecto necessario inest; sic, v. g., corpus non necessario est album vel nigrum, sed potest alios praeseferre colores: alia vero sunt sine medio, eaque sunt, quorum alterutrum necessario subjecto inesse debet; sic numeres vel est par vel impar. —*d''*) Relativa mutuo se includunt, ponunt, vel tollunt.

Secundum est.—Oppositionum maxima est Contradictoria. Nam I:—.contradictoria ex natura sua medium non admittunt; nec in ullo genere vel subjecto conveniunt; nec se mutuo includunt vel includere possunt: alia vero opposita vel medium admittunt, ut privativa vel contraria; vel in eodem genere aut subjecto conveniunt, ut iterum contraria ac privativa; vel mutuo se includunt, ut relativa. 2.—Reliqua opposita, eatenus sunt opposita, quatenus de contradictione aliquatenus participant; ideo namque opponuntur, nec in eadem re consistere queunt, quia alterum alterius negationem importat. Cf. S. Thomam: Opusc. 33. De quatuor oppositis cc: I. II. III.—1. p. q. 17. a. 4.

DE TERMINIS COMPLEXIS ET INCOMPLEXIS.

29. Ad terminos complexos quod attinet, notandum est: quod unus terminorum significat rem, diciturque *principalis;* alter vero significat affectiones vel attributiones rei, diciturque *incidens.* Hic autem *incidens* terminus esse potest *explicativus,* vel *restrictivus* vel *determinativus:* prout vel explicat aliquid, quod ad rem per terminum principalem expressam, pertinet; ut cum dico *Deus bonus, Homo mortalis*: vel coarctat seu determinat principalis termini significationem ad partem tantummodo illius extensionis, quam terminus principalis haberet, si seorsim et secundum se sumeretur; ut cum dico *Homo doctus, vir prudens.* Quae hic adnoto inservient pro usu terminorum.

Atque haec dicta sufficient quoad terminorum partitionem.

QUAESTIO IV.

DE UNIVERSALIBUS.

30. Id, quod per primam mentis operationem apprehenditur et per oralem terminum exterius exprimitur, est universale. Quamobrem postquam de conceptu, et de hujus exteriori signo, deque utriusque partitionibus egimus, de universalibus notionibus, agendum nobis erit. Quae quidem tractatio apprime est necessaria: tum quia fundamentum totius humanae cognitionis respicit; tum quia inservit ad conceptus mentis *objective* spectatos, quantum ad Logicam spectat, melius intelligendos, eosque coordinandos ad judicium, ut mox videbimus. Ut autem clarius et distinctius procedamus, agemus,

Primo.—De Universali in Genere.
Secundo.—De Universali Reflexo.
Tertio.—De Universali Directo.

ARTICULUS I.

DE UNIVERSALI IN GENERE.

31. Universale, si vim vocis spectes, importat *unum versus* seu respiciens multa. Porro ūnum respicere potest multa: vel I.—quia est *causa efficiens* plurium rerum, aut *causa finalis*, ad quam plures res ordinem dicunt: vel II.—quia est *repraesentatio* communis plurium rerum; vel III.—quia est *signum* plura significans: vel IV.—quia est *natura aut essentia* pluribus communis: vel demum V.—quia est *praedicatio* pluribus communis. Quamobrem Universale, spectata vi vocis, est quintuplex, scilicet *in caussando*, ut est Deus, quatenus est primum principium efficiens et ultimum principium finale omnium rerum; *in repraesentando*, ut sunt species angelicae (de quibus agunt Theologi in Sum. Theol. S. Th. 1. p. q. 55.); *in significando*, ut esset v. g. vox aequivoca; *in essendo et*

in praedicando, ut est natura v. g. hominis, quae, quia invenitur in Sorte, Platone, Leucippo, etc. de his praedicari seu enunciari potest, ajendo *Sortes est homo*, *Plato est homo*, *Leucippus est homo* . . Relictis prioribus tribus, hic tantum tractandum venit de Universali in essendo et praedicando, de quo quaeritur quid sit, quotuplex sit vel quatuplici ratione denominetur. Cf. Suarez. D. m. VI. s. VIII.—Toletum De Univ. q. 1.

DICO. I.—*Universale jure meritoque describitur: "Unum aptum inesse multis et praedicari de multis univoce et divisim."*
(Sumiturex Arist. ejusque Comment: in Organ.)

Explicantur singula verba.

32. Dicitur I.—*Unum:* quia id, quod universale dicitur, debet esse una natura vel forma, eodem vocabulo expressa. Quamobrem a definitione universalis, excluduntur—primo: omnia *aequivoca:* quia, licet eodem nomine significentur, ratio tamen per nomen significata est simpliciter diversa—excluduntur secundo; omnia analoga sive proportionis sive attributionis per extrinsecam habitudinem; quippe forma, quae de analogiae extremis praedicatur, non est simpliciter una, cum sit vel simpliciter diversa, vel uni tantum extremorum *proprie*, aliis vero *metaphorice* tantum conveniat. (nn. 23. 24.)

Dicitur II.—*Aptum*, ut indicetur ad rationem universalis non requiri, ut forma illa, quae universalis dicitur, de facto sit in pluribus aut de pluribus praedicetur; sed sufficere, ut possit pluribus inesse aut de pluribus praedicari. Hinc natura Solis universalis est: nam, etsi de facto non reperiatur nisi in uno individuo, potest tamen, absolute loquendo, in pluribus inveniri. Quamobrem merito observat S. Thomas: "Omnis forma in Supposito Singulari existens, per quod individuatur, communis est multis vel secundum rem, vel secundum rationem saltem: sicut natura humana est communis multis secundum rem et rationem; natura autem Solis non est communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum. Potest enim natura Solis intelligi, ut in pluribus Suppositis existens; et hoc ideo, quia intellectus intelligit naturam cujuslibet speciei per abstractionem a singulari. (n. 19.) Unde esse in uno Supposito singulari vel in pluribus est praeter intellectum (i. e. conceptum) naturae speciei. Unde, servato intellectu natu-

rae speciei, potest intelligi ut in pluribus existens. Sed Singulare, hoc ipso quod est singulare, (n. 25.) est divisum ab omnibus aliis. Unde omne nomen impositum ad significandum aliquod Singulare est incommunicabile et re et ratione." 1. p. q. 13. a. 9.

Dicitur III.—*Esse in multis* et *praedicari de multis.* Quibus verbis duplex universale exprimitur, sc.: in essendo et in praedicando, quorum prius non tam universale est, quam fundamentum universalis; posterius vero proprie universale est et dicitur, ut mox declarabo.

Dicitur III.—*Univoce:* debet enim haec forma esse non modo eadem in inferioribus, sed aequo modo, eadem scilicet omnino ratione participari. Hinc a definitione universalis excluduntur analoga analogia attributionis per intrinsecam participationem formae (n. 24.)

Dicitur V.—*Divisim*, i. e. cum sui divisione et pluralitate. Defectu hujus conditionis Natura Divina non est universalis. Nam, tametsi in tribus, ac proinde in pluribus, Personis inveniatur, in his tamen non est divisim sed indivisim.

33. Quamobrem ad rationem Universalis quatuor requiruntur conditiones scilicet *a*) unitas; *b*) aptitudo; *c*) univocitas; *d*) divisio. Quae quidem ad duas revocari facile possunt ad *Unitatem* sc: et *communicabilitatem.* Ut igitur aliquid sit ac denominetur Universale, necessum est.

Primo—Ut sit *unum in se*, unum, inquam, non tantum nomine sed et ratione.

Secundo—Ut sit *pluribus* subjectis (quae ideo ipsius *inferiora* dicuntur) *communicabile*, ita ut in pluribus multiplicari atque ita multiplicatum numerari *distributive* possit, quemadmodum ipsa inferiora numerantur; ut v. g. cum dico *a est homo, b est homo c est homo . . . . . x est homo.*

Bonitas traditae definitionis desumitur tum ex eo quod adaequate complectitur definitum; tum ex eo quod rem definitam a quacumque alia re distinguit ac secernit, ut ex dictis elucet. Quamobrem mirum non est, si eam omnes Doctores Scholastici amplexati sunt in Comm. in Arist. Org. de Categoriis et Isagogen Porphyri.

DICO II.—*Universale est vel Metaphysicum vel Logicum: primum Directum, secundum Reflexum jure meritoque denominatur.*—

34. Denominationes istae a diverso modo, quo mens humana considerare potest naturam aliquam abstractam (n. 26.) desumun-

tur. Ad cujus rei evidentiam considerandum est, mentem humanam dupliciter contemplari posse naturam aliquam v. g. humanitatem. Primo modo, potest illam considerare, ut ipsa est *in se*, scilicet quoad notas, quae ipsam constituunt, quales sunt animalitas et rationalitas, abstractione facta ab individuis, in quibus haec natura *concrete* invenitur aut inveniri potest. Secundo modo, potest intellectus in hanc naturam sic conceptam i. e. abstracte et absolute, reflectere, eamque contemplari, veluti formam quamdam, quae ordinem dicit ad plura, quatenus sc: sit aliquid unum, quod, quia in pluribus subjectis seu inferioribus invenitur aut saltem inveniri potest, potest eo ipso de his enunciari et de facto enunciatur *univoce* et *divisim*. (n. 32.) Prior consideratio *abstracta* est et *absoluta*: posterior *relativa*. Ad priorem habendam sufficit abstractio: ad posteriorem vero requiritur praeterea relatio: ad priorem actus *directus* mentis, ad posteriorem actus mentis *reflexus* necessario requiritur. Quo posito, jam intelliges, quae sequuntur.

"Illa natura *abstracta* a notis individuantibus, quibus a parte rei concretizatur, et *absolute in se* considerata ab intellectu humano," Universale Metaphysicum et Directum nuncupatur: *Universale:* quia hujusmodi natura quantum est de se, apta est ut in pluribus inveniatur, tametsi haec aptitudo non adhuc ab intellectu in priori isto actu consideretur: *metaphysicum* vero, quia licet natura illa realis sit et physica, abstracte tamen ab intellectu concipitur; *directum* vero: quia terminat intentionem primam, scilicet est objectum cognitionis directae. (n. 26.)

"Haec autem natura, jam abstracte concepta, et ad inferiora *relata*" universale *Logicum* et Reflexum dicitur. *Universale* quidem: quia est unum aliquid ordinem dicens ad plura: *logicum* vero; quia hic ordo ens rationis est et existentiam tantummodo idealem, in intellectu sc: concipientis, habet: *reflexum* demum; quia terminat intentionem secundam, scilicet est objectum cognitionis reflexae. (n. 26.)

Inter utrumque universale haec vigent discrimina.

Primum est.—Vox *Universalis* magis proprie de Reflexo, quam de Directo dicitur; et ratio est, quia duae conditiones ad universalitatem requisitae, unitas scilicet et multiplicitas in priori *explicite* ac *positive*, in posteriori vero *implicite* ac veluti *negative* inveniuntur.

Secundum est.—Universale directum nec unitatem dicit nec multiplicitatem: quia ab utraque praescindit. Reflexum vero utramque dicit, unitatem scilicet *quoad se;* quia est una natura: multiplicitatem vero quoad terminos suae relationis. Quamobrem considerari potest veluti centrum alicujus circuli, quod si consideretur *in se,* unum est; sin autem consideretur prout *refertur* ad varia puncta peripheriae multiplex est.

Tertium est.—Universale reflexum supponit directum, eique superaddit *relationem* ad inferiora. Quoniam autem haec relatio quintuplex est, hinc quintuplex est universale reflexum. i. e. *Genus, Differentia, Species, Proprium, Accidens.* Universale autem directum, utpote fundamentum reflexi, nequit dici Genus Differentia etc. sed tantum horum Principium. (Vide Tabellam 1am).

Quartum est.—Universale *reflexum* nullatenus praedicatur aut praedicari potest de individuis: non enim Sortes est species, quia est homo: at universale *directum* tantummodo. Verumtamen in universali directo duo sunt sedulo consideranda sc: natura, *quae* concipitur; et modus *quo* concipitur i. e. abstractio. Jam age id, quod affirmatur de individuis non est abstractio, ut patet: quia haec se tenet tantummodo ex parte mentis concipientis; sed est natura illa seu elementum objectivum, quod concipitur. Sic v. g. cum dico "*Sortes est homo,*" non equidem affirmo de Sorte modum, quo ego concipio humanitatem, sed affirmo humanitatem, quam ego concipio: haec autem humanitas in Sorte *concrete* existit, in intellectu autem meo *abstracte*: at concretio vel abstractio non rem respicit, sed modum existendi ipsius.

36. Ex dictis jam intelligere incipies quid nomine ordinis *physici, metaphysici* et *logici* veniat, et quaenam sit harum denominationum ratio. Ordo physicus est ordo rerum naturalium, prout hae sunt in seipsis singulariter sc: et concrete: ordo metaphysicus est ordo primarum intentionum, sc: rerum, prout ab intellectu per cognitionem directam concipiuntur: ordo logicus est ordo secundarum intentionum, sc: rerum, quae ab intellectu jam directe apprehensae supponuntur ac reflexe per secundam mentis cognitionem attinguntur. Sic cum dico "*Sortes* est *animal,* et animalitas praedicatur de ipso tamquam *genus:*" Sortes est ens physicum: *animal* vero, quatenus exprimit id, quod praedicatur, abstractione facta a modo existendi, est ens metaphysicum; qua-

tenus vero exprimit modum praedicandi, est ens logicum. In ordine *physico* et id, quod existit, et modus, quo existit, realia sunt: in ordine *metaphysico* id, quod concipitur reale est, modus autem, quo concipitur, idealis: in ordine *logico* et id, quod concipitur, et modus, quo concipitur, sunt idealia. Hinc colliges I. Ordinem physicum esse pure realem et concretum; ordinem logicum pure idealem et intentionalem: ordinem autem metaphysicum de utroque participare, et partim realem, partim vero idealem et abstractum. Colliges II.—Quemadmodum ordo metaphysicus physicum supponit in eoque *proxime* fundatur, ita ordo Logicus metaphysicum supponit in eoque fundamentum habet.

Ad rem S. Thomas: "Triplex est alicujus naturae consideratio: una prout consideratur secundum esse, quod habet in singularibus, sicut natura lapidis in hoc lapide et in illo lapide; alia vero est consideratio alicujus naturae secundum esse suum intelligibile, sicut natura lapidis consideratur, prout est in intellectu. Tertia vero est consideratio naturae absoluta, prout abstrahit ab utroque esse (*intel: ab esse singulari et concreto, et ab esse universali abstracto et reflexo*) secundum quam considerationem consideratur natura lapidis vel cujuscumque alterius, quantum ad ea tantum, quae per se competunt tali naturae." Quodl. 8. q. 1. a. 1.—Et II. de Anima l. 12. "Universalia secundum quod sunt universalia, (*reflexa sc: et logica*), non sunt nisi in anima (*in intellectu sc: concipientis*). Ipsae autem naturae, quibus accidit intentio universalitatis (*quas quidem naturas nos appellavimus universalia directa seu metaphysica*) sunt in rebus; et propter hoc nomina communia significantia naturas ipsas praedicantur de individuis, non autem nomina significantia intentiones. Socrates enim est homo, sed non est species, quamvis homo sit species."

Cf. etiam Op. 30. de ente et essentia c. 4.—et p. 1. q. 85. a 2.—

Cf. etiam Conoscenza Intellettuale Vol. 2. c. II. aa. 3. 4.

Cf. etiam Suarez D. M. VI. s. 3. n. 6.

ARTICULUS II.

DE PRAEDICABILIBUS.

37. Notiones universales aliae sunt, quae referuntur ad determinatas quasdam species, puta humanitatis, animalitatis, viventis, corporeitatis: aliae vero sunt, quae respiciunt id, quod variis rerum speciebus vel generibus est commune; atque hae *supremae* nuncupantur. Hujusmodi sunt notio Substantiae, Quantitatis, Qualitatis, Relationis etc: quae notiones praedicamentales, aut simplicius *praedicamenta* dicuntur, vel etiam *categoriae* a *καταγορευω praedico.* Has considerat tum Logicus, tum Metaphysicus, diversa tamen ratione. Metaphysicus enim has supremas notiones considerat, prouti sunt *primae intentiones*, i. e. considerat *objectivas* rationes seu res, quae per hujusmodi notiones exprimuntur: Logicus vero considerat illas, prouti sunt *intentiones secundae*, seu considerat *modum*, quo hae supremae notiones de aliis, quas sibi subjectas habent, *praedicari possunt.* Hunc autem modum nequit Logicus cognoscere, nisi prius cognoscat praedicabilia: sunt enim *praedicabilia*: "generales praedicandi modi." Quamobrem tractationi de praedicamentis, a qua exorditur Aristoteles suam Logicam, praemisit Porphyrius tractationem de Praedicabilibus, quae *Isagoge Porphyrii* inscribi solet. Cf. Toletum Logicae Prooemium. Hunc agendi morem, quem omnes Aristotelis Commentatores imitati sunt, et nos sequuti, agemus primo de Praedicabilibus, et postea de Praedicamentis.

Quoad praedicabilia autem quaeri potest.

Primo—Quot sint et quaenam: Quomodo describi possint et quasnam proprietates habeant?

Secundo—Quomodo ad invicem subordinentur?

Tertio—Quomodo se habent ad invicem extensio et comprehensio notionis universalis?

DICO. I—*Praedicabilia non sunt nisi quinque: Genus, Differentia, Species, Proprium, Accidens.*

38. Probatur assertio.—I.—Tot sunt praedicabilia, quot sunt generales modi, quibus aliquid in aliquo contineri ac proinde de

illo praedicari potest: nam praedicabilia sunt: "*generales praedicandi modi.*" (n. 37). Jamvero quinque tantummodo modis aliquid in aliquo contineri, atque ideo de illo praedicari potest.

Etenim quidquid est in aliqua re I.—Vel exprimit totam rei essentiam, ut v. g. *homo* respectu Socratis vel Plationis (dico autem essentiam: "id, quo aliquid est id, quod est, et a ceteris discriminatur"): et sic dicitur *Species.*

II.—Vel exprimit id, quod hujusmodi essentia habet commune cum alii sspeciebus; ut esset v. g. *Animal,* in quo homo convenit cum asino, leone: et sic dicitur *Genus.*

III.—Vel exprimit id, quo talis essentia differt a ceteris; ut esset v. g. in homine *rationalitas,* per quam ipse differt essentialiter ab asino, leone ceterisque animantibus; et sic dicitur *Differentia.*

IV.—Vel exprimit aliquid, quod *inseparabiliter* consequitur essentiam et quidem *necessario,* ita ut, eo sublato, *existere* nequeat essentia; ut est v. g. *risibilitas* aut *libertas* in homine: et sic dicitur *Proprium.*

V.—Vel exprimit aliquid, quod adjungitur essentiae rei *contingenter* i. e. ita ut, eo sublato aut destructo, adhuc tamen essentia *concipi* aut *esse* possit; ut est v. g. *actus* ridendi; potest enim homo remanere homo, etiamsi numquam rideret: et sic dicitur *Accidens.*

Praeter hos quinque enumeratos modos, alii non dantur. (Cf. Auctorem n. 19). Ergo nonnisi quinque extant Praedicabilia.

39. Est et alia hujus assertionis probatio, quam non tam pro rei necessitate, quam pro Aristotelis et Scholasticorum doctorum intelligentia affero. Est autem hujusmodi.

Universalia vel praedicantur in quaestione *Quid est:* vel in quaestione *quale est.* Si praedicantur in quaestione *quid est:* tunc vel exprimunt totam naturam communem individuorum, vel partem: si *partem,* praedicantur per modum *generis*; si *totum,* praedicantur per modum *speciei.* Si autem praedicantur in quaestione *Quale est:* tunc vel praedicantur essentialiter, vel accidentaliter: si *essentialiter,* praedicantur per modum *differentiae.* Si *accidentaliter;* tunc vel praedicantur necessario, vel contingenter: si *necessario,* per modum *proprii;* si *contingenter,* per modum *accidentis* praedicantur.

Quod argumentum ut rite intelligas, duo sunt observanda.

40. Primum est.—*Quid et quotuplex sit Praedicatio?*—

Respondeo.—Praedicatio est: "affirmatio alicujus de aliquo:" ut v. g. cum affirmo animalitatem de homine: propositio autem negativa non tam praedicatio, quam *divisio* proprie diceretur. Haec autem praedicatio potest esse vel *secundum naturam* diciturque etiam *directa*, vel *contra naturam* diciturque *indirecta*. Praedicatio secundum naturam seu naturalis illa est, quae rerum naturae congruit, et duplex est *identica* et *formalis*. Id namque naturae rerum potissimum congruit, ut quaelibet res de seipsa dicatur, ut si dicas "*Sortes est Sortes*:" quandoquidem nihil magis naturaliter cuilibet rei convenit, quam ipsa. Deinde illud est naturae accomodatum, ut id, quod est *quasi forma*, (n. 20.) dicatur de eo quod est *quasi materia;* ita enim fit, ut id subjiciatur, quod subjici debet, id autem praedicetur, quod praedicari debet: ut si dicas: "Homo est animal" et "Sortes est philosophus."

Prior *identica* dicitur, quia praedicatum et subjectum sunt omnino idem: posterior *formalis* dici potest, quia id, quod est quasi forma, praedicatur de eo, quod est quasi materia. Naturali praedicationi opponitur ea, quae dicitur *contra naturam* vel *innaturalis* vel *indirecta*, in qua sc: id, quod est quasi materia, praedicatur de eo, quod est quasi forma, ut si dicas v. g. "Animal est homo," "album est cygnus". . . . Inter eas media est alia praedicatio, quae dicitur *praeter naturam* vel *per accidens*, in qua nimirum nec id, quod praedicatur, est veluti forma ejus, quod subjicitur; nec id, quod subjicitur, est veluti forma ejus, quod praedicatur: sed ambo unius cujusdam alterius: ut cum dicis *Album est dulce:* neutrum enim est forma alterius, sed ambo sunt veluti forma cujusdam tertii, puta *lactis*. Jam age universale, quod generi, differentiae, speciei, proprio, accidenti commune est et in haec quinque membra *adaequate* partitur, ita praedicatur *univoce* de rebus, quorum respectu dicitur Universale, ut de illis non contra aut praeter naturam, sed *secundum naturam* praedicetur; Quod tamen numquam accidit nisi *directe* et *formaliter*, cum nihil omnino possit *identica* praedicatione de pluribus enunciari.

41. Secundum est.—*Quid significet "praedicari in quid, vel in quale?"*—

Respondeo.—Id praedicatur *in Quid*, per quod apte respondetur interroganti; *Quid sit res?* Hoc modo praedicatur *Homo* de

Sorte, Virtus de *humilitate*: nam si quis a te postulat; quid sit Sortes, vel quid sit humilitas? recte respondebis "Sortes est homo:" "humilitas est Virtus."—Id autem praedicatur in quaestione quale sit, vel simplicitur *in quale*, per quod apte respondetur interroganti *qualis sit res?* Hoc modo *rationalitas* et *risibilitas* de Sorte praedicantur: si enim quis a te quaesierit quale animal sit Sortes? apte respondebis: "Sortes est animal *rationale*:" *risibile*.

Id praedicatur *accidentaliter*, quod non pertinet ad essentiam subjecti; quod autem ad essentiam subjecti pertinet, de eo *essentialiter* praedicatur. Quae autem *accidentaliter* praedicantur sunt duplicis generis.—Quaedam sunt, quae tametsi non constituant essentiam, ex ea tamen *necessario* consequuntur, atque ideo, licet non sint *de* essentia, sunt tamen *ex* essentia; et hujusmodi sunt ea, quae ita affirmantur de subjecto, ut de eo negari nequeant, absque subjecti eversione. Hoc pacto *disciplinae capax* affirmatur de homine: si enim quis negaverit hominem esse capacem disciplinae, consequens est, ut neget ipsum esse hominem. Haec igitur *accidentaliter* quidem, at *necessario* praedicantur de subjecto.—Quaedam alia sunt quae nec essentiam constituunt, neque ex ea profluunt, sed *contingenter* illi adveniunt; atque ea sunt, quae ita de subjecto affirmantur, ut de eodem negari possint, absque subjecti eversione. Hoc pacto *Album* praedicatur de Sorte vel de Cygno: nam si Sortes vel Cygnus non haberent albedinem, non ideo Cygnus cessaret esse Cygnus, vel Sortes cessaret esse homo. Haec igitur non modo *accidentaliter*, sed etiam *contingenter* praedicantur. Hisce intellectis, intelliges probationis sensum. Modo ad singula praedicabilia propius accedamus.

UNUMQUODQUE PRAEDICABILE EXACTIUS DEFINITUR AC DECLARATUR.

42. Quoniam praedicabile est Universale *Reflexum* et *Logicum*; (n. 35.) et, quod hujusmodi est, *metaphysicum et directum*, tamquam sui principium ac fundamentum, supponit; consequens est, ut in praedicabilium definitione, ipsum praedicabile, *qua tale* est, definiatur, ac simul *connotetur* universale directum seu elementum illud *objectivum*, quod per modum *generis, speciei, differentiae, proprii, accidentis* praedicatur vel praedicari potest. Has igitur definitiones accipe.

Species est: "Notio universalis, quae de pluribus *individuis* praedicatur *in quid complete*, seu secundum eorum essentiam completam: et denotat eorum essentiam non inchoatam et imperfectam, sed completam et perfectam." Sic *humanitas* praedicatur de Sorte, Platone per modum *speciei*.

43. *Genus* est: Notio Universalis, quae de pluribus *speciebus* praedicatur *in quid incomplete*, seu secundum essentiam incompletam et *determinabilem*: et denotat earum essentiam non completam et perfectam, sed incompletam ac imperfectam." Sic *animalitas* praedicatur de homine, de leone aliisque animalium speciebus, per modum *generis*.

44.—*Differentia specifica* est: "Notio illa universalis, quae de pluribus specie diversis *in quale quid* praedicatur, seu repraesentat qualis sit essentia rei; et denotat partem essentiae incompletam quidem, at *determinantem*." Sic *rationalitas* est differentia, qua homo a ceteris animantibus differt, et quale animal ipse sit, determinatur. Porro differentiae tria sunt munia.

Primum est.—Ipsa *dividit* Genus in plures species.

Secundum est.—Determinando Genus, *constituit* speciem.

Tertium est.—Constituendo speciem, hanc *distinguit* a quacumque alia.

Idcirco dicitur *Divisiva*, *Constitutiva*, *Distinctiva* vel *Discretiva*. Dicitur etiam *Specifica* tum propter rationem allatam; tum quia ipsa non est ullatenus confundenda sive cum differentia illa, quae, tametsi inseparabilis sit, ad essentiam tamen rei non pertinet, quaeque *propria* dicitur, ut est v. g. esse disciplinae capax; sive cum differentia illa, quae non modo essentialis non est, sed etiam separabilis est, quaeque *communis* nuncupatur; ut est v. g. sedere stare, currere—Quo in loco etiam illud adnota: Differentiam dici posse *generalem*, *specialem*, *individualem*. Generalis constituit rem, quae non tantum est species, sed etiam genus: v. g. corporeitas. Specialis proxime constituit rem, quae tantummodo est species: v. g. rationalitas. Individualis constituit *proxime* individuum v. g. differentia, qua Socrates constituitur Socrates et differt a Platone. De individuali agere nequimus: quippe nobis incognita est; sed agemus tantum de generali et speciali, quae utraque specifica et est et merito nuncupatur.

45.—*Proprium* est: "Notio illa universalis, quae de pluribus rebus singularibus praedicatur *in quali accidentali* et *necessario:* et denotat qualitatem illam, quae est *extra* essentiam specificam rei, sed tamen *ex* illa *necessario* fluit." Sic *risibilitas* praedicatur de homine per modum *proprii.*

Quoniam Proprium *necessario* consequitur essentiam rei specificam, dicitur consequenter convenire *omni* speciei i. e. omnibus individuis sub illa specie contentis: *soli* speciei, quippe si aliis speciebus conveniret, non proprium, sed commune dici deberet; *semper:* nequeunt enim individua illius speciei existere, quin proprietatem illam habeant. Quamobrem distinguitur Proprium: tum I.—Ab illo proprio, quod soli speciei inest, at non toti; ut homini *esse grammaticum* vel *philosophum:* tum II.—Ab illo proprio, quod toti competit, at non soli; ut v. g. homini *esse bipidem:* tum III.—Ab illo proprio, quod soli competit ac toti, non tamen semper; ut homini *canescere.* Quamobrem Proprium, de quo hic agimus, *Accidens speciei* nuncupatur, et cum specie *reciprocatur* i. e. potest praedicari de specie, quemadmodum species potest praedicari de ipso: v. g. vere dicere poteris: "Omnis homo est risibilis i. e. capax ridendi;" et vicissim "Omne risibile est homo." Est autem duplex *Generale* sc: et *Speciale,* prout reciprocatur vel cum re, quae ita est species, ut simul sit genus; vel cum re, quae tantum est species. Sic *aptum esse sentiendi* reciprocatur cum animali; *aptum esse doctrinae capessendae* reciprocatur cum homine. Primum *generale,* secundum *speciale* est.

46. Accidens est: "Notio universalis, quae de pluribus *individuis* praedicatur in *quali accidentaliter* et *contingenter:* et denotat qualitatem illam, quae non modo est extra essentiam, sed etiam *accidit* illi;" seu ita adjungitur illi, ut possit etiam ab ea abesse. Sic *actus ridendi* praedicatur de homine per modum *accidentis.* Accidentium autem quaedam sunt, quae reipsa separari possunt, ut v. g. *sedere* aut *currere* a Socrate; quaedam vero sunt, quae reipsa separari non possunt, ut v. g. *nigredo* a corvo. Verumtamen omnia, cogitatione saltem, separari possunt i. e. negari sine desitione subjecti: atque hoc sufficit ad rationem accidentis.

DICO. II.—*Genera sunt vel suprema vel proxima vel intermedia: item species vel supremae vel intermediae vel infimae: differentiae pariter vel supremae vel intermediae vel ultimae.*

Ut hanc generum, specierum differentiarumque subordinationem ac coordinationem recte intelligas, duo prae oculis habere debes, quae cum sint etiam pro aliarum rerum intelligentia apprime necessaria, juverit in his explicandis diutius immorari.

47. Primum est.—Quaelibet res sensibilis, quae in mundo existit, propriam naturam habet, quae quidem *una* est, tametsi *composita* ex duplici principio *materiali* sc: et *formali*, quemadmodum post Aristotelem, Platonem, S. Augustinum, S. Thomam, omnes Scholastici Doctores docuere. Haec autem una natura multiplices essendi gradus, ut ita dicam, multiplices proprietates ac operationes habet. Sic. v. g. Sortes est *per se*, est *quantus*, *movetur ab intrinseco*, *sentit*, *discurrit;* idem dic proportionaliter de caeteris. Inter has varias essendi rationes, variasque proprietates operationesve, quaedam sunt *communissimae*, quae sc: non tantum illi sed etiam aliis rebus conveniunt; quaedum *minus communes;* quaedam *adhuc minus;* quaedam illi soli convenientes seu *propriae*. Sic v. g. esse per se non tantum Sorti convenit, sed omnibus substantiis; moveri ab intrinseco principio, non omnibus, sed plantis caeterisque viventibus; sentire non plantis, sed brutis animantibus; discurrere, non equidem brutis animantibus, verum ceteris, quae consimilem naturam specificam cum Sorte habent, convenit. Sunt demum quaedam, quae Sorti tantum, qua Sortes est, conveniunt, atque hae conditiones *individuantes* dicuntur (n. 25. 44.)

Quae cum ita sint, manifestum est, quasdam extare *rationes essendi* vel *operandi*, quibus hujusmodi res cum aliis rebus communicat; quasdam vero, quibus ab iisdem differt. Sic v. g. in eo, quod est *per se esse*, communicat Sortes cum Substantiis immaterialibus; at differt ab his in *Quantitate*:—in hac communicat Sortes cum omnibus Substantiis corporeis; at differt ab his in *motu ab intrinseco recepto*:—in hoc communicat Sortes cum plantis; at differt ab iis in *sensibilitate*, qua carent plantae;—communicat Sortes in sensibilitate cum brutis animantibus; a quibus tamen differt in ratione, qua bruta carent.—

Hoc supposito, considerantes philosphi unam eamdemque rem habere tot modos essendi ac operandi, eam diversis nominibus sig-

nificant, quorum singula rem hujusmodi, prout in ea *peculiaris* quidam modus essendi ac operandi invenitur, exprimunt. Sic v. g. Sortes dictus est *Substantia;* quia per se stat: *corpus;* quia quantitatem habet: *vivens;* quia ad intrinseco movetur: *animal;* quia sensibilitate gaudet: *homo;* quia ratione fruitur. Omnia autem haec nomina unicam tantum naturam Sortis significant, sed sub diversa ratione, i. e. secundum diversos essendi modos, proprietates aut operationes in ipso inventas: non quod talia nomina operationes proprietatesque significent (significant enim rem ipsam ejusque substantiam); sed sunt imposita ad significandam Substantiam ex diversis operationibus proprietatibusque, quae in ea inveniuntur. Nam, ut bene observat S. Thomas, saepe nomina significant aliquam rem, et imponuntur.ad significandum ex aliqua proprietate, quam non significant: unde aliud est *id, quod* significant; aliud vero *id a quo* ad significandum imponuntur. Cf. 1. p. q. 13. a. 8.—et q. 18. a, 2.

Quoniam vero quaedam essendi operandique rationes sint, quibus multa conveniunt; quaedam, quibus differunt: consequenter nomina, quae ab illis sumuntur, alia sunt pluribus communia, alia vero differentia et quibusdam peculiaria. Sic v. g. *Animal* dicitur omne id, quod sensibilitate fruitur; *vivens* omne id, quod ab intrinseco principio movetur; *rationale* illud tantum, quod discurrere potest. Quamobrem haec nomina, quae substantias secundas (de quibus mox agam) significant, alia aliis magis minusve communia sunt, et quaedam *genera,* quaedam *differentias,* quaedam *species* significare dicuntur. Significant genera ea, quae sumuntur ab illo essendi vel operandi modo, in quo res *specifice* diversae conveniunt: significant differentias ea, quae sumuntur ab illo essendi vel operandi modo, quo res *specie* diversae ab invicem *differunt;* significant species ea, quae ab utroque essendi et operandi modo sumuntur, unde dicitur *Species* constare *genere* et *differentia.*—

48. Secundum est.—Quoniam Differentia *determinat* Genus, (n. 44.) consequitur exinde, quod, quo plures paucioresve differentiae adduntur generi, eo plus minusve genus determinatur. Sume v. g. Genus *Substantiae;* de se est indifferens ad corpoream, vel incorpoream substantiam significandam: adde ipsi differentiam *Corporeitatis,* illa prior indifferentia non amplius subsistet, et determinatam Substantiam sc: *Corpus* habebis.—Sed corpus po-

test esse vel organicum vel inorganicum: adde differentiam *organici;* coarctabitur corpus ad significandum *Vivens.*—At vivens, *quantum est de se,* sese protendit ad viventia sive sensu praedita sive sensu carentia: adde Viventi differentiam *Sensibilitatis,* habebis Vivens sensitivum i. e. *Animal*—Verum tam brutum, quam homo potest esse Animal: adde Animali differentiam *Rationalitatis,* determinabis eo ipso Animal ad significandum Animal—rationale i. e. *Hominem.*—

49. Ex dictis coordinationem subordinationemque generum, specierum differentiarumque intelliges. Itaque,

I.—Genus *supremum* est: "illud, quod supra se non habet altius genus," sed notiones tantum analogas. Genus *proximum* est: "illud, quod sub se non habet nisi species." Genus *intermedium* est: "illud, quod tam supra, quam infra se, aliud genus habet." Sic notio *Substantiae* est genus supremum; notio *animalis,* respectu hominis, est genus proximum vel infimum; notiones *corporis, viventis* sunt genera intermedia.

II.—Species *suprema* est: "illa, quae generi supremo immediate succedit." Species *infima* illa est: "quae sub se non habet, nisi individua." Species *intermedia* illa est: "quae alicui speciei subjicitur et sub se alias habet species." Sic *Corpus* est species suprema: *vivens, animal* sunt species intermediae: *homo* est species infima.

III.—Differentia *suprema* adjecta generi supremo constituit speciem supremam. Differentia *ultima* adjecta generi proximo constituit speciem infimam. Differentia *intermedia* adjecta generi intermedio constituit speciem intermediam. Sic *corporea* est differentia suprema: *rationalitas* differentia ultima; *organica, sensibilitas* sunt differentiae intermediae.

Exinde colliges.

Primo.—Eadem notio potest esse generica et specifica, sed *sub diverso respectu.*

Secundo.—Genus supremum est tantum notio generica. Species infima est tantum notio specifica. Genera autem intermedia, quemadmodum et species intermediae, sunt *sub diversa ratione* notiones genericae et specificae.

Cf. Auctorem n. 20.—Cf. pariter Toletum de his, quae communia sunt quinque universalibus. c. VI.

Dico. III.—*Extensio et comprehensio notionis Universalis se habent in ratione inversa.*

50. Haec assertio facile intelligitur, terminis intellectis. Itaque. Primo observa: duo se habent in *ratione inversa,* quando ad invicem comparata, quo magis unum crescit, eo magis alterum decrescit. Observa secundo: *extensio* alicujus notionis universalis est: "numerus subjectorum vel inferiorum, de quibus illa notio praedicari potest:" *comprehensio* autem ejusdem, est: "cumulus notarum, quibus ista notio universalis constat:" hae autem notae sunt, quae exprimunt genus *proximum* et differentiam *ultimam.* (nn. 32. 34.) Sic v. g. in notione *homo,* extensio est numerus individuorum, puta Sortis. Platonis . . . . x; comprehensio est complexus notarum, Substantiae sc: corporeae, organicae, sensitivae, rationalis i. e. *animalitatis—rationalis.*

Hinc vides notionem aliquam, quo magis est extensiva, eo minus esse comprehensivam et vicissim. (Cf. Tabellam II.)

Deduces pariter.

Primo.—In serie universalium, Genus supremum habet *maximam* extensionem, sed *minimam* comprehensionem: Species vero infima habet *maximam* comprehensionem, sed *minimam* extensionem.

Secundo.—Genus supremum est notio tantum *universalis:* Species vero intermedia, universalis pariter et particularis; *universalis,* si referatur ad sua subjecta, *particularis,* si referatur ad sua superiora: Species demum infima est tantum *particularis,* numquam vero *singularis* (n. 25.)

Tertio.—Quidquid continetur in superiori, continetur in inferiori; at non vicissim. Quamobrem ab inferiori ad superius valet illatio: possum enim rite ratiocinari: "Sortes est homo: ergo est animal: ergo est Vivens: ergo est corpus; ergo est Substantia." At pessime ratiocinarer, ajendo: "Sortes est Substantia; ergo est animal; ergo est homo."

Quae hucusque diximus possunt, veluti in compendio, videri in tabula, quae Arbor Prophyrii vocitatur.

ARTICULUS III.

DE PRAEDICAMENTIS.

51. Quae graeco vocabulo *Κατηγορίαι*, latino *Praedicamenta* dicuntur (n. 37). Sunt autem praedicamenta, ut ait Quintilianus 3. c. 7. "elementa, circa quae versari videatur omnis quaestio;" vel ut ait Clemens Alexandrinus: "elementa eorum, quae sunt;" et important series generum et specierum sub uno *supremo genere* contentorum. De his sapienter scripsit Aristoteles, qui horum primus inventor fuisse videtur, tum in Metaphysicis quaestionibus, tum in libro, quem de categoriis ipse inscripsit: "quod opus Aristotelis, ait Cassiodorus, intente legendum est, cum quidquid homo loquitur, inter ista decem praedicamenta inevitabiliter invenitur."

Doctrinam, quam de praedicamentis ipse tradidit, semper maximi fecit Antiquitas, eamque mirifice illustrarunt, inter caeteros, Augustinus, Damascenus, et S. Thomas potissimum in Summa totius Logicae Aristotelis Op. 44.; in lib. Metaphysic. et alibi passim. Mirum proinde videri nequit, si nos aliquid de praedicamentis delibaverimus.—

52. Decem numerantur ab Aristotele praedicamenta sc.: *Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus.* Memoriae juvandae causa, hisce versibus exprimuntur.

Arbor sex servos ardore refrigerat ustos;
Cras ruri stabo, sed tunicatus ero.

Hujus denarii numeri meminit S. Augustinus, cum occurrens Arianis, docet negationem additam non mutare praedicamenta; "Sicut secundum *substantiam* ajo; Homo est: sic secundum substantiam nego, cum dico; non homo est.—Et cum quaeritur, quantus sit, et ajo; quadrupedalis est, idest quattuor pedum, secundum *quantitatem* ajo: qui dicit, non quadrupedalis est, secundum quantitatem negat.—Candidus est, secundum *qualitatem* ajo; non candidus est, secundum qualitatem nego.—Propinquus est, secundum *relativum* ajo; non propinquus est, secundum relativum nego.—Secundum *situm* ajo, cum dico, jacet: secundum

situm nego, cum dico, non jacet.—Secundum *habitum* ajo, cum dico, armatus est; secundum habitum nego, cum dico, non armatus est.—Secundum *tempus* ajo, cum dico, hesternus est: secundum *tempus* nego, cum dico, non hesternus est.—Et cum dico, Romae est, secundum locum aio: et secundum locum nego, cum dico, non Romae est.—Secundum id, quod est *facere*, ajo, cum dico, caedit: si autem dicam, non caedit, secundum id, quod est facere, nego, ut ostendam non hoc facere.—Et cum dico, vapulat, secundum praedicamentum ajo, quod *pati* vocatur; et secundum id nego, cum dico, non vapulat.—Et omnino nullum praedicamenti genus est, secundum quod aliquid ajere volumus, nisi ut secundum idipsum praedicamentum negare convincamur, si praeponere negativam particulam voluerimus." v. de Trinitate c. 7.

53. Conditiones autem requisitae ad hoc, ut aliquid sub praedicamento ponatur, sunt quatuor.

Prima est: ut ens sit *reale* sc: hujusmodi, ut extra mentem in rerum natura existat vel existere possit. (n. 36.)

Secunda est: ut sit ens *per se unum* sc: dicens unicam essentiam *totalem*; nam secus non habet unicum genus, nec proinde poni potest sub praedicamento. Quamobrem concreta accidentalia, eatenus sunt sub praedicamentis, quatenus sumuntur *substantive* i. e. pro formali significato. (n. 27.)

Tertia est: ut sit Ens *completum*: nam partes non sunt propter se sed propter totum, unde *reducuntur* ad praedicamentum totius: v. g. manus, cor etc., ad praedicamentum Substantiae. Hinc abstracta substantiva. v. g. corporeitas, animalitas, humanitas, non sunt *directe* in praedicamento: item differentiae. Qua in re observa aliquid sub praedicamento contineri posse quadrupliciter.—Primo *directe*:—ut prima substantia sc: individuum; item species, genera, quae lineam rectam constituunt.—Secundo *indirecte*; vel a latere: ut sunt differentiae, quae in linea laterali sunt, et ad constitutionem specierum, quae sunt in linea recta, ordinantur.—Tertio *reductive*:—et sic ad praedicamentum pertinent omnia illa, quae sunt principium eorum, quae in linea sunt, ut puta materia et forma, quae sunt principia speciei; partes integrantes, quae sunt principia individuorum; punctum, quod est principium lineae; unitas, quae est principium numeri.—Quarto *per accidens*: et sic ad praedicamentum pertinet id, quod cum non sit aliquid ex praedictis, est tamen quodammodo *via ad illud*. Sic v. g. cor-

ruptio et generatio pertinent ad praedicamentum Substantiae: quia sunt veluti via ad Substantiam; alteratio ad qualitatem; motus denique ad praedicamentum illius rei, ad quam motus vel mutatio fit.

Quarta est: ut sit Ens *finitum*.—Ens enim Increatum, sc: Deus, sub praedicamento poni nequit. Nam id, quod sub praedicamento ponitur, est *limitatum* ad illud, nec ultra illud extenditur: in super *constat genere et differentia*. Jamvero Deus infinitam habet perfectionem et omnimodam simplicitatem.—Ens autem *in genere* nec etiam sub praedicamento ponitur; nam non praedicatur de inferioribus nisi *analogice*. (n. 24.) Quamobrem, licet sit *Principium* categoriarùm, Praedicamentum tamen esse nequit. Atque inde factum est, ut Ens *transcendentale* dicatur. (Cf. S. Thomam 1. p. q. 3. a. 5.).

His in antecessum praenotatis, modo ad ipsa praedicamenta consideranda gradum facimus, et primo partitionem datam *adaequatam* esse probabimus; secundo unumquodque praedicamentum, quantum fert necessitas, declarabimus; agentes, distinctis paragraphis, de uniuscujusque descriptione, partitione ac proprietatibus, subtiliores quaestiones, quae agitari possunt circa intimam uniuscujusque praedicamenti naturam, ad Metaphysicam, tamquam ad proprium locum, remittentes.

Dico.—*Jure meritoque decem ab Aristotele enumerantur Praedicamenta.*

Cf. S. Thomam v. Met. l. 9.—III. Phys. l. 5.

54. Probatur.—Tot sunt praedicamenta, quot sunt *generales essendi modi*. Modi autem essendi *proportionales* sunt modis praedicandi.

Jam age aliquid de aliquo tripliciter potest praedicari. Primo modo;—quando indicat id, quod *ad essentiam Subjecti* pertinet. Secundo modo;—cum indicat id, quod non est de essentia ejus, verumtamen *ei inhaeret*. Tertio modo;—cum denotat aliquid, a quo Subjectum *extrinsece denominatur*. Aliis verbis, praedicatum sumi potest vel ab *essentia* subjecti, vel ab aliquo, quod est subjecto *inhaerens*, vel demum ab aliquo, quod est *extrinsecum* subjecto.

Si primum contigerit, habebitur—*a*) Praedicamentum *Substantia*, de qua omnia praedicantur vel *essentialiter*, vel *accidentaliter*, vel *denominative* tantum. Si secundum contigerit; tunc vel hoc accidens inest subjecto absolute, vel per respectum ad aliud; si *absolute*, erit vel *Quantitas* vel *Qualitas*:—*b*) Quantitas, si extendit substantiam corpoream;—*c*) Qualitas, si illam modificat in se: si per respectum ad aliud inest subjecto, habebitur—*d*) *ad Aliquid* seu *Relatio*.—Quantitas dicitur consequi materiam, qualitas vero formam, quod idem est ac dicere; ratio propter quam inest alicui quantitas, est quia substantia materialis est: ratio autem, propter quam inest alicui substantiae qualitas, est forma. Quamobrem quantitas non invenitur nisi in substantiis materialibus; qualitas vero potest inveniri et de facto invenitur etiam in substantiis immaterialibus, cujusmodi sunt Angeli, anima humana.—Cf. Kleutgen trac. 7. C. IV. s. 1. n. 702. ad 706.

Si tertium contigerit, idest si illud, quod subjectum denominat, est aliquid extrinsecum; vel denominat Subjectum—*e*) tamquam *mensura* ipsius quantitatis: et sic est *Ubi* scilicet esse in loco continenti et mensurante quantitatem locati.—*f*) tamquam *mensura* extensionis localis, per modum certae cujusdam coaptationis partium locati ad locum: et sic erit *Situs*.—*g*) tamquam *mensura* operationis seu durationis subjecti: et sic erit *Quando*.—*h*) per modum *indumenti* vel *ornamenti* superadditi: et sic erit *Habitus*.—*i*) tamquam *principium, a quo* est: et sic erit *Actio*.—*l*) tamquam *terminum, in quo*, est: et sic erit *Passio*.

Haec duo ultima praedicamenta sub *aliquo respectu* videntur esse intrinseca; sic v. g. calefactio, quae procedit ab igne et recipitur in aqua, inest igni secundum suum *principium*, siquidem calor, qui in igne est, illam producit; non item secundum terminum, quippe calor productus, qui est terminus actionis, est in aqua vel in quavis alia re calefacta. Quamobrem actio secundum *principium* inest agenti, non item secundum terminum; e contra passio inhaeret patienti secundum *terminum*, non item secundum principium. Idcirco haec praedicamenta possunt dici partim inhaerere, partim non inhaerere.—

Ut perspicis, ex his decem praedicamentis, unum exprimit modum essendi *in se* et *per se*, sc: praedicamentum *Substantia*: cetera vero exprimunt modum essendi *in alio*; et quoniam hic

modus multiplex est, varia quoque sunt accidentia, quae tamen ad novem classes revocantur. Cave tamen ne confundas accidens *praedicamentale* cum accidenti *praedicabili.* Tametsi enim ambo in aliquo conveniant, in alio tamen ab invicem discrepant. Conveniunt in eo, quod utrumque exprimit rem, cui *competit esse* in alio sc: *subjecto.* Differunt vero in eo, quod primum sc: Categoricum denotat id quod opponitur rei, quae est in se, sc: Substantiae; secundum sc: praedicabile, denotat illud praedicati genus, quod mens intelligit advenire essentiae rei jam constitutae, sive hoc sit *Accidens Speciei,* sive sit *Accidens individui* i. e. quintum praedicabile. Cf. Auct. n. 19.

55. Juverit hic ex integro afferre textum S. Thomae in III. Physicorum lect. v: est enim sapientia et pulchritudine plenus.

"Ens dividitur in decem praedicamenta non *univoce* sicut genus in species, sed secundum *diversum modum essendi.* Modi autem essendi proportionales sunt modis praedicandi; praedicando enim aliquid de aliquo altero, dicimus hoc esse illud; unde et decem genera entis dicuntur decem praedicamenta. Tripliciter autem fit omnis praedicatio.

"Unus quidem modus est, quando de aliquo subjecto praedicatur id, quod pertinet ad essentiam ejus, ut cum dico "Socrates est homo," vel "Homo est animal;" et secundum hoc accipitur praedicamentum *Substantiae.*

"Alius autem modus est, quo praedicatur de aliquo id, quod non est de essentia ejus, tamen inhaeret ei; quod quidem vel se habet ex parte materiae subjecti, et secundum hoc est praedicamentum *Quantitatis;* nam quantitas proprie consequitur materiam. . . . Aut consequitur formam, et sic est praedicamentum *Qualitatis:* unde et qualitates fundantur super quantitatem, sicut color in superficie, et figura in lineis vel in superficiebus. Aut se habet per respectum ad alterum, et sic est praedicamentum *Relationis;* cum enim dico "Homo est pater," non praedicatur de homine aliquid absolutum, sed respectus, qui ei inest ad aliquod extrinsecum.

"Tertius autem modus praedicandi est, quando aliquod extrinsecum de aliquo praedicatur per modum alicujus denominationis. Sic enim et accidentia extrinseca de substantiis praedicantur; non tamen dicimus, quod homo sit albedo, sed quod homo sit albus. Denominari autem ab aliquo extrinseco invenitur quidem quodam-

modo communiter in omnibus; et aliquo modo specialiter in iis, quae ad homines pertinent tantum.

"Communitur autem invenitur aliquod denominari ab aliquo extrinseco, vel secundum rationem causae, vel secundum rationem mensurae (denominatur enim aliquid causatum et mensuratum ab aliquo exteriore). Cum autem quatuor sint causarum genera, duo ex his sunt partes essentiae, scilicet materia et forma: unde praedicatio, quae posset fieri secundum haec duo, pertinet ad praedicamentum substantiae; utpote si dicamus quod "homo est rationalis" et "homo est corporeus." Causa autem finalis non causat seorsum aliquid ab agente: in tantum enim finis habet rationem causae, in quantum movet agentem. Remanet igitur sola causa agens, a qua potest denominari aliquid sicut *ab exteriori*. Sic igitur secundum quod aliquid denominatur a causa agente, est praedicamentum *Passionis*, nam pati nil est aliud, quam "suscipere aliquid ab agente." Secundum autem quod e contra denominatur causa agens ab effectu, est praedicamentum *Actionis:* nam actio est "actus ab agente in aliud," ut supra dictum est.—Mensura autem quaedam est intrinseca, quaedam est extrinseca. Intrinseca quidem, sicut propria longitudo uniuscujusque, et latitudo et profunditas: ab his ergo denominatur aliquid sicut ab intrinseco inhaerente: unde pertinet ad praedicamentum Quantitatis. Exteriores autem mensurae sunt Tempus et Locus. Secundum igitur quod aliquid denominatur a tempore est praedicamentum *Quando:* secundum autem quod denominatur a loco est praedicamentum *Ubi* et *Situs:* quod addit supra Ubi ordinem partium in loco. Hoc autem non erat necessarium addi ex parte temporis, cum ordo partium in tempore in ratione temporis importetur; est enim tempus "numerus motus secundum prius et posterius." Sic igitur aliquid dicitur esse Quando vel Ubi per denominationem a tempore vel a loco.

"Est etiam aliquid speciale in hominibus. In aliis enim animalibus natura dedit sufficienter ea, quae ad conservationem vitae pertinent, ut cornua ad defendendum, corium grossum et pilosum ad tegendum, ungulas vel aliquid hujusmodi ad incidendum sine laesione. Et sic cum talia animalia dicuntur armata, vel vestita, vel calceata, quodammodo non denominantur ab aliquo extrinseco sed ab aliquibus suis partibus; unde hoc refertur in iis ad praedidicamentum substantiae, ut puta si diceretur, quod homo est manuatus vel pedatus. Sed hujusmodi non poterant dari homini a

natura, tum quia non conveniebant subtilitati complexionis ejus, tum propter multiformitatem operum, quae conveniunt homini, in quantum habet rationem, quibus aliqua determinata instrumenta accomodari non poterant a natura, sed loco omnium inest homini ratio, qua exteriora sibi praeparat loco horum, quae aliis animalibus intrinseca sunt. Unde, cum homo dicitur armatus vel vestitus vel calceatus denominatur ab aliquo extrinseco, quod non habet rationem neque causae neque mensurae; unde est speciale praedicamentum, et dicitur *Habitus*." Cf. etiam v. Metaphysicorum lec. 9.

§. I.

DE PRAEDICAMENTO SUBSTANTIAE.

Substantiae notio, enumeratio, passiones elucidantur.

56. *Declaratio Nominis—Substantiae* vox quandoque usurpatur ad significandam essentiam vel naturam sive ejus rei, quae proprie est Substantia, sive ejus rei, quae est Accidens. Proprie tamen et rigorose sumitur ad significandum *specialem essendi modum*, qui competit alicui rei, essendi sc: *in se* et *per se:* et hac ratione opponitur Accidenti, cui competit *esse in alio* tamquam *in subjecto* inhaerentiae. Sub hac secunda ratione Substantia hic sumitur et speciale praedicamentum constituit.

Jam age, vox *Substantia,* hoc posteriori sensu accepta, duplicem habet etymologiam: derivatur enim vel a *Subsistendo* vel a *Substando.* I.—a *Subsistendo:* nam, ut ait Augustinus: "sicut ab eo, quod est esse, appellatur essentia; ita ab eo quod est *Subsistere,* substantiam dicimus. "7. de Trinitate c. 4.—II. a *Substando:* nam ut ait Aristoteles: "Haec autem omnia ex eo dicuntur Substantiae, quod non de subjecto dicuntur, sed de eis cetera." 5. Metap. c. 3. Unde Isidorus 2. Etym. c. 26: "Substantia est, quae proprie et principaliter *substare* dicitur:" et Augustinus lib. Categor. c. 5. ait Substantiam graece dictam esse ὑποκείμενον. Duae proinde rationes vel proprietates in nomine Substantiae indicantur: una absoluta est, sc: *essendi in se, per se,* quam nos propter ejus simplicitatem et nostrum imperfectum cognoscendi modum per negationem *essendi in Subjecto* declaramus; alia quasi respectiva est, sc: *substentandi* accidentia. (Cf. Suarez D. M. 33. s. 1.) Hoc autem

nomen Substantiae, tametsi desumptum sit ab his substantiae proprietatibus, non tamen has proprietates significat, sed naturam significat, quae proprietatibus his fruitur; nam, ut supra ex S. Thoma observavimus. (n. 47.) Saepenumero nomina aliquam rem significant, et tamen inponuntur ad significandum ex aliqua proprietate, quam non significant. Sic v. g. lapis ideo dictus est; quia laedit pedem; non ideo tamen nomen lapidis hanc significat proprietatem, sed rem illam, quae substantia est. Idipsum pari ratione verificatur in nomine Substantiae. Significat enim quamdam naturam, quae *est in se* et *non in Subjecto;* quae *substat accidentibus:* hanc vero naturam absolute significat, tametsi ab illis proprietatibus essendi sc.: in se et sustentandi, fuerit impositum. Ratio autem ultima ex imperfectione humanae cognitionis est desumenda. Nam quoniam de hac natura secundum se loqui non possumus, quia intuitive eam non cognoscimus, per suas proprietates, quae nobis innotescunt, illam manifestamus.

57. *Declaratio Rei per nomen significatae.*—Est itaque Substantia: "res per se subsistens:" item "id, quod accidentibus substat." Prior descriptio *principalis* est et essentiam rei attingit, posterior *secundaria:* nam substare accidentibus est aliquid secundarium in Substantia, consequiturque modum essendi in se et per se, quem habet Substantia.

In priori descriptione duo velim observes.

Primum est.—*το esse in se* et *per se* excludit a ratione substantiae subjectum, cui ipsa *inhaereat;* non item causam, a qua pendeat, si de substantia finita agitur: ita ut sensus sit: Substantia est "res, quae habet esse *in se* et *per se,* quin indigeat subjecto *inhaesionis;* non autem quod non indigeat causa, a qua pendeat," si finita substantia est. Id enim, quod a causa non pendet, dicitur habere esse, non tantum *in se* et *per se,* sed *a se;* quod equidem solius Dei proprium est; quippe Ipse Substantia est et Causa prima omnium rerum.—

Secundum est.—το esse *in se* et *per se* (quando sermo est de creaturis) sumi debet non *actualiter,* sed *aptitudinaliter* et *exigitive* ita ut sensus sit; substantia est: "ens, cui debetur existere in se et per se;" vel etiam substantia est: "res, cui competit esse in se et per se." In metaphysica rationem hujus rei dabimus. (Cf. S. Th. I. con. Gent. c. 25.—S. Theol. 1. p. q. 3. a. 5. ad 1um—3. p. q. 77. a. 1. ad 2.—

58. *Enumeratio.*—Substantia, juxta Aristotelem, est vel Prima vel Secunda. Substantia *prima* est:—ens illud, quod nec in subjecto est, nec de subjecto dicitur;" cujusmodi sunt omnes substantiae singulares; quamobrem ab Aristotele nuncupatur *hoc aliquid.* Substantiae vero *secundae* dicuntur genera et species in linea substantiae: haec enim, tametsi de substantia prima praedicentur (quam ob rem substantia prima dicitur *subjectum praedicationis* respectu ipsarum); non sunt tamen in substantia prima, tamquam in subjecto inhaesionis; et sub hoc respectu distinguuntur ab accidentibus, quibus competit esse in substantia prima, tamquam *in subjecto inhaesionis.* Quaeres.—Cur Philosophus individua substantias primas, genera autem et species substantias secundas appellat?—Respondeo. Quia individua sunt maxime substantiae: siquidem individuis principalius competit *subsistere in se* et *substare accidentibus:* non enim homo in communi subsistit in se, studet, etc. sed Sortes aut Plato. Genera autem et species non subsistunt nisi in individuis cum quibus identificantur, atque idcirco eatenus ratio et denominatio substantiae ipsis competit, quatenus in individuis sunt et cum ipsis identificantur. Hujus denominationis penitiorem rationem dabimus quando agemus de objectivo valore notionum universalium.

Ex dictis colliges.

I.—Substantia *prima* est, quae primam categoriam constituit: hanc autem non constituit, prout ipsa denotat hoc vel illud individuum, puta Socratem, vel Platonem: nam tali modo accepta nequit esse supremum praedicandi genus (n. 25.), sed illam constituit, prout denotat *specialem modum essendi* sc: *in se* et *per se* omnibus individuis *communem*

II.—Haec divisio Substantiae in primam et secundam, non est divisio generis in species, sed potius *analogi in analogata* (n. 24.) Nam ratio Substantiae per prius competit *primae;* quippe haec per se maxime est, et maxime substat; per posterius autem *secundis substantiis* competit; siquidem hae, nonnisi ratione substantiae primae, rationem ac denominationem *substantiae* habent.

59. *Passiones Substantiae.*—Denominantur passiones quaedam attributa vel affectiones a substantia non distinctae realiter, quae attribui solent substantiae: quia per eas Substantia nobis fit manifesta. Sex autem enumerantur ab Aristotele.

Prima est.—*Non inhaerere Subjecto.* Per hanc differt substantia ab accidenti. Competit haec passio substantiae sive primae, sive secundae.

Secunda est.—*Non habere contrarium, ratione sui.* Nam contraria ea sunt, quae se expellunt mutuo a subjecto; quoniam igitur substantia non est in subjecto, nequit expellere a subjecto aliam formam. Dixi *ratione sui:* nam potest una substantia alteri esse contraria *ratione qualitatum contrariarum.*

Tertia est.—*Non suscipere magis et minus.* Nam, tametsi una substantia possit esse perfectior altera, nequit tamen eadem substantia esse modo magis, modo minus substantia, quemadmodum idem calor potest esse magis minusque intensus.

Quarta est.—*Esse subjectum contrariorum.* Contraria enim debent esse in subjecto: subjectum autem et basis omnium accidentium est substantia.

Quinta est.—*Praedicari univoce de inferioribus.* Competit tantum secundis substantiis; et primae, quatenus *subsistentiam* denotat (n. 58).

Sexta est.—*Esse hoc aliquid.* i. e. aliquid per se subsistens et *substantive* expressum. Competit tantum substantiae primae, et sic distinguitur tum a substantia *secunda*, ut diximus; tum ab *accidentibus*, quae solum significant *quale* et exprimuntur *adjective.*

§. II.

DE PRAEDICAMENTO QUANTITATIS.

Quantitatis Notio—Divisio—Passiones traduntur et explicantur.

60. *Quantitas* est nomen abstractum, cui respondet nomen concretum *Quantum.* Et quoniam concreta sunt nobis faciliora et magis nota ex eisque, tamquam ex effectibus, facilius cognosci possunt abstracta, hinc a definitione *Quanti* aggrediamur oportet.

Jam age quantum dici potest aliquid dupliciter. Primo: *Quantum per accidens*, et hujusmodi sunt ea omnia, quae quantitatem participant, ut v. g. *a*)—substantiae omnes materiales, quae quantae sunt, non ratione *sui*, sed ratione *quantitatis*, quae ipsis inhaeret; *b*)—actiones et passiones, quae longae vel breves dicuntur.

ratione *temporis*, quo fiunt: *c*)—motus, qui longus vel brevis dicitur, ratione *loci*, quem mobile percurrit.—Secundo: *Quantum per se* (quod etiam *corpus Mathematicum* dici solet; cum in corpore mathematicus non considerat nisi quantitatem): et hujusmodi non est nisi ipsa quantitas, sumpto concreto pro abstracto, quemadmodum est in usu apud philosophos.

61. *Descriptio Quanti.*—Jam age *Quantum per se* describitur a Philosopho: "*Quod est divisibile in ea, quae insunt, quorum utrumque vel unumquodque, unum quid et hoc aliquid aptum est esse.*" Quae verba idem sonant, ac illud dici *Quantum*, quod sic habet partes, ut hae invicem separatae possint individuum constituere. Frange lignum v. g.: habebis duas partes, quarum unaquaeque individuum est et rationem quanti habet.

Ad declarationem definitionis quod attinet.

Adverte I.—Quantum dici, quod est divisibile in ea, *quae insunt:* sc.: in ea, quae in ipso quanto *formaliter* ac *realiter* sunt; quamobrem excluduntur ea, quae in aliquo *virtute* tantum continentur, ut sunt v. g. elementa in mixto, puta hydrogenium et oxygenium in aqua. Quamvis enim aqua in elementa, quibus componitur, resolvi posset; tamen aqua non praecise est quanta, quia illis elementis componitur, quippe illa elementa nonnisi *virtute* tantum in aqua remanent. Intelliges etiam partes, in quas ipsum quantum dividi potest, esse in quanto secundum suas *partiales entitates:* nam tametsi ante divisionem nulla earum sit *unum quid* et *hoc aliquid* (nam hoc non nisi facta divisione, habet): tamen secundum eam entitatem, secundum quam post divisionem fieri possunt *hoc aliquid*, *realiter* ac *formaliter* sunt in ipso quanto ante divisionem.

Adverte II.—Dici has partes hujusmodi esse debere, ut etiam post divisionem unaquaeque ipsarum (sive duae sint, sive plures) possit esse *unum quid* et *hoc aliquid:* idest rationem divisi participare, et unum quod ab aliis separatum manere. Quamobrem *a*)—excluduntur a ratione quantitatis omnia composita, puta substantiae materiales. Nam tametsi haec possint in sua componentia substantialia resolvi, ut puta quando in morte anima separatur a corpore, non tamen ideo hujusmodi componentia manent *unum quid* et *hoc aliquid*, ut suo loco fusius docebimus. Excluduntur *b*)—pariter potentiae et accidentia. Nam tametsi haec possint esse alicujus subjecti partes, quemadmodum sunt intellectus et voluntas, quae *partes* animae *potestativae* sunt, tamen

non sunt *unum quid* et *hoc aliquid* i. e. unum individuum vel subjectum, nec *per se seorsim* a subjecto *naturaliter* esse queunt. Insinuatur pariter divisionem illam, quantum est *ex parte quantitatis* et praecise *vi quantitatis*, non habere finem. Unde dici solet: "corpus *mathematicum* (non autem corpus *naturale*) esse divisibile in infinitum, in quo nil est repugnans divisioni infinitae." S. Thomas Op. de sensu et sensato lect. 15.—Cf. item qq. DD. de Pot. q. 4. a. 1. ad 1um.

62. *Descriptio Quantitatis.*—Intellecto concreto, intelligitur abstractum. Itaque quantitas est: "ratio partium ejusdem rationis," sc: ipsa est ratio cur Subjectum habet partes ejusdem rationis. Item describi solet: "ratio divisibilitatis: "ratio mensurabilitatis;" "ratio aequalitatis vel inaequalitatis;" ratio finitudinis." Quae quidem descriptiones desumuntur ex *effectibus* et *proprietatibus* quantitatis. Has autem tribuit Quantitas Subjecto *formaliter*; quatenus sc: est forma (utique *accidentalis*) qua Subjectum (i. e. Substantia corporea) partes ejusdem rationis habet: et quia has habet, *divisibilis, mensurabilis* . . . . . est.

63. *Divisio Quantitatis.*—Quantitas, quatenus est "ratio partium," se habet veluti quoddam *genus supremum*, cujus *species supremae* sunt quantitas *continua* et *discreta*, magnitudo sc: et multitudo, quarum unaquaeque alias species sub se continet, ut mox dicam. Ratio autem cur quantitas sic inspecta i. e. "ut *ratio partium*," sit genus, est; quia, ut sic, praedicatur *in Quid* de suis speciebus: unde est *genus* (n. 43). Hac animadversione praejacta, sequentes descriptiones intelliges.

Quantitas *Continua* est: "illa, cujus partes communi termino copulantur;" *Discreta* est: "illa cujus partes termino communi non copulantur." Terminum autem *communem* appello, terminum illum, qui sic unam partem terminat, ut unus idemque etiam partem subsequentem terminet; atque idcirco neutrius partis *proprius* terminus dici potest. Sic v. g. duae partes alicujus lineae continuantur unico puncto medio, quod *unicum* est et utriusque partis *extremum*. Hinc vides lineam esse quantitatem continuam: vides etiam numerum *praedicamentalem* esse quantitatem discretam: quippe v. g. quinque et quinque, quae sunt partes denarii, nullo communi termino copulantur: omnes namque unitates sunt separatae i. e. *discretae* inter se.

Quantitatis continuae quinque assignari videntur species ab Aristotele sc: *Linea, Superficies, Corpus* (intellige *mathematicum*).

Item *Locus*, *Tempus*. Sed de postremis duobus dubium esse potest, ut mox dicam.

Linea est *longitudo* sola corporis, praetermissa latitudine et profunditate; hujus extrema sunt *puncta*. Definiri potest: "ratio partium in continuo, secundum *longitudinem*:" vel etiam: "quantitas *continua*, cujus partes copulantur in *puncto*."

Superficies est *latitudo* extrema alicujus corporis, praetermissa profunditate: hujus extrema sunt *lineae*. Definiri potest; "ratio partium continuarum, secundum *latitudinem*:" vel etiam: "quantitas *continua*, cujus partes copulantur in *linea*."

Corpus mathematicum seu *Solidum* est profunditas ipsa substantiae; hujus extrema sunt *Superficies*. Definiri potest; "ratio partium continuarum secundum *profunditatem*:" vel etiam quantitas *continua*, cujus partes copulantur in *Superficie*."

Tempus et *Locus* describuntur a quibusdam ita, ut *Locus* esse dicatur; "ratio partium continentium aliquid:" vel etiam; "superficies ultima corporis continentis:" *Tempus* vero esse dicatur: "ratio partium successivarum in continuo:" vel etiam: "quantitas continua successiva, cujus partes instanti copulantur." (Cf. Toletum de quantitatis Praedicamento.) Utrum vero istae descriptiones rei veritati respondeant nec ne, quaestio est in Metaphysica solvenda.

Quaeres.—Quaenam ex his, species sunt quantitatis continuae?

Respondeo. I.—Certum est *Lineam*, *Superficiem*, *Solidum* esse quantitates continuas, proprie dictas. His namque competit definitio quantitatis continuae. Quemadmodum enim partes lineae communi termino, i. e. *puncto*, copulantur; ita partes superficiei communi termino, i. e. *linea;* et partes solidi communi termino, i. e. *superficie*, copulantur.

Respondeo. II.—Disputatur inter philosophos utrum *Locus* et *Tempus* sint quantitatis continuae species *proprie* dictae. Quidam affirmant. Nam I.—in *tempore* videtur verificari definitio quantitatis continuae; unde definiunt tempus "rationem partium successivarum (sc: praeteriti, praesentis, futuri) in continuo:" vel etiam; "quantitas successiva continua cujus partes (sc: praesens et futurum) instanti (sc: praesenti) copulantur." II.—definitio quantitatis continuae verificatur etiam in *loco;* nam, inquiunt, partes *rei locatae* copulantur aliquo communi termino; ergo etiam ipsius *loci* partes. Etenim singulae loci partes correspondent partibus

rei locatae: ergo, quemadmodum in re locata datur pars seu terminus continuans ejus partes, ita pariter correspondet in loco terminus continuans partes loci.—Alii e contra id negant ea potissimum ratione ducti, quod *Tempus* sit ens essentialiter incompletum; (n. 53.) cum ejus partes numquam *coexistunt: Locus* autem non videtur addere novum modum extensionis supra superficiem, cum nil aliud dicat nisi ambire vel continere corpus. Pro utraque opinione affertur auctoritas Aristotelis et S. Thomae. Quid igitur nos dicemus?

Respondeo III.—Res non est magni momenti, et fortasse eam in metaphysica (nam quaestio mataphysica est,) discutiemus. Qui voluerit, Cf. Toletum de praed. quantitatis:—Goudin de quantitate art. 3.—Suarez. D. M. XL. ss. 7. et 9.

64. Quantitatis discretae duae assignantur species ab Aristotele *Numerus* et *Oratio.*

Numerus est: "ratio partium discretarum:" et etiam describi potest; "continuorum permanentium mensura discreta." Quibus verbis intelliges, numerum *praedicamentalem* resultare ex divisione *continui*: ac proinde non posse reperiri, nisi in rebus corporeis: atque ita distingui a numero *transcendentali,* qui reperitur etiam in rebus spiritualibus: dicimus enim; "*unus Deus in tribus Personis*:" et apud Danielem loquentem de Angelis:" *millia millium* ministrabant Ei (Deo Optimo Maximo) et *decies millies centena millia* assistebant Ei." Cf. Suarez. D. M. XLI. s. 2.

Oratio hic sumitur, quatenus est vox aggregata ex pluribus sonis distinctis et sibi succedentibus, v. g. vox *Dominus.* Describi solet: "successivorum mensura discreta."

Quaeres.—Quaenam ex his est *species* quantitatis discretae?

Respondeo I.—Certum est *numerum* esse quantitatem *discretum:* tum quia in ipso verificatur definitio quantitatis discretae; tum quia secus, nulla esset quantitas discreta: quod ultimum est inconveniens.

Respondeo. II.—Disputant vero philosophi circa *Orationem.* Quidam arbitrantur, ipsam esse quantitatem discretam: *quantitatem* quidem, quia orationi insunt passiones quantitatis; dicitur enim oratio *longa, brevis: discretam* vero, quia ipsius partes i. e. syllabae, quemadmodum unitates in numero, nulli communi vinculo copulantur. Alii autem id negant. Ratio ipsorum est; quia extensio illa, quae reperitur in voce pluribus syllabis con-

stante, vel est *multitudinis extensio*, quatenus illae syllabae multae sunt; vel est *extensio durationis*, in quantum una syllaba velocius altera profertur. Si primum dixeris, reducitur oratio ad *numerum:* si secundum, ad *tempus.* Ergo non videtur oratio addere novum modum extensionis. Quid igitur dicendum?

Respondeo III.—Res magni momenti non est. Habes argumenta utrinque; quid volueris, selige.

65. *Passiones Quantitatis.*—Proprietates quantitatis sunt duplicis generis. Aliae sunt *physicae*, eaeque sunt *extensio localis*, *impenetrabilitas, mensurabilitas, divisibilitas, finitudo:* omnis namque substantia corporea, quia est quanta—*a*) *extenditur* ad certum locum; —*b*) *expellit* alia corpora a loco a se occupato;—*c*) *divisibilis* est in partes integrantes;—*d*) *mensurari* potest, assumpto alio quanto in mensurae unitatem:—*e*) *finita* est: et has proprietates, quas experientia in corporibus extare docet, in metaphysica considerabimus. Aliae proprietates sunt *logicae*, et *passiones Quantitatis* (n. 59.) dicuntur; eaeque sunt tres.

Prima est.—*Non habere contrarium proprie dictum.* Ratio est quia contraria *mutuo se expellunt* a subjecto et *mutuo pugnant* inter se (n. 28.) Jamvero quantitas cum alia quantitate non pugnat, nec eam expellit a subjecto; quia ad hoc *actio* requireretur; quantitas autem *per se* activa non est. Dices magnum et parvum, multa et pauca ad quantitatem pertinent, et tamen videntur esse contraria. Respondeo. Magnum et parvum, multa et pauca non competunt quantitati *secundum se* spectatae sed *respective* ac proinde ratione alterius praedicamenti, quod *ad Aliquid* dicitur; sic v. g. mons dicitur magnus vel parvus *relate* ad alios montes. Hac in re observa quantitatem posse considerari dupliciter. Primo, ut quaedam quantitas est, et sub *ratione quantitatis* praecise. Secundo prout *admixta* vel *conjuncta* est cum qualitatibus vel alia ratione alterius generis. Sic. v. g. linea potest considerari, ut *linea* est, et ut *curva* vel *circularis* est; item superficies potest considerari, ut *superficies*, et ut est *aspera lenisve;* item *tempus* considerari potest, ut est *tempus* praecise (in hypothesi quod sit quantitas) et quatenus importat *lumen* vel *carentiam luminis.* Si quantitas priori modo consideratur, contrarium non patitur; si posteriori, poterit utique habere.

Secunda est.—*Non suscipit magis et minus.* Ratio est; quia haec duo sc: *habere contrarium*, et *suscipere magis et minus* maxi-

me conjuncta sunt; quippe intensio vel remissio ex contrariorum mixtione proveniunt. Cum igitur quantitas non habet contrarium, consequens est, ut non suscipiat magis vel minus. Quamobrem licet quantitas possit crescere et minui, atque idcirco fieri *major* vel *minor;* non propterea tamen evadet *magis* quantitas: minima enim quantitas aeque perfecta est ac maxima quantitas in eadem specie.

Tertia est.—Secundum quantitatem *res dicuntur aequales vel inaequales.* Id proprium est quantitatis. Nam cum ipsa facit subjectum *mensurabile,* reddit illud consequenter aequale vel inaequale alteri. Nam aequalia sunt: "quae conveniunt in mensura;" inaequalia vero; "quae discrepant in mensura." Hic unum adnota, quod aequalitas, quemadmodum et quantitas, tribuitur etiam rebus spiritualibus; at *metaphorice* tantum. Sic dicimus; Deus *magnus,* Personae Divinae sunt *aequales,* gratia BB. Virginis *superat* omnem gratiam Angelis et Sanctis collatam. Quantitas hujusmodi dicitur *quantitas virtutis* et differt a quantitate *molis,* de qua hucusque egimus.—

§. III.

DE PRAEDICAMENTO AD ALIQUID.

Relationis natura—partitio—proprietates elucidantur.

66. "Ad aliquid [sumendo *concretum* pro *abstracto* (n. 60.)] sunt, quibus hoc ipsum est esse, aliquo modo se habere ad aliquid;" ait Philosophus. Aliis verbis; "ea dicuntur ad aliquid i. e. *relativa,* quorum natura est, ad aliquid, aliquo modo, se habere."

Exinde deducere jam poteris.

Primo.—Unum relativum non posse *definite* i. e. particulariter et determinate cognosci, nisi cognoscatur *definite* ipsius correlativum. Id patet: *a*)—ex *definitione* mox tradita. Nam quoniam natura eorum, quae sunt ad aliquid, tota est *ad aliud;* non poterit consequenter ipsorum natura cognosci, nisi *simul* cognoscatur id, ad quod *referuntur. b*)—*inductione.* Nam si quis *determinate* cognoscat hoc duplum v. g. denarium, debet eo ipso cognoscere *determinate* dimidium illud sc: quinarium,

cujus est duplum: item si aliquis cognoscat aliquid esse altero melius, debebit eo ipso cognoscere id, quod est illo deterius.—Secundo. Quoniam autem substantiae substantiarumve partes cognosci *determinate* possunt, quin cognoscantur *determinate* ea, quorum sunt partes; vel id, ad quod fortasse *referri* possunt, consequenter Ipsae non sunt *ad aliquid.*

66. Intellecto quomodocumque *concreto*, intelliges *abstractum.* Est igitur Relatio *generatim* inspecta: "respectus vel habitudo unius rei ad aliam." Quam definitionem simulque naturam Relationis ut penitius mente teneas, multa sunt distinguenda: multa sunt definienda. At distinguendo et definiendo paritur scientia. Quamobrem.

Primo observandum est.—Quemadmodum omnis substantia dicitur *substantia* ex illa intrinseca proprietate vel modo essendi quem habet, sc: *in se* et *per se*, ita pariter ab illa intrinseca proprietate vel modo essendi quem habet accidens sc: *in alio* (i. e. *inhaerentia*) omne accidens est ac denominatur *accidens.* Ac idcirco sicut quaelibet substantia est *in se* et *per se;* ita omne accidens est *in substantia* sc: in alio, tamquam subjecto inhaesionis. (n. 54. 56.)

Verum enimvero accidentia duplici ratione in subjecto esse atque *ipsi inhaerere* possunt. Quaedam namque accidentia inveniuntur, quae *subjecto insunt:* at subjectum *non ordinant ad aliquid* aliud, quod extra subjectum illud inveniatur; atque haec accidentia propterea dicuntur *Absoluta.* Hujusmodi sunt v. g. quantitas, qualitas. Quantitas enim, quae substantiae *materiali* inest, eam extendit in partes (n. 62.): non tamen illam ordinat ad aliquid extrinsecum. Idem dic de qualitate, quae substantiae (sive haec materialis sit, sive immaterialis,) inest eamque modificat in ordine ad seipsam, ut inferius explicabo.—Alia vero accidentia sunt, quae subjecto insunt, *simulque* illud ordinant ad aliud, quod extra subjectum invenitur. Hujusmodi est v. g. scientiae habitus, qui animae, tamquam subjecto *remoto*, inest, ut per eum anima rerum causas investiget; item potentia visiva, quae inest oculis, ut per eum oculus fiat potens res externas cognoscere.

Haec autem relativa, et ipsa in duplici sunt differentia. Quaedam enim relativa sunt, quae tametsi insint subjecto illudque ordinent ad aliud, tamen eorum natura *non tota est* ordinare ad aliud; sed potius ipsum subjectum *in se* afficere et disponere.

Talis est scientia v. g. quae quidem inest animae, ut per ipsam anima intelligat causas rerum; nihilominus scientiae natura non est *praecipue* ad aliud, sed potius in eo consistit, quod ipsam animam hujusque intellectivam facultatem perficiat et disponat *in se*; idem dic de aliis habitibus et potentiis. Haec accidentia dicuntur relativa *secundum dici*, vel etiam (secundum aliquos auctores, ut videre est apud Suarez, D. M. 47. s. 3.) relativa *transcendentaliter;* quia hujusmodi relatio invenitur in omnibus entibus, quorum unumquodque, tametsi propriam et *absolutam* entitatem habeat, *secundario* tamen dicit ordinem ad aliquid aliud, ad quod comparatur vel tamquam *causa* ad *effectum*, vel tamquam *totum* ad *partem*, vel tamquam *substantia* ad *accidens* et e converso. Ex his relationibus bonitas ac perfectio universi potissimum enascitur, ut in Metaphpsica fusius explicabimus.—Alia vero accidentia relativa sunt, quae sic subjectum ordinant ad aliud, ut eorum *tota natura* sit afficere et ordinare subjectum ad aliud; v. g. Paternitas, Filiatio, Similitudo etc: atque haec dicuntur *relativa secundum esse*, eaque respicit relatio praedicamentalis, de qua hic agimus. (Cf. Suarez. D. M. 47. ss. 4. 5.)

Haec autem relativa *secundum esse* dupliciter sumuntur. Uno modo ut sunt *in ipsis rebus:* atque, ita accepta, dicuntur *ad aliquid.* Altero modo, ut *a nobis cognoscuntur,* sc: quando unum subjectum ad aliud comparamus; atque ita proprie dicuntur *Relationes:* quia intellectus unum ad alterum confert seu *refert.* Saepissime tamen hoc nomen usurpatur ad illa significanda, prout sunt in rebus; prout vero sunt in intellectu dicuntur *Relationes intellectae.*

Ex dictis intelliges quaedam accidentia non dici relativa, neque *secundum esse*, neque *secundum dici*, per respectum ad subjectum, cui insunt. Nam in tali hypothesi omnia accidentia essent relativa; quod equidem dici nequit. Sed dicuntur relativa per ordinem *ad terminum* ad quem ordinant subjectum. Proindeque multa sunt accidentia, quae non sunt, nec dici possunt relativa, neque *secundum esse*, neque *secundum dici:* siquidem subjectum non ordinant ad aliud extra ipsum. Cf. S. Thomam. I. p. q. 28. a .2.

67. Secundo observandum est.—Haec est natura eorum, quae sunt ad aliquid, ut namquam insint subjecto, nisi mediante aliquo accidente absoluto, et simul coexistente alio in quod relatio terminatur. Quamobrem ad existentiam relativi tria necessa-

rio concurrunt. I.—*Subjectum*, cui inhaeret: diciturque fundamentum *remotum*. II.—Illud accidens absolutum, ratione cujus inhaeret: diciturque fundamentum *proximum*. III.—Illud accidens absolutum, in quod Relativum terminatur: diciturque *terminus* vel *correlativum*. Quod quidem esse potest ejusdem rationis cum altero: habet enim et subjectum, et fundamentum, et illud aliud, tamquam terminum; quippe inter utrumque i. e. inter relativum et correlativum debet esse mutua habitudo. Exemplo fit res clarior. Sint duo corpora alba A, B.; unum alteri referatur; habetur relatio similitudinis. Haec autem similitudo inest corpori A, ut *subjecto;* mediante ipsius albedine, ut *fundamento;* et dependet ab altera albedine, ut *termino.* Vicissim haec similitudo inest corpori B, ut *subjecto;* mediante ejus albedine, ut *fundamento;* et ab illa albedine priori, ut *termino*, dependet. Quoniam igitur a tribus dependet relatio, sc: a *subjecto*, a *termino*, a *fundamento;* altero eorum destructo, et ipsa pereat necessum est. Quamobrem similitudo v. g. unius albi ad alterum, potest tripliciter desinere. I. vel recedente *altero simili.* II. vel *ipso subjecto* destructo. III. vel mutato *fundamento*, quod in causa est albedo. Nota tamen hoc non esse universaliter verum de fundamento, nisi quando est *permanens;* nam in *successivis* non valet: sic v. g. fundamentum Paternitatis est generatio; haec transit; manet tamen relatio.

Hoc tantum unum velim observes. Etsi relatio ab illis tribus dependeat, non tamen aequo modo ab illis dependet. Duo enim habet Relatio; unum, quatenus est *accidens;* et hoc est *subjecto inhaerere*: alterum, quatenus est *tale* accidens i. e. relativum: et hoc est *ad aliud esse.* Quatenus est accidens, a *subjecto;* quatenus relativum, a *termino:* ratione vero utriusque a *fundamento* dependet. Quamobrem ad naturas *specificas* relationum internoscendas consideranda sunt potissimum fundamenta.

Quaeres I.—Distinguitur nec ne, relatio a suo fundamento, et qua ratione?

Respondeo.—Haec quaestio non potest hic commode solvi, cum ejus solutio ex multis quaestionibus metaphysicis dependeat. Quocirca eam in Metaphysica expediemus.

Quaeres II.—Quaenam relatio pertinet ad hoc praedicamentum?—

68. Respondeo.—Relatio *realis*. Non enim nisi Ens *reale* ponitur sub praedicamento (n. 53.) At quid est relatio *realis?* Ad hujus rei intelligentiam, duo sunt consideranda.

Primum est.—Relationem esse posse vel *realem*, vel *rationis*, vel *mixtam*. Hanc partitionem pulcherrime explicat S. Thomas sic inquiens. "Quidem docuerunt Relationem non esse rem naturae (i. e. realem) sed rationis tantum. Quod quidem apparet esse falsum ex hoc quod ipsae res naturalem ordinem et habitudinem habent ad invicem. Verumtamen sciendum est, quod cum Relatio requirat duo extrema, *tripliciter* se habet ad hoc quod sit res naturae aut rationis.

a—"Quandoque enim *ex utraque parte* est res rationis tantum, quando sc; ordo vel habitudo non potest esse inter aliqua, nisi secundum *apprehensionem rationis tantum*, ut cum dicimus idem eidem idem. Nam secundum quod ratio apprehendit bis aliquod unum, statuit illud ut duo; et sic apprehendit quamdam habitudinem ipsius ad seipsum. Et similiter est de omnibus relationibus quae sunt inter Ens et non-ens, quas format ratio, in quantum apprehendit non-ens, ut quoddam extremum. Et idem est de omnibus relationibus, quae consequuntur *actum rationis*, ut genus, species et hujusmodi.

b—"Quaedam vero relationes sunt quantum ad *utrumque* extremum *res naturae*, quando sc: est habitudo inter aliqua duo *secundum aliquid realiter* conveniens utrique; sicut patet de omnibus relationibus, quae consequuntur *quantitatem*, ut magnum et parvum, duplum et dimidium et hujusmodi: nam quantitas est in utroque extremorum et simile est de relationibus, quae consequuntur *actionem* et *passionem*, ut motivum et mobile, pater et filius et similia.

c—"Quandoque vero Relatio in *uno* extremorum est, *res naturae* et in *altero res* est *rationis* tantum: et hoc contingit quandocumque duo extrema non sunt *unius ordinis;* sicut sensus et scientia referuntur ad sensibile et scibile; quae quidem in quantum sunt res quaedam in esse naturali existentes, sunt *extra ordinem* esse sensibilis et intelligibilis. Et ideo in scientia quidem et sensu est relatio *realis*, secundum quod ordinantur ad sentiendum vel sciendum res; sed res ipsae *in se* consideratae sunt *extra ordinem* hujusmodi, unde in eis non est aliqua relatio (realis) *realiter* ad scientiam et sensum, sed *secundum rationem* tantum, in quantum

intellectus apprehendit ea, ut terminos relationum scientiae et sensus. Unde Phil. (5um. Met. tex. 20mo.) dicit, quod non dicuntur *relative*, eo quod ipsa referantur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa. Et similiter dextrum non dicitur de columna, nisi quando ponitur animal ad dexteram: unde hujusmodi relatio non est realiter in columna sed in animali."—S. Th. 1. p. q. 13. a. 7. Cf. etiam ad 1um. et 6um. et q. 28. aa. 1. 2.

Secundum est.—Ad hoc, ut relatio sit *realis*, atque ideo praedicamentalis, quatuor necessario requiri. I.—ut *subjectum* ipsius sit *reale*. II.—ut ipsius *fundamentum*, quod se habet ad relationem, tamquam *causam* ipsius, sit *reale*. III.—ut habeat *terminum realem*, ut patet. IV.—ut extrema sc: fundamentum et terminus realiter distinguantur; non enim datur relatio ejusdem ad se ipsum. Cf. S. Th. Op. 48.

Hinc vides quid et quaenam sit Relatio *realis* et cur sub praedicamento hoc contineatur.—Cf. etiam Suarez. (D. M. 47. ss. 3. 6. 7. 8. 9.)

69. *Relationum Species.*—Relatio, ut ex dictis liquet, diversa est, prout diversum est fundamentum. Jamvero fundamentum relationis videtur esse triplex. Primum est: *Unitas* seu convenientia; *numerus* seu disconvenientia. Secundum est: *Actio* et *Passio*. Tertium est: *mensura* et *mensurabile*. Quamobrem triplex videtur esse relationum species, quarum prima, in convenientia vel disconvenientia; secunda in actione vel passione; tertia in mensura et mensurabili fundatur.

Hujus partitionis ratio affertur a S. Thoma in V. Metaphysicorum lect. 17. En ipsius argumentatio. Tot sunt fundamenta relationum, quot sunt rationes, cur unum referatur ad aliud. Hae autem rationes tres esse videntur. Nam omne, quod ordinatur ad aliud; vel I.—illud respicit *secundum esse*, tamquam mensuram suae perfectionis; vel II.—illud respicit *secundum operari*, tamquam causam aut effectum; vel III.—*secundum unitatem* seu convenientiam vel disconvenientiam.

Si primo modo illud respicit, habebitur fundamentum mensurae et mensurabilis. Sic scientia respicit suum objectum, ut mensuram suae perfectionis: sic exemplatum respicit suum exemplar: sic creatura respicit Deum: et generatim ita omne, quod *specificatur* respicit id, *a quo* specificatur.

Si secundo modo illud respicit, habebitur fundamentum actionis et passionis. Sic filius respicit patrem: et generatim omnis effectus suam causam.

Si tertio modo illud respicit, habebitur fundamentum convenientiae vel disconvenientiae, prout duo in aliquo conveniunt vel discrepant. Si conveniant in substantia, habebitur *identitas*, quae esse potest numerica, vel specifica, vel generica: si conveniant in quantitate, habebitur *aequalitas*: si in qualitate conveniant, habebitur *similitudo*.

Dices. Multae ex his relationibus sunt vel rationis vel mixtae, quomodo igitur ad hoc praedicamentum pertinent.

Respondeo. Vel istae non pertinent ad hoc praedicamentum, ut quidam volunt, vel eatenus ad illud pertinent, quatenus imitantur relationes reales sub illo *praecise* respectu, quo sunt relationes, ut alii arbitrantur. Utraque responsio bona est, nec opus est, ut in his diutius immoremur. Cf. Suarez. D. M. 47. sec. 3.

70. *Proprietates Relationis.* Sequentes enumerantur. Relativa

I.—*Non habent contrarium, ratione sui.* Relationes enim diversissimae in eodem subjecto esse queunt: quamobrem non *contrarie* sed *relative* opponuntur. (n. 28.)

II.—*Suscipiunt magis et minus.* Haec autem proprietas, ut advertit Suarez ex Aristotele, convenit *quibusdam* relationibus, non omnibus; nam duplum non est magis vel minus duplum; simile autem vel aequale dicitur magis et minus. Sed est advertendum, aliter tribui hanc proprietatem relationi, quam qualitati; huic enim competit, quia vere est intensibilis et remissibilis. Relatio autem non est ita intensibilis, nec *ratione sui*, cum per se non fiat, nec augeatur; nec *ratione fundamenti;* nam licet fundamentum intendatur, non est necesse intendi relationem: non enim magis similia sunt duo alba intensa, ut octo, quam antea cum erant intensa, ut quatuor. E contrario aliquando fiunt magis similia per remissionem fundamenti aut termini, aliquando vero minuitur similitudo.

Hoc vero magis et minus in relationibus, prosequitur Suarez, non est propter *intensionem* earum sed propter *variationem*. Relatio enim aequalitatis *proprie* dictae non suscipit magis et minus (et idem est de perfecta similitudine) quia *in indivisibili* consistit: nam si ex duobus aequalibus alterum crescat, non fiunt minus aequalia, sed perit aequalitas: inaequalitas vero esse potest major

et minor, propter majorem vel minorem recessum a perfecta aequalitate; et eodem modo aequalitas vel similitudo late dicta dicitur major vel minor. Attamen istae relationes majoris aequalitatis revera sunt diversae et non eadem, quae minuatur vel augeatur: quia termini et fundamenta earum sunt *diversa* et proportiones in quibus consistunt sunt etiam *diversae*, atque ita unaquaeque in suo gradu inaequalitatis *in indivisibili* consistit.

Sic ergo dicuntur quaedam relativa suscipere magis et minus, id est, denominari magis et minus talia, per accessum vel recessum ab uno perfecto termino, non per intensionem aut remissionem. Suarez. (D. M. 47. sec. 18. nn. 3. 4.)

III.—(Quae est praecipua). *Sunt simul natura et cognitione.* (n. 65). Et I. quidem sunt *simul natura:* quia non potest unum poni aut tolli, nisi pariter alterum ponatur vel tollatur. V. g. si est, qui dicitur pater, oportet ut sit ille, qui dicitur filius et vicissim: pariterque si non datur pater, nec filius dari potest.

Hoc autem intelligendum est non *de esse subjectorum*, ut patet; nam Sortes v. g. qui est pater Leucippi, praecedit *tempore* Leucippum; proinde esse Sortes et esse Leucippi, quatenus sunt homines, non sunt *simul natura.* Sed intelligendum est de esse relationis seu forma relationis.—II. sunt *simul cognitione*, intellige quatenus *relata:* nam, qua talia, conceptus unius necessario expostulat conceptum alterius. Sic pater nequit intelligi, qua talis, sc: ut pater, nisi simul filius cognoscatur.

Hae duae ultimae proprietates locum habent *in relationibus mutuis* sc: in illis relationibus in quibus fundamentum realiter est in utroque extremo: ut est v. g. relatio inter patrem et filium. Possunt tamen quadamtenus verificari etiam in relationibus non mutuis, in quibus sc: fundamentum reale est in alterutro tantum extremorum, ut est v. g. relatio inter Deum et creaturam. Tametsi enim haec relatio in creatura ad Deum relatio sit *realis*, in Deo autem ad creaturam relatio sit *rationis*, non possum tamen cognoscere creaturam, qua talem, nisi apprehendam simul Creatorem.

§. IV.

DE PRAEDICAMENTO QUALITATIS.

Qualitatis Natura—Species—Passiones, traduntur et explicantur.

71. *Qualitatis Notio.*—Vox *Qualitas* multifariam sumitur.—Primo usurpatur haec vox ad denotandam sive *differentiam constitutivam* rei (n. 44.) sive *formam substantialem* rei; et hoc sensu accepta, qualitas *essentialis* est, utpote quae partem essentialem, sive *metaphysicam*, sive *physicam* rei significat.—Secundo usurpatur haec vox ad significandam *formam* (n. 20.) quamcumque *accidentalem*, quae est extra essentiam subjecti; et hoc sensu accepta, comprehendit novem accidentium praedicamenta.—Tertio modo usurpatur *propriissime* pro forma expressa in hoc praedicamento, qua aliquid dicitur *simpliciter* et *pure* quale: quod quidem non verificatur in priori vel posteriori acceptione. Nam a forma differentiali, vel metaphysica, vel physica, aliquid non denominatur *simpliciter* quale, sed cum aliqua *compositione* vel generis sc: vel principii materialis: ab aliis vero accidentibus aliquid non dicitur *pure* quale, sed potius *qualiter* se habens; sic v. g. id, quod sedet, vel jacet, potius dicitur *aliquo modo se habere*, quam quale *absolute*.

72. Est igitur qualitas, de qua hic agimus: "forma illa accidentalis, secundum quam quidam dicuntur *Quales*:" sic v. g. corpus ab albedine denominatur *quale*; si enim a quoquam interragatus fueris: *quale* corpus est *A*? respondebis profecto: "est album." Quamobrem albedo est qualitas; atque idem dic de caeteris. Id melius ex dicendis intelliges.

73. *Qualitatis Species.*—Quatuor species conjugatae assignantur sc:

Prima	Species	Habitus—Dispositio.
Secunda		Potentia—Impotentia.
Tertia		Passio—Passibilis qualitas.
Quarta		Forma—Figura.

Hanc autem divisionem adaequatam esse sapienter, suo more, ostendit Angelicus Doctor (Sum. Theol. 1. 2. q. 49. a. 2.) sic inquiens: "Propria qualitas importat *quemdam modum* substan-

tiae; modus autem est, (ut dicit Aug. 4. sup. Gen. ad lit. c. 3.) *quem mensura praefigit;* unde importat quamdam *determinationem*, secundum aliquam *mensuram*. Et ideo sicut id, secundum quod determinatur potentia materiae secundum esse *substantiale*, dicitur qualitas, quae est *differentia substantiae:* ita id, secundum quod determinatur potentia subjecti (int. substantia *completa*) secundum esse *accidentale*, dicitur *qualitas accidentalis*, quae est etiam quaedam differentia, ut patet per Philosophum, (in V. Metap. textu 19.)

"Modus autem sive determinatio subjecti secundum esse accidentale potest accipi vel in ordine *ad ipsam naturam subjecti;* vel secundum *actionem et passionem*, quae consequuntur principia naturae, quae sunt materia et forma; vel secundum *quantitatem.*—

"Si autem accipiatur *modus* vel determinatio subjecti secundum *quantitatem*, sic est quarta species qualitatis. Et quia quantitas secundum sui rationem est sine motu, et sine ratione boni et mali, ideo ad quartam speciem qualitatis non pertinet quod aliquid sit *bene* vel *male* dispositum, nec *cito* vel *tarde* transiens.

"*Modus* autem sive determinatio subjecti secundum *actionem* et *passionem*, attenditur in secunda vel tertia specie qualitatis. Et ideo in utraque consideratur quod aliquid *facile* vel *difficile* fiat, vel quod sit *cito transiens* aut *diuturnum;* non autem consideratur in his aliquid pertinens ad rationem boni vel mali, quia motus et passiones non habent *rationem finis*. Bonum autem et malum dicitur per respectum ad finem.

"Sed *modus* et determinatio subjecti in ordine *ad naturam rei*, pertinet ad primam speciem qualitatis, quae est *Habitus* et *Dispositio*. Dicit enim Philosophus (7. Phys. tex. 17.) ac deinceps loquens de habitibus animae et corporis, quod sunt "*dispositiones quaedam perfecti ad optimum; dico autem perfecti, quod est dispositum secundum naturam.* Et quia ipsa forma et natura rei est *finis*, et cujus causa fit aliquid, (ut dicitur in 2. Phys. tex. 23.) ideo in prima specie consideratur et *Bonum* et *Malum*, et etiam *facile* et *difficile* mobile, secundum quod aliqua natura est *finis generationis et motus*. Unde (in 5. Metap. tex. 25.) Philosophus definit habitum, quod est *dispositio secundum quam aliquis disponitur bene vel male;* et (in 2. Ethic. c. 4. sive 5. parum a princ.) dicit quod habitus sunt *secundum quos ad passiones nos habemus bene vel male.* Quando enim est modus *conveniens* naturae rei, tunc habet *ratio-*

nem boni; quando autem *non convenit*, tunc habet *rationem mali*. Et quia natura est id quod *primum* consideratur in re ideo *Habitus* ponitur prima species qualitatis."

Haec S. Doctoris argumentatio, ut facilius intelligatur, sic etiam proponi potest.

74. Tot sunt qualitatis species, quot sunt modi quibus aliqua substantia *completa* (*in ratione* sc: *substantiae* constituta) *accidentaliter* affici potest ac determinari. Jam age haec determinatio accipi potest; vel *a*)—relate ad ipsam *naturam* subjecti: vel *b*)—secundum *actionem* vel *passionem:* vel *c*)—secundum *quantitatem*. quando subjectum est materialis substantia.

Si accipitur *a*)—relate ad ipsam *naturam* subjecti, quae *bene* vel *male* se habere potest; exurgit prima qualitatis species *Habitus* sc: et *Dispositio*. Habebitur *Dispositio*, si haec determinatio dimoveri *facile* possit: habebitur *Habitus*, si haec determinatio *difficulter* dimoveri *per se* possit. Dico *per se*, quia habitus *per accidens* i. e. *ratione subjecti* dimoveri aliquando potest, ut puta scientia, quae amitti potest, si non excolatur.

Si accipitur *b*)—secundum *actionem* vel *passionem*, hujusmodi affectio vel determinatio, ad secundam vel tertiam speciem qualitatis pertinebit. Et primo quidem *secundum actionem*, habetur *Potentia* vel *Impotentia:* siquidem, ut subjectum fiat capax actionis eliciendae, necessario instrui debet facultate operandi, principio sc: *proximo quo*, *per se* ad operationem ordinato; hoc autem *principium quo* operationis *proximum*, si plurimum valet, *Potentia;* si parum valet, *Impotentia* nuncupatur.—Secundo autem: si accipitur illa determinatio secundum *passionem;* habebitur *Passio* et *Passibilis Qualitas;* haec nil est aliud nisi qualitas, qua subjectum alteratur, quae quidem qualitas, si *cito* transit, ut v. g. rubor ex verecundia dicitur *passio;* si *diu* perseveret, ut v. g. pallor ex temperamento *passibilis qualitas* denominatur. (Cf. 3. p. q. 53. a. 2. ad 2.)

Demum *c*)—si hujusmodi determinatio subjecti accipitur *secundum quantitatem:* habebitur quarta qualitatis species *figura* sc: et *forma*.—*Figura* consequitur quantitatem molis: nam *figura* est quae termino vel terminis continetur; nulla autem est quantitas, quae terminis non contineatur (S. Th. 7. Phys. lec. 5.) Forma vero, de qua hic agitur, non equidem est forma naturalis, sed *artificialis*, quam sc: artifex inducit in subjecta materia, ex regulis artis, ut v. g. in marmore forma Alexandri vel Caesaris.

Explicata divisione qualitatis, nunc aliquid de praecipuis qualitatis speciebus delibabimus, simulque enumerationes, quas unaquaeque habere potest, trademus. Nam res maximi momenti est, et saepissime de his qualitatis speciebus mentio occurrit.

DE I. SPECIE QUALITATIS.

75. Habitus et Dispositio in eo differunt, quod *Habitus* sit qualitas *difficulter mobilis* a subjecto, in quo est: i. e. non facile corrumpitur, nec a subjecto facile recedit. Hujusmodi sunt v. g. scientia, virtus; qui enim scientiam vel virtutem acquisivit, non facile. perdet eam, nisi forte *per accidens*, puta ratione alicujus gravissimi morbi, vel alterius causae.—*Dispositio* autem *facile mobilis* est a subjecto, in quo est. Hujusmodi esset v. g. sanitas vel aegritudo, quae facile recedunt a subjecto. Quamobrem recte definitur habitus: "qualitas *non facile* mobilis a subjecto:" Dispositio vero: "qualitas *facile* mobilis a subjecto." Qualitatem *mobilem* voco illam, quae, subjecto manente, potest recedere vel corrumpi.—Hoc autem inter utramque discrimen ex ipso loquendi usu innotescit; nam illos, qui non probe veritatem perceptam retinent vocamus *dispositos*, eosque vel magis vel minus dispositos; illos vero, qui probe veritatem retinent, nec facile ab ea removeri queunt, *habitus* contraxisse asserimus. Ex dictis colliges; quod tametsi dispositio aliqua possit (ut adnotat Aristoteles) ex longa consuetudine evadere habitus, et ut plurimum (quando de habitibus naturalibus est sermo) dispositio praecedat habitum; tamen una cum altero confundenda non est, nec semper prior necessario praerequiritur ad alterum.

76. Habitus alii sunt *animi*, alii *corporis*.—Priores sunt, qui in anima resident; posteriores sunt, qui, tametsi ab anima vel a principio *formali* procedant, in composito tamen vel compositi parte subjectantur, et ad operationem aliquam corpoream *primitus* ordinantur. Posterioris generis sunt sanitas, vel aegritudo habitualis, quae est in tota corpore; habitus saltandi, vel pulsandi etc. qui in pede, vel manu sunt.

Habitus animi *acquisiti* (nam de infusis agunt Theologi), quidam sunt *intellectivi*, utpote qui in intellectu sunt; quidam sunt *morales* i. e. ad mores pertinentes, ut secundum illos bene vel male, laudabiliter vel cum dedecore operemur; iique in volunta-

te *praecipue* inveniuntur. De habitibus moralibus agitur in philosophia morali.

Habitus Intellectuales praecipui sunt *Intellectus, Ars, Prudentia*, *Certitudo, Opinio, Fides*.—Est autem *a*)—*Sapientia*: "altissimarum rerum cognitio:" quae quidem, si supernaturalis sit, i. e. in Dei Revelatione fundata, dicitur *Theologia*; sin autem naturalis sit, *Metaphysica* nuncupatur. *b*)—*Scientia* est: "cognitio rerum per causas ultimas:" eaque dividitur in realem moralem et rationalem. Cf. Auctorem Prol. V. *c*)—*Intellectus* dicitur: "habitus primorum principiorum" ut suo loco explicabimus. *d*)—*Ars* est: "recta ratio factibilium sc: habitus residens in ratione eamque rectificans ad operandum in materia externa." *e*)—*Prudentia* est; "recta ratio agibilium." *f*)—*Certitudo* est: "firmitas assensus." *g*)—*Opinio* est: "intellectualis assensus uni contradictoriorum parti cum formidine de opposito;" *h*)—*Fides* est: "assensus intellectus rei dictae, propter dicentis auctoritatem." Hi omnes habitus, eorumque inferiora sub prima specie collocantur. Quod si unus vel alter eorum *facile* mobilis est, dispositio erit, non habitus. Defectu namque unius nominis generici, idem genus duplici nomine explicamus.

DE II. QUALITATIS SPECIE.

77. Duplex datur *Principium quo* operemur, quorum unum est *simpliciter* necessarium ad operandum, alterum vero ad *bene* vel *male* operandum requisitum. Pone tibi ab oculos rusticum et doctum: uterque a natura sortitur principium, quo *proxime* cognoscere ac operari queat: at doctus habet praeterea ut non tantum *simpliciter* cognoscere possit, sed ut *bene* et *perfecte* cognoscere possit. Prius dicitur *Potentia*; posterius *Habitus* vel *Dispositio*. Prius est a natura cuique concessum; posterius studio, industria ac labore acquisitum. Prius pro omni operatione est necessarium: non enim operabitur, qui nequit operari; posterius non est *simpliciter* necessarium ad operandum, neque pro omni operatione datur. Hoc posterius ad primam qualitatis speciem pertinet: prius vero hanc secundam speciem constituit et est vel *Potentia naturalis*, vel *naturalis impotentia*.—Cf. Suarez (D. M. 42. s. 4. nn. 7. 8.)

Qua in re, ut adnotat recte Toletus, sedulo considerandum est potentiae quadruplicem esse gradum vel speciem. "Prima est quaedam *naturalis* promptitudo ad *facile agendum* aliquid, secun-

dum quam sunt homines pugillatores, i. e. naturalem quamdam habent insitam potentiam ad ista opera: nec loquimur de his qui arte et usu id efficiunt; nam tunc ad primam pertinerent speciem, sed de his qui naturaliter id praestant; similiter sunt aliae innumerae aptitudines hominum, secundum quas naturaliter inclinantur ad facile opera aliqua exercenda.—Secunda species est naturalis quaedam potentia, secundum quam aliquid *fortiter resistit* sibi contrariis et adversantibus: secundum quam dicimus homines salubres, quibus talis inest potentia, ut omnibus nocivis fortiter resistant nihilque eis noceat; in hac est durities, qua aliquid resistit divisioni et sectioni, quae tendit in ipsius destructionem.—Tertia est quaedam activa potentia, secundum quam *difficulter aliquid agit;* qualis est hebetudo ingenii vel corporis ad operationes exequendas.—Quarta est quaedam potentia, qua aliquis *facile suscipit id, quod sibi adversatur* et in sui destructionem tendit, qua potentia dicimus homines insalubres, qui semper valetudinarii sunt a natura et omnia eis nocent: similiter mollities est in his, secundum quam facile res sui divisionem patitur. Et maxime notandum est duas priores vocari ab Aristotele *potentias naturales;* duas vero posteriores, quae prioribus sunt contrariae, *impotentias naturales;* et merito. Nam potentia difficulter operandi potius dicitur potentia non operandi facile: et potentia non resistendi, impotentia resistendi." (Toletus Praed. Qualitatis). Quamobrem non est existimandum, impotentiam esse privationem vel carentiam potentiae. Nam potius est qualitas positiva *contraria* (n. 27.) potentiae, diciturque impotentia, defectu nominis communis, quo istae quatuor potentiarum species comprehendi queant.

Jam age potentia *activa,* de qua hic agimus, describi potest: "Principium proximum quo ad operandum simpliciter ac per se a natura ordinatum:" Dicitur I.—principium *proximum,* ut distinguatur a forma vel natura subjecti, in qua *ultimo* omnes potentiae radicantur ab eaque omnes profluunt. Dicitur II.—*quo,* ut distinguatur a subjecto vel supposito, quod est principium *quod* operatur. Dicitur III.—*per se* ac *simpliciter* ac *primo* ordinatum a natura ad operationem; ut distinguatur a qualitatibus prioris speciei, quae vel naturales non sunt sed *acquisitae;* vel saltem non dantur ad simpliciter operandum, sed tantum *modum* (i. e. bene vel male) operationis respiciunt; vel *primitus* ad perfectionem subjecti *in suo esse* ordinantur. (Cf. Suarez. D. M. 43. s. 3.—D.)

42. s. 4. nn. 7. 8.)—Hoc autem principium vel ordinatur ad agendum vel ad resistendum. Si est *validum* et *forte*, proprio nomine *potentia* dicitur; si est *debile* (quia aliud nomen deficit, quo nominari possit) *impotentia* nuncupatur, ut superius explicavimus.

78. Ad potentiarum divisionem quod attinet, potentiae aliae sunt corporum, aliae sunt viventium. Potentiae corporum eae sunt quae, tametsi a forma ipsorum, tamquam *a principio*, profluant; tamen in corporibus *subjectantur* et ad operationem *mere* corpoream ordinantur. Sunt innumerae; deque his agit Physica.

Potentiae vero viventium illae sunt, quae ab anima, tamquam a *principio*, fluunt. Eaeque in duplici differentia inveniuntur, quaedam in composito (sc: ex anima et corpore) tamquam *in subjecto* resident: hujusmodi sunt potentiae ad vitam sive vegetativam sive sensitivam sive ad motum ordinatae; aliae sunt, quae tantummodo in anima, tamquam *in subjecto*, resident; hujusmodi sunt Intellectus et Voluntas. Prioris generis potentiae *communes* sunt omnibus viventibus vita sive vegetativa, ut plantae, sive etiam sensitiva, ut bruta animantia. Posterioris generis potentiae *propriae* sunt hominis, qua homo est sc: rationalis, et ratione ipsarum, assimilatur ipse homo substantiis pure spiritualibus.

Jam age potentia *vegetativa* duplex est principalis sc: et instrumentalis. *Principalis* triplicem potentiam continet: sc: *nutritivam*, per quam viventia convertunt alimentum in suam substantiam: *augumentativam*, per quam ad mensuram debitam crescunt; *generativam*, per quam sibi simile producere valent.—*Instrumentales* sunt v. g. *attractiva*, per quam unumquodque membrum ad se trahit alimentum; *alterativa* sive digestiva, per quam concoquit ac disponit alimentum; *expulsiva*, per quam superfluum expellit.

Potentia *sensitiva* duplex est; altera *cognoscitiva*, *appetitiva* altera. Prior novem sensitivis potentiis explicatur; quatuor *internis* sc: sensu communi, imaginatione, memoria sensitiva, extimativa, quinque *externis* sc: visu, auditu, gustu, olfactu, tactu. Posterior, quae *appetitus sensitivus* nuncupatur, duas continet partes; *concupiscibilem* sc: et *irascibilem*; per concupiscibilem inclinamur in bonum sensibile atque ejus oppositum sc: malum aversamur; per irascibilem vero tendimus ad bonum arduum assequendum vel malum arduum vitandum. Reliquae vero particulares appetitus sensitivi motus sc: amor, odium; desiderium, fuga; delectatio, tristitia; spes, desperatio; audacia, timor: ira, dejectio, non inter potentias, sed inter *passiones* adnumerantur.

Potentiae *Intellectuales* duae sunt. Quarum una est *cognoscitiva* diciturque Intellectus, qui pro diversitate actuum diversimode denominatur: altera est *appetitiva*, diciturque proprio nomine *Voluntas*.

Potentia locomotrix alia est volandi, alia natandi, alia progrediendi. De his omnibus potentiis accuratius in metaphysica agemus. Cf. interim pulcherrimum articulum S. Thomae. "Utrum quinque genera potentiarum animae sint distinguenda?" 1. p. q. 78. a. 1.

DE III. ET IV. SPECIE QUALITATIS.

79. De passione et patibili qualitate agemus, tamquam in opportuniori loco, in metaphysica. Hic tantum innuere sufficiet, quae de his docuerunt veteres doctrinam Aristotelis sequuti. Itaque.

Passio, quantum ad rem praesentem attinet, tripliciter sumitur. I.—Pro *receptione cujusvis formae* sive haec tendat in perfectionem rei, sive in disconvenientiam; sic patimur, quando calorem recipimus, sive hic proficuus nobis sit, sive nocivus: sic etiam sensus et intellectus dicuntur pati, quando recipiunt speciem sive similitudinem objecti. (Cf. S. Th. 1. p. q. 79. a. 2.) II.—*Pro receptione formae disconvenientis* subjecto; atque ita subjectum pati dicitur, quando calorem sibi nocivum recipit. III.—Pro *qualitate illa, quae ex passione provenit*, tamquam ipsius effectus, ut puta nigredo, quae ex combustione enascitur. Hae autem *qualitates* tripliciter se habent ad passionem *secundo modo* acceptam. Sunt namque: *a*)—quaedam qualitates, quae solummodo sunt *principia* actionum vel passionum, quippe faciunt equidem passionem, ipsae tamen non causantur ex passione: et hujusmodi sunt, juxta veteres, calor, frigus, siccitas, humiditas. *b*)—Quaedam aliae sunt, quae *efficiunter* ex passione, ipsae tamen non causant passionem (secundo modo acceptam) in alio, cujusmodi sunt colores. *c*)—Aliae demum sunt, quae *efficiuntur* ex passione, et simul *causant* passionem in alio: hujusmodi sunt v. g. odores et sapores, qui ex prioribus fiunt, et passionem ingerunt sensibus.

Qualitates autem, quae *effectus sunt passionum*, provenire possunt vel ex nativa passione, vel ex accidentali passione sive perseverante sive transeunte. Proveniunt I.—ex *nativa passione* quando producuntur in ipsa generatione subjecti, ut est v. g.

albedo in cygno, nigredo in corvo. Proveniunt vero II.—ex *accidentali passione*, quando non a nativitate sed ab aliqua causa *extrinseca* proveniunt: quae quidem passio esse potest *perseverans* ut v. g. color pallidus contractus ex diuturno morbo; vel *transiens* ut v. g. rubor ex verecundia proveniens.

Qualitates vero, quae causae sunt passionum, *a'*) aliae sunt, quae efficiunt passionem non tantum in animatis rebus, sed etiam in aliis, ut est v. g. calor: *b'*) aliae vero sunt, quae non ingerunt passionem, nisi tantum in animantibus, cujusmodi sunt odores et sapores.

Ex dictis intelliges, quid nominé *passibilis qualitatis* et *passionis* veniat.

80. Aliqua enim qualitas dici potest *passibilis* vel quia I.—subjectum illam recipiens *secundum eam patitur*, quo modo calor in manu receptus passibilis qualitas dicitur; siquidem manus calorem experiens, patitur: vel quia II.—ipsa est *causa passionis* quemadmodum calor ignis causat in ligno vel in manu passionem; vel demum III.—quia ipsa est *passionis effectus*. Jamvero hae qualitates non *praecise* dicuntur *passibiles* priori modo i. e. quia subjectum illas recipiens, secundum eas patitur: non enim mel v. g. patitur, quia habet dulcedinem: vel ignis patitur, quia habet calorem; sed dicuntur *proprie* passibiles secundo et tertio modo i. e. vel quia *causant* passionem in alio subjecto: ut v. g. calor, sapor et vel quia sunt *effectus* passionum. Notandum tamen est, quod supra innuimus, has qualitates quae sunt *effectus passionum* esse in duplici differentia. Quaedam enim proveniunt ex passione *perseveranti* sive naturali sive accidentali, puta morbo diuturno; atque hae *proprie* denominantur *passibiles qualitates*: quaedam aliae proveniunt ex passione non perseveranti, sed *transeunte;* ut v. g. rubor ex verecundia, vel instantaneus motus irae atque hae *proprie* dicuntur *Passiones*. Et jure meritoque. Ut enim sapiénter advertit Aristoteles, ille qui ex verecundia contraxit ruborem non dicitur rubeus (ac proinde non denominatur *simpliciter* qualis) sed potius dicitur *passus* ruborem. Est itaque rubor enatus ex verecundia *qualitas;* at quantum ad denominationem, non est dicenda *absolute* qualitas i. e. permanens, ut secundum eam subjectum *quale* denominari queat.

Ad hanc qualitatis speciem reducuntur quinque conjugatae classès passionum animi de quibus supra egimus. (n. 79.)

Quoad speciem 4. attinet nil est quod addamus. Satis de ea supra (n. 74.) diximus.

82. *Passiones Qualitatis.*—Tres enumerantur.

Prima est.—*Habere contrarium.*—Quaedam enim (non tamen omnes) qualitates *contrarie* opponuntur, ut v. g. virtus opponitur *contrarie* vitio. Dixi *non omnes:* quia rubedo, pallor et reliqui colores medii contrarium non habent: idem dic de figuris, de luce.

Secunda est.—*Suscipere magis et minus.*—Nam quaedam (non tamen omnes) qualitates, ut v. g. calor, possunt intendi aut remitti. Dixi *non omnes:* quia figurae et potentiae naturales non intenduntur.

Tertia est.—Qualitas est *fundamentum similitudinis et dissimilitudinis* (n. 69.)—Est maxime *propria* qualitatis. Exinde tamen ne inferas simile et dissimile esse qualitates: sunt namque ad aliquid: attamen passiones qualitatis sunt. Non est autem inconveniens, quod res in uno praedicamento, atque ejusdem passio in altero collocetur: sic pariter *homo* est substantia, et ejus passio sc: *risibilitas* est qualitas.

Hic quaerere poteris.—Quomodo dignosci possit ad quamnam speciem pertineat aliqua qualitas, quae prima fronte videtur reduci posse ad duplicem speciem?

Respondeo.—Considerandum est id, quod est *principalius* in ipsa, et secundum id debet ei assignari species. Sic v. g. id quod principalius videtur esse in calore est quod sit qualitas alterativa, ideoque *essentialiter* ad 3am. speciem pertinet, tametsi *secundario* sit principium agendi in igne, ideoque videatur induere rationem potentiae. E contra vis nutritiva *principaliter* ordinatur ad agendum, tametsi *secundario* causet in alimento alterationem. Quamobrem ipsa *essentialiter* ad 2. speciem pertinet.

Atque haec de qualitate sufficiant, in qua explicanda opportunum nobis visum est diutius immorari, quippe ejus consideratio est in tota philosophia maximae necessitatis.

§. V.

DE PRAEDICAMENTIS ACTIONIS ET PASSIONIS.

Utriusque Notio—Species—Passiones elucidantur.

83. Gilbertus Porretanus, seu auctor sex principiorum, describit actionem *praedicamentalem*; "formam, secundum quam denominamur agere in subjectam materiam." Hanc descriptionem, quae prima fronte obscura videtur et nihil explicare, ut recte intelligas, adverte quatuor considerari posse in alicujus rei effectione. I.—Quidem est agens *a quo* res efficitur simulque agentis virtus *activa*, seu *principium quo* agens agit. II.—Est subjecta materia, seu *id in quod* agens agit (sermo enim est de actione creaturarum (n. 53.)] III.—Est *id, quod* per agentis efficientiam agitur seu *fit primo*, diciturque *effectus.* IV.—Est *ipsa efficientia* seu actio. Exemplo fit res clarior. Ignis per suum calorem agendo, calefacit aquam: habes haec quatuor. Habes I.—Ignem cum suo calore: en *agens quod* agit, simulque *principium, quo* agit. Habes II.—*aquam in quam* agit: en subjectam materiam. Habes III.—calorem productum in aqua, seu *aquam calefactam*: en effectum. Habes IV.—*ipsam calefactionem*: en actionem. Jam age ignis non denominatur *agens* seu calefaciens a suo calore: quippe ab eo denominatur *calidus*, non calefaciens; quamobrem calor non est actio. Nec pariter *calor productus*, ut calor est, actio est aut denominatur: siquidem ab eo aqua denominatur non calefaciens, sed calefacta. Nec demum aqua est aut dicitur actio, ut per se patet. Quid igitur erit actio?

Respondeo.—Ille calor, qui ab igne in aquam introducitur (ut exemplo proposito insistamus) potest considerari quadruplici ratione. Primo modo.—Ut est quaedam *qualitas*, per quam aqua est ac denominatur calida; et sic ad tertiam qualitatis speciem (n. 80.) pertinet. Secundo modo.—Ut est *in fluxu* et *successu quodam*, secundum quem paullatim et incessanter introducitur in aquam: et tunc calor iste sic fluens *motus* quidam est. Tertio modo.—Potest hic calor sic fluens considerari, ut *procedens ab* igne, tamquam *a principio quod*, et a virtute calefactiva ignis.

tamquam *a principio quo* (n. 78.): et tunc *actio* dicitur. Quarto modo.—Potest considerari, prout *recipitur in* subjecta materia seu aqua: et sic *passio* est ac denominatur.

Ex dictis colliges.

84. Primo.—Actio generatim est: "actus seu forma fluens, seu *ab aliquo* (i. e. agente) in aliud (i. e. passum seu subjectam materiam) procedens." Quamobrem, tametsi aliquid relationis admixtum habeat, non est tamen *simpliciter* relatio, ut quidam voluerunt, quorum opinio bene refellitur a Suaresio (D. M. 48. s. 1. n. 2. ad 9um.): et est aperte contraria sententiae Aristotelis et probatorum auctorum asserentium passionem et actionem esse *formaliter* motum, et actionem v. g. calefactionem esse in aqua patiente; quomodo igitur actio erit relatio existens in igne vel in ipso agente? Dices. At quomodo ignis denominari possit agens seu calefaciens *a forma fluenti* quaeque proinde in ipso non est amplius. Respondeo. Nullum est inconveniens, ut res ab ea forma denominetur, quae in ipsa non est, *ab ea* tamen *procedit* seu fluit.

Secundo.—Passio dicitur "actionis effectus" hoc sensu quia ex eo quod ab igne calor fluit et procedit (quod quidem actio est) inde est, quod in aquam introducitur, et passio est ac denominatur. Unde passio est forma fluens et *in subjecto* adveniens, dicique potest; "id, secundum quod subjectum patitur." Ut jam supra notavimus, vocamus hic *passionem* non formam ipsam absolutam, sed formae receptionem.

Ad rem Divus Thomas; "actio et passio sunt una res et eadem, sc: forma, quae est in fluxu vel fieri. Unde non videtur quod passio sit effectus actionis. Si enim considerantur in quantum sunt *una forma*, tunc, cum idem non possit esse causa et effectus sui ipsius, passio non erit effectus actionis; si vero considerentur in quantum sunt *duo*, quia actio *denominat agens*, et passio *patiens*; nec adhuc sequitur, quod passio sit effectus ipsius agentis. Non ergo passio est effectus ipsius agentis." Cui difficultati S. Doctor respondet: "Sciendum quod aliquid potest dici effectus alicujus dupliciter. Uno modo *proprie* prout sc: causatur vel causatum est ab eo, et isto modo passio non est effectus actionis. Alio modo quia quando utrumque fit, ita fiunt *simul*, quod unum *necessaria connexione* intelligitur esse *post* aliud. Unde primum dicitur esse quodam modo causa efficiens respectu secundi . . . . . nam actio et passio sunt ab ipso agente ordine quodam necessario. Prius enim

intelligitur agens agere, quam aliquid a se pati; et sic passio dicitur *effectus actionis.*" Summa Logicae Op. 44.

Tertio.—Haec tria sc: *Actio, Passio, Motus,* (sumendo motum *generalissime* pro quavis mutatione, sive successiva, sive instantanea) *in re* non distinguuntur *entitative* i. e. non sunt tres entitates distinctae; est enim eadem forma, quae prout *est ab agente,* dicitur *Actio;* prout *recipitur in patiente,* dicitur *Passio;* prout est *in fieri,* dicitur *Motus.* Unde D. Th. ait; "in actione importatur respectus, ut *a quo* est motus in mobili; in passione vero, ut qui est *ab alio*" 1. p. q. 28. a 2. ad Ium.

Quarto.—Ne inferas tamen *Agens* vel *Patiens:* aut *Agere* vel *Pati* esse realiter idem: nam subjecta, quae denominantur, licet a forma *eadem,* diverso tamen modo considerata, denominentur. sunt diversa; et denominationes diversas sortiuntur.

85. *Divisio Actionis.*—Actio *praedicamentalis* dividitur in transeuntem et immanentem. Actio *transiens* est illa, "quae procedit ab agente in rem exteriorem, quam transmutat, et haec est sicut illuminare, quae etiam *actio* proprie dicitur." *Immanens* vero actio est "quae non procedit in rem exteriorem, sed stat in ipso agente ut perfectio ejus, et haec paoprie dicitur *operatio,* et haec est sicut lucere. Hae autem duae actiones in hoc conveniunt quod utraque non progreditur nisi ab existente *in actu,* secundum quod *est actu.*" S. Th. (qq. DD. De Veritate 8. a. 6.) Differunt vero in eo quod immanens *in agente,* transiens *in patiente* recipiatur. Advertit tamen Suarez quod; "immanens *proprie* tantum illa dicitur, quae *formaliter* manet in eadem *potentia proxima,* a qua elicitur, quaeque *ex suo genere* talis est, ut numquam in alio subjecto fieri possit, et hoc modo tantum actiones cognoscendi et amandi sunt immanentes, in quibus plura dantur genera et species actionum. . . . Aliquando vero extenditur nomen actionis immanentis ad omnem illam, quae in *Supposito* operante manet, et hoc modo omnes motus *vitales* et nutritionis et augmentationis et motus etiam localis animantium possunt dici immanentes . . . at *improprie,* quia licet sint in eodem supposito, non tamen secundum *eamdem partem,* vel non secundum *eamdem potentiam* aut *vim agendi* . . . atque ita propria actio immanens solum in vitalibus actionibus invenitur, quamvis non *convertatur,* quia non omnis actio vitalis est immanens, in proprietate jam dicta." D. M. 48. s. 6. *Actionem* immanentem (nam de transeunti nulla est controversia)

vere ac proprie distingui ab *actu* immanenti, tamquam a suo *termino*, atque ideo vere et proprie praedicamentalem actionem esse, in Metaphysica probabimus. Unum tantum observa, nos hic agere de actione *praedicamentali*, non autem de actione *in genere*, ac propterea non adnumerare in hoc praedicamento actionem, quam quidam dicunt *substantialem*, quia pro termino habet substantiam; eamque subdividunt in actionem, quae *sine subjecto* fit, (cujusmodi est creatio) et in actionem, quae *ex subjecto* fit (cujusmodi est generatio). Nam creatio non convenit *univoce* cum actione praedicamentali (nn. 23. 53.); generatio autem *reductive* est in praedicamento substantiae. Cf. si volueris, Suarez. (D. M. 48. s. 6.—et s. 2.) Item (Liberatore Comp. Umano C. 2. aa. 4. 5. 6.)

De Passione nil addam, quippe omnia, quae conveniunt actioni, quadrant passioni, habitudine tantum mutata. (Cf. Suarez. D. M. 49. s. 2.)

86. *Proprietates Actionis.*—Afferri solent communiter tres, vel quatuor quarum I.—est *proprium esse actionis esse cum motu;* II.—est quod *actio inferat passionem:* III.—est quod *actio habeat contrarium:* IV.—quod *actio suscipiat magis et minus.*—

Qua in re observandum est.

Primo.—Hae proprietates *attributales* sunt, ut supra de substantiae passionibus agentes, notavimus. (n. 59.)

Secundo.—Quando dicitur I.—proprium esse actionis, quod sit conjuncta cum motu, nomine *motus* venit quaevis mutatio *positiva*; haec autem, ut per se patet, nequit fieri nisi ab aliquo movente et consequenter agente per aliquam actionem.—Item cum dicitur II.—*actio infert passionem*, hoc idem est ac dicere: quod omnis *actio semper habet conjunctam mutationem* (intellige in subjecta materia). Quamobrem excluditur *creatio*, quae quidem, ut supra caeteroquin notavimus, non est actio *praedicamentalis*, de qua tantummodo hic agimus. Illud autem *inferre* "non debet intelligi (ait Suarez. D. 48. s. 5.) per propriam *efficientiam* et *causalitatem*, nam cum actio et passio non distinguantur *in re*, non potest inter eas esse propria causalitas; neque etiam intelligendum est solum *de illatione consequentiae*, nam hoc modo etiam passio infert actionem. Sed intelligendum est *de illatione a priori*, eo modo quo una proprietas dicitur esse ratio alterius, ad quod sufficit virtualis distinctio seu distinctio *rationis* cum fundamento in re." (n. 84.)

Item cum III.—dicitur *actio habet contrarium*, intellige *ratione termini;* idcirco haec proprietas non ei competit, nisi quando actionis terminus habet contrarium. Eadem enim est ratio de actione et de motu, quocum identificatur.

Demum cum IV.—dicitur *actio suscipit magis et minus*, id potest dupliciter intelligi. Uno modo *ratione termini tantum*, quo modo illuminatio v. g. ut octo, est major et intensior actio quam illuminatio, ut quatuor, etiamsi utraque fiat in instanti: atque hoc sensu eadem est proportionalis ratio quoad hanc proprietatem in actione, quae in formali termino ejus. Altero vero modo potest intelligi illa proprietas ratione sc: *temporis*, quo modo dici potest intensior actio, quae velocius fit, etiamsi alia actio tempore longiori aequalem habeat effectum: et tunc proprietas ista nequit convenire, nisi actioni *successivae*, ut patet per se, et coincidit cum velocitate motus. At *Velocitas* (ut bene observat Suarez l. c.) minus proprie dicitur *intensio* actionis: nam potius est minor quaedam extensio partium ipsiusmet actionis, secundum durationem seu successionem. Atque haec sufficiant de actione: de passione autem eadem dicantur, habitudine tantum mutata.

§. VI.

DE CAETERIS PRAEDICAMENTIS.

Pauca de his hic dicere possumus: nam duo ultima *Situs* sc: et *Habitus* difficultatem non praebent nec longam merentur explicationem; *Ubi* autem et *Quando* non possunt hic commode evolvi, quippe multa supponunt, quae ad rerum durationem, et ad locum pertinent, quaeque nonnisi in Metaphysica tradi possunt. Quamobrem has qualescumque descriptiones modo accipe.

87. *Ubi* seu *esse alicubi* est "loco contineri:" ut v. g. templo vel vase: duobus namque modis res dicitur esse in loco sc: *communi*, quo pacto Sortes dicitur esse in templo: *proprio*, quo pacto oleum dicitur esse in dolio.—*Species* τοῦ *Ubi* sunt supra, infra; ante, retro; dextrorsum, sinistorsum.—*Passiones* ipsius sunt I. *non habere contrarium.* II. *non suscipere magis et minus.*

88. *Quando* seu *esse in tempore* est: "tempore contineri:" v. g. fuisse anno praecedenti.—*Species* ipsius sunt cras, heri, hodie.

—*Passiones* sunt. I. *non habere contrarium, ratione sui.* II. *non suscipere magis et minus.* III. *Denominare corpora corruptibilia*, quae omnia sunt in et sub tempore.

89. *Situs* est "positio partium rei *quantae* in ordine ad locum" ut v. g. sedere, stare, cubare. Haec autem positio esse potest naturalis vel accidentalis. *Naturalis* est, quam natura praefixit, ut v. g. pro homine habere caput sursum (lege Ovidium Metamor. 1.)

> Pronaque cum spectant animalia cetera terram,
> Os homini sublime dedit caelumque tueri
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Accidentalis est illa, quam voluntas hominum praefigit: eaque est duplex, altera animatorum, ut stare, sedere, accumbere: altera inanimatorum, ut v. g. adjacere, erigi.—Ipsius *passiones* sunt I. *non habere contrarium ratione sui.* II. *Nec suscipere magis et minus.*

90. *Habitus* praedicamentum describitur: "Corporum et eorum, quae circa corpus sunt, adjacentia." Qua in descriptione τὸ *corporum* id, ad cujus commodum habitus spectat, denotat: *eorum, quae circa corpus sunt*, denotant materiam, ex qua habitus constat. Demum τὸ *adjacentia* denotat ordinem, qui est circa corpus i. e. inter habentem et id, quod habetur, atque accidens illud praedicamentale constituit, quod *Habitus* dicitur. Quamobrem hoc praedicamentum non constituitur a veste v. g. quae est tantummodo materies, sed ab hac *adjacentia.* Atque haec sufficiant de habitu.

APPENDIX.

De Post Praedicamentis.

Ad doctrinae hucusque traditae complementum aliquid juverit de *post-praedicamentis*, per modum *Appendicis*, tradere. Sunt autem post praedicamenta quidam modi, qui consequuntur Praedicamenta, seu proprietates diversorum praedicamentorum, quae pluribus insunt (sic v. g. in Substantia, Quantitate, Qualitate, Quando inest Prioritas; in Qualitate et Relatione Oppositio; in Actione et Passione datur Motus); et quoniam *multipliciter* dicun-

tur, propterea in communi sumpta nullius sunt praedicamenti; nam (n. 53.) aequivoca, *qua talia*, a praedicamento excluduntur, nec ad praedicamentum pertinent, nisi ratione significatorum *per se*. Quamobrem vitandae confusionis causa, post praedicamenta tractari solent, atque ideo *post-praedicamenta* dicuntur.

Quinque traduntur: sc: *Oppositio, Prioritas, Simul, Motus. Habere.* De oppositione jam supra loquuti sumus (n. 28). Sufficiet itaque aliquid de caeteris delibare.

Quaeres I.—Quot modis unum altero *prius* dici potest?

91. Respondeo.—Quinque modis. Hi autem sunt prioritas *temporis*; secundum *subsistendi consequentiam; ordinis; dignitatis; naturae.* Et I. quidem *prioritas temporis* habetur, quando unum praecedit alterum duratione ut v. g. Troja Romam; hic modus prioritatis *praecipuus* est; tum quia omnium notissimus; tum quia *primitus* impositus; tum quia demum reliqua, quae priora dicuntur, eatenus *priora* denominantur, quatenus ad prioritatem temporis referuntur, (n. 24).—II. *Prioritas* secundum *subsistendi consequentiam* habetur inter ea, quorum unum infertur ex alio, sed non infert ipsum: sic animal est *prius* homine, nam infertur ex homine; at non infert hominem: tenet enim hujusmodi consequentia; "*homo est:* ergo est *animal:*" at non vicissim. Et generatim omnia universalia suis inferioribus, hoc secundo modo *priora* dicuntur.—III. *Prioritas ordinis*, non in tempore, neque in illatione, sed in quadam duorum vel plurium habitudine consistit, secundum quam unum alterum vel alia praecedit: sic ordine *disciplinae* seu docendi Logica Metaphysicam praecedit, ordine autem *dicendi* proaemium narrationem, atque haec confirmationem praecedit,—IV. *Prioritas dignitatis* consistit in excellentia unius prae altero; sic Rex prior est suis ministris: hic autem modus (ut observat Aristoteles) valde improprius est, quia non vere fundatur in ipsis rebus, sed potius in existimatione hominum, quae quidem est valde extrinseca rebus, quae priora et posteriora dicuntur. Verumtamen, ut quidam putant, hic modus *proprie* dicitur, si de dignitate in *actu primo* seu *fundamentali* est sermo. V. *Prioritas naturae* habetur inter duo, quorum unum cum altero in consequentia convertitur et illius est causa: sic homo prior est sua risibilitate; quia inter utrumque est mutua consequentia, et insuper homo (intellige essentia hominis) est risibilitatis causa. Haec autem prioritas non dicit *temporis praecessionem*, nam homo et

risibilitas, item sol et radius sunt *simul tempore*, et tamen Homo est natura prior risibilitate, et Sol est natura prior radio: nec etiam (ut arbitror) dicit *prioritatem dignitatis;* sed tantum *dependentiam* unius ab alio, tamquam effectus a sua causa.

Ex dictis colliges.

Primo.—Posterioritas est vel *temporis*, vel *consequentiae*, vel *ordinis* vel *dignitatis* vel *naturae*. Nam in oppositis, quot modis dicitur *unum*, totidem modis dicitur *alterum*.

Secundo.—Non repugnat unum idemque *multis modis* esse prius vel posterius: similiter unum esse *prius* et *posterius* altero *sub diverso respectu*. Sic v. g. pars est prior toto *natura*, posterior *dignitate*: sol est prior radio tum *consequentia*, tum *natura*.

Tertio.—Omnis causa est *prior*, natura saltem (ac proinde *non semper tempore*) suo effectu.

S. Thomas commemorat alium *prioritatis* modum, quem *generationis* appellat illumque prioritati *perfectionis* opponit. Ea dicuntur priora *generatione*, quae prius fiunt; sic puer viro prior est; ea vero dicuntur *perfectione* priora, quae nobiliora sunt: sic vir puero prior est. Quoniam vero naturalis generatio procedit ab imperfecto ad perfectum, consequenter perfectiora sunt *ordine generationis* posteriora.

Quaeres II.—Quinam et quot sunt *Simultatis* modi?

92. Respondeo.—Duo dicuntur *simul* quando neutrum alterum praecedit vel subsequitur sive *duratione* sive *ordine* sive *consequentia* sive *natura*. Sequentes enumerantur. I.—*Simultas temporis;* sic dicimur simul currere et loqui, si currendo loquamur. II.—*Simultas naturae;* habetur inter duo, quae in consequentia mutuo convertuntur, et neutrum est causa alterius: quamobrem, ut duo *simul* natura dicantur, duo sunt necessaria. Primum est: ut ab uno ad alterum sit necessaria *consequentia*, quantum ad eorum existentiam; ut *si pater est*, est etiam *filius*. Secundum est: ut neutrum sit *causa* alterius. Defectu prioris conditionis, *animal* et *homo* non sunt *simul* natura; nec generatim, loquendo superius et inferius. (n. 50.) Defectu posterioris, *sol* et *radius* non sunt *simul* natura; sol enim est causa radii. Utraque conditio in *relativis* habetur: nam valet ab uno ad alterum illatio, et unum non est causa alterius. Unde relativa dicuntur esse *simul* natura (n. 70.) III.—Simultas consequentiae habetur inter ea, quae se mutuo inferunt, ut v. g. inter risibile et rationale: tenet enim consequen-

10

tia *a est risibile:* ergo *est rationale: x est rationale:* ergo *est risibile.* IV.—Habetur etiam *simultas* inter duo, quae *ex aequo dividunt genus:* hoc autem contingit quando *a*)—differentiae sunt *immediatae* ambae, ita ut una non dividat id, quod per aliam constituitur: et *b*)—quando *nulla est ad invicem dependentia.* Haec *simultas* dici potest *Ordinis.*—Hinc vides quatuor modis *prioritatis* respondere quatuor *simultatis* modos: modus autem simultatis in dignitate *proprie* non datur; quia est valde improprius: tamen non desunt, qui illum admittunt, ajentes nos posse simul duos amare vel honorare aequaliter. Sed iterum repeto hic modus *simultatis* est valde improprius.

Illustre exemplum circa hos modos *prioritatis* et *simultatis* habes apud S. Augustinum, qui cum dixisset; "Cum aliud sit coeli et terrae materies, aliud species: materiam quidem de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materie; *simul* tamen utramque fecisti, ut materiem forma, nulla morae intercapedine, sequeretur," Conf. 13. c. 33. ne hoc videretur repugnare his, quae antea dixerat, materiam sc: fuisse factam *priusquam* forma fieret, ostendit pulcherrimo exemplo petito a cantu (in quo modulatio vocis non sequitur vocem posterioritate temporis, sed tantum naturae) illud *priusquam* non importare prioritatem *temporis* sed tantum prioritatem orginis seu *naturae,* sic inquiens.

"Quis sic acuto cernat animo, ut sine labore magno dignoscere valeat quomodo sit *prior* sonus quam cantus, ideo quia cantus est formatus sonus, et esse utique aliquid non formatum potest, formari autem quod non est, non potest? sic est *prior* materies, quam id quod ex ea fit, non ideo *prior,* quia ipsa *efficit,* cum potius fiat: nec *prior intervallo temporis.* Aeque enim priore tempore sonos edimus informes sine cantu, et eos posteriore tempore in formam cantici coaptamus aut fingimus: sicut ligna quibus arca, vel argentum quo vasculum fabricatur. Tales quippe materiae tempore etiam praecedunt formas rerum, quae fiunt ex eis; at in cantu non ita est. Cum enim cantatur, auditur sonus ejus; non prius informiter sonat, et inde formatur in cantum. Quod enim primo utcumque sonuerit, praeterit; nec ex eo quidpiam reperies, quod resumptum arte componas; et ideo cantus in sono suo vertitur: qui sonus materies ejus est. Idem quippe formatur ut cantus sit: et ideo, sicut dicebam, prior est materies sonandi, quam forma cantandi: non *per faciendi potentiam* prior; neque enim sonus est

cantandi artifex, sed cantanti animae subjacet ex corpore de quo cantum faciat. Nec *tempore prior:* simul enim cum cantu editur. Nec *prior electione;* non enim potior sonus quam cantus, quandoquidem cantus est non tantum sonus, verum etiam sonus speciosus. Sed *prior est origine;* quia non cantus formatur ut sonus sit, sed sonus formatur ut cantus sit. Hoc exemplo qui potest intelligat materiam rerum primo factam et appellatam coelum et terra; nec tempore primo factam, quia formae rerum exserunt tempora, illa autem erat informis." (Confess. l. XIII. c. 29.)

Quaeres III.—Quid Motus, et quot Motus species?

93. Respondeo.—Motus *generatim* inspectus describitur ab Aristotele: "actus entis *in potentia*, ut *in potentia*."

Ad hujus autem descriptionis evidentiam considerandum est quod res, antequam facta sit, dicitur esse *in potentia*. Id autem nihil aliud importat, nisi quod ipsa possit fieri *ex aliquo* subjecto (loquimur hic tantummodo de actione creaturarum). Sic v. g. planta, antequam fiat, dicitur esse in potentia seminis: quia *ex semine* fieri potest; et statua puta Moysis vel Alexandri antequam fiat, dicitur esse in potentia marmoris (sc: materiae ex qua): quia *ex marmore* fiet statua. Quamobrem quando aliquod Agens creatum facit aliquid (sc: effectum) ex aliquo (sc: ex materia vel subjecto praejacenti) dicitur *educere* talem rem *ex potentia in actum;* nam antequam fieret, *poterat* fieri; postquam vero factum est, jam est in rerum natura, *in actu.* Motus igitur *generatim* est ille *transitus* rei *ex potentia in actum:* sic v. g. motus plantae est transitus plantae ex potentia seminis in actum plantae. Dixi *generatim*, quia motus *proprie* non habetur, nisi quando transitus ille est accidens alicujus; tamen hic loquitur Aristoteles generatim de transitu sive substantiae sive accidentis, de quo mox dicam.

Intellectis terminis, modo ad ipsam definitionem motus quod attinet, illam mirifice explicat S. Thomas sic inquiens.

"Potentia et actus, cum sint de primis differentiis Entis, naturaliter priora sunt motu, et his utitur Philosophus ad definiedum motum. Considerandum est igitur, quod aliquid est *in actu tantum*, aliquid vero *in potentia tantum*, aliquid vero *medio modo se habens* inter potentiam puram et actum perfectum. Quod igitur est in potentia tantum, *nondum movetur;* quod autem jam est in actu perfecto non movetur, sed *motum est.* Illud igitur *movetur*, quod *medio modo* se habet inter potentiam puram et actum; quod

quidem *partim* est in potentia, *partim* in actu, ut patet in *alteratione.* Cum enim aqua est solum in potentia calida nondum movetur; cum vero jam est calefacta, terminatus est motus calefactionis; cum vero jam participat aliquid de calore, sed imperfecte, tunc movetur ad calorem; nam quod calefit paulatim participat calorem magis ac magis.

"Ipse igitur actus imperfectus caloris in calefactibili existens est motus; non quidem secundum id, quod actu tantum est, sed secundum quod jam in actu existens habet ordinem in ulteriorem actum: quia si tolleretur *ordo ad ulteriorem actum,* ipse actus, quantumcumque imperfectus, esset *terminus* motus, et non motus; sicut accidit cum aliquid semiplene calefit. Ordo autem ad ulteriorem actum competit existenti in potentia ad ipsum. Et similiter si actus imperfectus consideretur *tantum ut in ordine ad ulteriorem actum,* secundum quod habet rationem potentiae, non habet rationem motus, sed *principii* motus: potest enim incipere calefactio, sicut a frigido, ita et a tepido.

"Sic igitur *actus imperfectus* habet rationem motus et secundum quod comparatur *ad ulteriorem actum,* ut *potentia;* et secundum quod comparatur *ad aliquid imperfectius,* ut *actus.* Unde neque est potentia existentis (sc: *mobilis*) in potentia, neque est actus existentis in actu, sed est *actus existentis in potentia;* ut per id, quod dicitur *actus,* designetur ordo ejus *ad anteriorem potentiam:* et per id, quod dicitur *in potentia* existentis, designetur ordo ejus *ad ulteriorem actum.* Unde convenientissime Philosophus definit motum dicens, quod *Motus* est: *"actus existentis in potentia, secundum quod hujusmodi."* (111. Physic. 1. 2.)

Cf. etiam Taparelli Dritto Naturale Nota III.

94. Motus autem *generatim* inspecti (quamcumque mutationem etiam *instantaneam* intelligendo) sex assignantur species ab Aristotele sc: *Generatio* et *Corruptio; Augumentum* et *Diminutio: Alteratio,* et *Latio* seu motus secundum locum. Generatio et Corruptio terminantur *ad Substantiam; Augumentum* et Diminutio *ad Quantitatem;* Alteratio *ad Qualitatem;* Latio *ad Locum.* "Actus enim, ut sapienter observat Toletus, opponitur potentiae, ut id *actu* dicatur, quod est; id *potentia* quod non est, sed esse potest. Invenimus autem *quadruplicem potentiam* in rebus, et consequenter quadruplicem actum. Prima potentia est *Generationis,* secundum quam aliquid dicitur posse recipere esse (int.

substantiale) quod non habet.—Altera est *augumentationis*, secundum quam (substàntia materialis jam in suo esse substantiali constituta) potest acquirere quantitatem, qua caret: quam, postquam habuerit, dicitur in actu respectu talis potentiae.—Tertia est *alterationis*, secundum quam aliquod accidens (int. Qualitaeis) in se recipere potest sive spirituale sive corporale: quo acquisito, dicitur esse in actu tali.—Quarta est *ad locum*, ad quem moveri potest. (Comm. in 1. p. q. 3. a. 4.) Prout igitur mobile seu Ens existens in potentia concipitur esse in potentia vel ad *esse substantiale completum*, vel *ad Quantitatem*, vel *ad Qualitatem*, vel *ad Locum*, habebuntur diversae species mutationum vel motuum.

Duo tantum velim hic observes.

Primum est.—Motum *proprie* dictum sc: *successivum*, quique proinde cum mora ac fluxu veluti continuo fiat, non reperiri nisi in *Augumentatione*, *Alteratione* ac potissimum in motu locali seu *latione*. Et sic intelligendus est S. Thomas cum ait "*tres* sunt species motus, unus quidem, qui est *secundum quantitatem*, qui vocatur Augumentum et Diminutio; alius autem, qui est *secundum passibilem qualitatem*, et vocatur alteratio; tertius autem, qui est *secundum locum*, et vocatur loci mutatio (seu Latio)." 8. Phys. lec. 14.

Secundum est.—*Primum* inter omnes motus esse *Localem* mutationem. Ratio est quia Generatio, quemadmodum et Augumentum, nequit haberi sine alteratione, ut ex Metaphysica suppono. Ante omnem vero alterationem praecedit *motus localis*. Ut enim scite S. Doctor l. c. arguit: "si aliquid alteratur, necesse est, ut sit aliquid alterans, quod potentia (v. g.) calidum facit esse actu calidum. Si autem hoc alterans semper esset eodem modo propinquum in eadem distantia ad alteratum, non magis faceret calidum nunc, quam prius. Manifestum est ergo quod movens in Alteratione non similiter distat ab eo, quod alteratur; sed aliquando est propinquius, aliquando remotius; quod non potest contingere sine loci mutatione." Exinde consequitur motum localem esse omnium *perfectissimum*, quod quidem etiam ex eo veritatem habet, quod mobile minus per ipsum mutetur: alteratio autem (atque idem proportionaliter de augumentatione dicendum) tametsi ex alio capite majorem perfectionem suo mobili adferre valeat, semper tamen illud *intrinsece* mutat. Hinc est quod

Motus *Localis* etiam in Entibus incorruptibilibus, in Angelis sc: (in quibus non cadit Generatio, Augumentum vel Alteratio) inveniri potest. Cf. Suaresium (D. M. 35. sec. 6.) item Toletum (Comm. 1. p. q. 110. a. 3. ad 2.)

Atque haec de Universalibus dicta sufficiant, in quibus explicandis diutius immorari necessarium nobis visum est. Quippe haec quaestio in tota philosophia *fundamentalis* est, et quoque gressu, ut ita dicam, recurrit. Eam tamen *more logico* tractavimus veterum vestigia sequuti, quaestionibus, quae ad Metaphysicam spectant, omissis.

QUAESTIO V.

DE PROPRIETATIBUS TERMINORUM.

95. Satis superque in praecedenti quaestione consideravimus terminum, qui in propositione *locum praedicati* obtinere debet, et quid de aliquo subjecto praedicari et quatuplici ratione praedicari possit, perpendimus. Nunc ipsum subjectum examinandum occurrit ac variae, quas in propositione (quae est *signum exterius judicii*) subire potest proprietates acceptionesque considerandae veniunt. Meminisse enim debes hanc primam mentis operationem ejusque signum, (quod termino orali continetur), ad secundam mentis operationem hujusque signum (quod nil nisi *propositio* est) esse coordinandam. (n. 11.)

Jam age proprietates terminorum, quaedam sunt, quae terminis conveniunt *per se spectatis;* quaedam aliae sunt, quae terminis conveniunt *ratione Verbi*, quod iis adjungitur; aliae demum sunt, quae terminis conveniunt *ratione alterius termini*, qui verbum non est. De his igitur quaeritur quae sint, et quot sint.

Respondeo.

DICO. I.—*Terminis per se spectatis competit Suppositio.—Suppositio autem esse potest:* a) *materialis vel formalis : formalis* b) *logica vel realis : realis* c) *singularis vel communis : communis* d) *absoluta vel personalis : personalis* e) *collectiva, disjunctiva, disjuncta, distributiva (sive completa* i. e. *pro singulis generum, sive incompleta* i. e. *pro generibus singulorum, sive accommoda).—*

Declaratur assertio.—*Suppositio* generatim sumpta est; "acceptio seu usus termini (int. categorematici) generatim accepti pro aliqua sua significatione." Hujusmodi autem termini acceptio jure meritoque dicitur *Suppositio:* nihil enim aliud per hoc significare volumus, quam terminus (oralis) *supponi* et *quasi suffici* ac *substitui* loco rei significatae. Quippe, ut sapienter adnotat Philosophus, quum res ipsas per se in disputationem afferre nequimus, nominibus, quasi rerum notis, pro rebus uti cogimur.

Suppositio est vel materialis vel formalis. Suppositio *materialis* habetur quando "terminus pro sono tantum vocis accipitur," ut v. g. cum dicis: animal est vox; eaque subdividitur in *naturalem* et *artificialem*, prout terminus sumptus pro sono vocis, accipitur vel secundum id, quod ille sonus habet a natura; ut v. g. in citato exemplo; vel secundum id, quod ille sonus *habet ab arte*, ut cum dicis v. g. animal est nomen tertiae declinationis.

97. Suppositio autem *formalis* est: "acceptio termini pro re, seu forma (nn. 20. 47.) significata:" ut cum dicis v. g. homo est animal, animal est substantia. Et potest esse vel Logica vel Realis. Suppositio formalis *logica* est: "acceptio termini pro forma significata, secundum modum existendi, quem habet in mente concipiente:" (n. 26.) Suppositio formalis *realis* est: "acceptio termini pro forma significata, secundum modum existendi, quem habet in ordine reali:" (n. 26. 36.) Sic v. g. cum dico; "homo est animal:" et "homo est species:" in priori exemplo *homo* supponitur *realiter*, in posteriori autem *logice*.

98. Quoniam vero termini alii sunt singulares, alii communes: (n. 25.) propterea Suppositio *realis* esse potest vel *singularis*, vel *communis*. *Singularis* suppositio habetur "quando terminus accipitur pro individuo quodam determinato;" ut v. g. cum dico: "Sortes est homo." *Communis* suppositio e contra habetur "cum terminus communis accipitur pro suo significato vel *immediato vel mediato* i. e. pro natura communi vel pro inferioribus, in quibus hujusmodi natura inveniri potest. Ut enim supra de universalibus agentes (nn. 33. 50.) docuimus, terminus communis *significat* naturam aliquam seu quidditatem, et *simul connotat* inferiora, in quibus inveniri potest: *natura* illa expressa, est significatum *immediatum; inferiora* autem illa connotata, significata sunt *mediata*. Quamobrem Suppositio *communis* duplex est, *absoluta* et *personalis*. Suppositio *absoluta* est; "acceptio termini communis pro natura universali *absolute* inspecta: (n. 34.) "ut cum dico: "Homo est nobilissimum animal." Suppositio personalis est: "acceptio termini communis pro *inferioribus*, quae in ipsius *extensione* continentur;" ut cum dico: "omnis homo est moriturus:" et quoniam haec inferiora, ut plurimum, sunt *personae*, ideo haec suppositio *personalis* nuncupatur.

99. Jam age Suppositio personalis, quae praecipua est, esse potest vel *collectiva*, vel *distributiva*, vel *disjunctiva*, vel *disjuncta*,

prout *praedicatum* propositionis competit *inferioribus* termini communis (qui in propositione locum obtinet *subjecti*) vel *a.*)—*simul* sumptis, ut cum dico: "Omnia Sacramenta sunt septem;" vel *b.*)—*seorsim* inspectis, ut cum dico: "Omne corpus est grave;" vel *c.*)—*disjunctive* acceptis, ut cum dico: "Aliquis Apostolus fuit proditor;" vel *d.*)—*disjuncte* usurpatis, ut cum dico: "Aliquis oculus est necessarius ad videndum."

Quamobrem.

Suppositio *collectiva* est: "Usurpatio termini *communis* pro suis *inferioribus* ita enumerandis, ut solum de omnibus *simul* sumptis verificari possit oratio."

Suppositio *distributiva* est: "Usurpatio termini *communis* pro suis *inferioribus* ita enumerandis, ut de singulis *seorsim* acceptis verificari possit oratio." Et esse potest vel completa vel incompleta. *Completa* erit, si inferiora enumeranda sunt *individua;* ut cum dico: "omnis homo moritur:" diciturque *pro singulis generum. Incompleta* erit, si inferiora enumeranda sunt tantummodo *genera* vel *species,* ut cum dico: "omnia animalia fuerunt in arca Noe:" diciturque *pro generibus singulorum.* Quod si in una vel altera suppositione, aliqua exceptio facta intelligatur, Suppositio distributiva dicetur *Accommoda:* ut cum dictum legimus: "omnes in Adam peccaverunt;" excipe BB. et Immaculatam semper Virginem Mariam, quae intuitu meritorum Christi Redemptoris nostri praeservata fuit a labe originis. Hujusmodi autem exceptio non a cujusvis arbitrio dependet sed vel ratione vel idonea auctoritate est probanda.

Suppositio *Disjunctiva* est: "acceptio termini *communis* pro *uno aut altero* e suis inferioribus eoque *indeterminato,* ita tamen ut *de aliquo seorsim accepto* verificari possit oratio."

Suppositio *Disjuncta* est: "acceptio termini *communis* pro *uno aut altero* e suis inferioribus eoque *indeterminato* (et in eo convenit cum *Disjunctiva*) ita tamen ut de *nullo seorsim accepto* verificari possit oratio (atque in hoc differt a *Disjunctiva* et idcirco *Confusa* dicitur). Sic v. g. cum dico "Aliquis apostolus fuit proditor;" haec oratio verificatur de aliquo Apostolo x; quinam vero iste sit, non colligitur ex oratione. Cum vero dico: "aliquis oculus est necessarius ad videndum," verificatur haec oratio de alterutro oculo indifferenter accepto, at non de hoc vel illo (i. e. de dextro vel sinistro) seorsim sumpto.

100. Suppositionem *personalem* explicabant Veteres per *descensum* termini communis ad sua inferiora. Est autem *descensus*, prout hic sumitur, "explicatio suppositionis termini communis per ea omnia, pro quibus *actu* accipitur." Ut v. g. quum proposita hac oratione: "Omnis homo est animal;" sic explicas suppositionem subjecti; "homo *a* est animal, et homo *b* est animal . . . . . et ita coeteri qui fuerunt, sunt, erunt et esse possunt." Pro his namque omnibus actu i. e. *nunc* accipitur illius orationis subjectum. Non sic explicamus suppositionem ejusdem termini in hac oratione; "omnis homo occupat hac hora locum," sed enumeratis tantum his hominibus, qui hac eadem hora vivunt, pro his namque solis nunc accipitur vocabulum *homo*.

Hic autem descensus est quadruplex, Copulativus sc: Copulatus, Disjunctivus, Disjunctus. *Copulativus* fit per particulam *Et* copulative acceptam i. e. jungentem propositiones. *Copulatus* fit per particulam *Et* copulatim acceptam i. e. jungentem non propositiones, sed tantum partes unius extremi. Habes exempla;

"Omnis homo est animal"="homo *a* est animal, et homo *b* est animal et . . . . homo *x* est animal."

"Omnia Sacramenta sunt septem"="Sacramentum *a*, et sacramentum *b*, et sacramentum *c* . . . et sacramentum *g*, sunt septem."

Disjunctivus fit per particulam *vel* disjunctive acceptam i. e. nectentem propositiones. *Disjunctus* fit per particulam *vel* disjuncte acceptam i. e. ut nectentem non propositiones, sed partes unius extremi. En exempla:

"Aliquis Apostolus fuit proditor"="vel apostolus *a* fuit proditor, vel apostolus *b* fuit proditor . . . vel apostolus *l* fuit proditor."

"Aliquis oculus est necessarius ad videndum=vel oculus sinister vel oculus dexter est necessarius ad videndum."

Quod diximus de particulis *Et Vel*, intelligi quoque debet de aliis, quae illis aequivalent.

Ex dictis hucusque juverit sequentia colligere corollaria. Sunt enim maximi momenti.

101. In suppositione *a*)—*disjunctiva*, disjunctivus verificatur descensus: in *b*)—*disjuncta*, disjunctus: in *c*)—*copulativa*, copulativus: in *d*)—*distributiva*, copulativus.

102. Sub quocumque termino vere descenditur *copulative* descendi quoque potest *disjunctive;* non autem viceversa. Qui vere enim dicit: "homo a est animal et . . . . homo x est animal:" vere

quoque dicere poterit: "vel homo a est animal vel . . . homo x est animal;" Tamen uterque descensus non idem valet, nec posterior omnino explicat suppositionem, quam prior explicat. Qui autem vere dixerit: "vel a est albus, vel b est albus" non ideo vere dicturus erit: "et a est albus, et b est albus." Hujus discriminis causa haec est; ex omni vera copulativa fieri potest vera disjunctiva: at non vicissim.

103. Descensus fieri nequit, ut per se patet, quando suppositio est vel *materialis*, vel *logica*, vel *singularis*, vel *absoluta*. Termini autem, qui afficiuntur syncategoremate universalitatis *omnis, nullus* habere possunt pro *varietate* orationis, suppositionem sive *collectivam* sive *distributivam*; termini vero, qui afficiuntur syncategoremate particularitatis *aliquis, nonnullus* suppositionem vel *disjunctivam* vel *disjunctam*.—Demum terminus categorematicus *universalis* est terminus communis *distributive* suppositus; terminus vero categorematicus *particularis* est terminus communis *disjunctive* vel *disjuncte* suppositus. (nn. 25. 50.)

DICO. II.—*Proprietates termino convenientes ratione Verbi adjuncti sunt tres* sc: *Status, Distractio, Ampliatio.*

Ante hujus assertionis declarationem, adverte has proprietates potius esse affectiones *suppositionis*, quam terminorum: verius namque dicimus suppositiones habere statum, distractionem, ampliationem, quam termini ipsi. At quoniam affectio suppositionis in terminos redundat, et utraque locutio a Dialecticis usurpatur, utroque modo indifferenter loquemur.

104. Declaratur assertio.—*Status* est: "acceptio adaequata termini pro his rebus *existentibus tempore* adsignificato per copulam seu verbum adjunctum." Et quoniam *tres* sunt temporum differentiae *praesens* sc: *praeteritum, futurum*, triplex consequenter est terminorum status, acceptio sc: termini pro tempore praesenti, ut cum dico: *Sedens studet:* pro tempore praeterito, ut cum dico: "*qui sedebat studebat:*" pro tempore futuro, ut cum dico: *qui sedebit, studebit.* Ad termini statum internoscendum datur haec regula: "Omne subjectum propositionis affirmativae ac praesentis temporis, cujus praedicatum nequit subjecto convenire, nisi supposita existentia subjecti, habet statum temporis praesentis," ut v. g. si dicas: "omnis homo est albus." Accipitur enim

Subjectum *adaequate* pro omnibus ac solis hominibus, qui *nunc* existunt; quandoquidem si tantum hi essent albi, concederetur procul dubio propositio; quod equidem non fieret, si praedicatum praescinderet ab existentia subjecti, ut v. g. in his propositionibus: *omnis homo* est *animal: risibile.*—etc.

105. *Distractio* est: "acceptio termini pro his tantum rebus quae *existunt* in aliqua temporis differentia *diversa* ad ea, quae adsignificatur per copulam. "Eaque sex modis contingere potest. Nam *a*)—si copula adsignificat tempus *praesens,* potest distractio accidere vel ratione *praeteriti,* vel ratione *futuri;* ut cum dicis: *qui didicit, docet;*" "*qui moriturus est nascitur.*" *b*) Si copula adsignificat tempus *praeteritum,* potest distractio accipi vel ratione *praesentis,* ut cum dico: "*qui docet, didicit:*" vel ratione *futuri,* ut cum dicis; "*qui moritur, natus est.*" *c*) Si demum copula adsignificat tempus *futurum,* potest distractio accipi vel ratione praesentis, ut si dicas; "*qui vivit, morietur:*" vel ratione praeteriti, ut si dicas; "*qui natus est, morietur.*" Unum tantum observa nullam dictionem apud Logicos distrahi, nisi ratione alicujus differentiae temporis inclusae in verbo minus principali, aut in aliquo participio, ut in citatis exemplis videre est. Dices. In Sacris literis contrarium aliquando contingere videtur; ut cum Dominus ait *Coeci vident; claudi ambulant; surdi audiunt:* sensus est: Qui fuerunt coeci, claudi, surdi; vident, ambulant, audiunt; et tamen nullum est in iis dictionibus verbum minus principale; aut participium, quod efficiat, ut subjecta accipiantur pro praeteritis, nec praedicata sint ampliativa ad praeterita. Respondeo. Ideo hae loquutiones usurpatae sunt, quia connotativa illa (n. 27.) *coeci, claudi, surdi,* sumuntur ut participia temporis praeteriti, ita ut sensus sit. "*Qui antea privati erant videndi facultate ..... vident,* etc:." Stat igitur Regula.

106. *Ampliatio* est: "acceptio termini pro rebus *pluribus quam* contineantur in differentia temporis adsignificati per copulam." Sic v. g. cum dicis *omnis senex fuit puer;* sensus est: *omnis, qui fuit, aut est senex, fuit puer.* Fieri potest quadruplici ratione. I.—*Ad praesentia et praeterita.* II.—*Ad praesentia et futura.* III.—*Ad praesentia, praeterita et futura.* IV.—*Ad praesentia, praeterita, futura, et possibilia;* est maxima omnium Ampliatio, eaque in enunciationibus *necessariis* verificatur. En exempla. I.—"Sedens surgebat"="Qui sedet aut sedebat, surgebat." II.—

"Vivens morietur"="Qui vivit, aut vivet, morietur." III.—"Natus morietur"="Qui natus est, aut nascitur nunc, aut nascetur adhuc, morietur." IV.—"Omnis homo est animal; est risibile" ="Omnis homo, qui est, aut fuit, aut erit, aut esse potest, est animal: est risibilis."—Illud unum observa, quod ex adductis exemplis colligere potes, nomen sc: quod ampliatur semper accipi *disjunctim* respectu harum differentiarum *esse, fuisse, fore*, et *posse esse;* sive ampliatio se extendat ad duas, sive ad tres, sive ad omnes. Dico respectu *harum differentiarum;* nam respectu rerum, pro quibus accipitur, potest accipi *copulative, copulatim, disjunctive*, vel aliis modis.

Quaeres.—Quomodo dignosci potest terminorum Ampliatio?

Respondeo.—Multa traduntur documenta (ut videre est apud Fonseca, De Benedictis et alios). Unum tantum proferam, quod maxime necessarium est. Est autem hujusmodi.

107. Termini propositionum *necessariarum*, nisi aliquid obstet, sunt *per se* accipiendi quod *maximam ampliationem* i. e. pro omnibus omnino rebus sive existentibus sive possibilibus, quas significant. Dicitur propositio *necessaria* illa, cujus praedicatum enunciat vel *essentiam* subjecti (sive haec completa sit sive incompleta) vel ejus *proprium*. V. g. cum dico: *Homo est animal rationale: homo est animal: homo est risibilis.* Quoniam vero essentia est *id, quo res est id, quod est:* et proprium *necessario* consequitur essentiam; (nn. 42. 45.) idcirco ubicumque et in quacumque differentia temporis et in quocumque statu reperitur subjectum, debet reperiri illud praedicatum: secus idem simul esset et non esset; quod equidem repugnat. Quamobrem illae propositiones sequentibus aequivalent: *Homo, qui fuit, vel est, vel erit, vel esse potest, est animal:—animal rationale:—risibilis.*

108. Demum observa has proprietates terminorum sc, Statum, Distractionem, Ampliationem non eodem modo explicari, quando terminus est *absolutus*, et quando terminus est *connotativus.* Diximus enim in termino *absoluto* significari *diserte* subjectum, in termino vero *connotativo* significari formam *diserte, obscure* autem connotari subjectum, cui forma inest (n. 27). Quocirca, quoniam relativum pronomen ad subjectum refertur, hinc terminus absolutus *praeponendus* est pronomini relativo verbum *sum es, est* regenti; terminus vero connotativus est *postponendus.* Sic, prolatis duabus his enunciationibus, *Homo disserit; Philoso-*

phus studet; sic explicabis statum utriusque subiecti: *Homo, qui est, disserit:—Qui est philosophus studet.* Propositis vero his enunciationibus; *Omnis homo est mortalis:—Lugentes consolabuntur:* sic explicabis utriusque subjecti ampliationem: *Omnis homo, qui est, vel fuit, vel erit, est mortalis:—Qui sunt, aut erunt lugentes, consolabuntur.*—

DICO. III.—*Proprietates termino orali convenientes ratione alterius termini a verbo diversi, sunt Restrictio et Appellatio.*—

Declaratur assertio.

109. *Restrictio* terminorum tunc habetur, cum "illorum status, distractio aut ampliatio, per additionem alicujus termini *incidentis*, (n. 29.) ad pauciora contrahitur:" ut si dicas. "*Sedens in cathedra docet:* terminus *in cathedra* restringit statum participii *sedens* ad illos tantum, qui sedent in cathedra. Hujusmodi autem restrictio multis modis fieri potest, sc: vel *a*)—adjectione casus obliqui sive cum propositione, ut in allato exemplo, vel sine propositione, ut: "vultus *hominis* spectat coelum:" vel *b*)—adjecto nomine adjectivo, ut v. g. "Plato fuit eximius *philosophus:*" vel *c*)—adjecto nomine substantivo ut v. g. "Apostolus *Judas* fuit proditor:" vel *d*)—adjunctione adverbii, ut v. g. "Aristoteles disputat *acutissime:*" vel *e*)—interposita ratione, ut v. g. "omnes res naturales, *quae generantur,* intereunt."

Duo sunt hac in re observanda.

Primum est.—Dictio aut oratio, quae in uno extremo ponitur eam tantum vocem restringit, quae illo extremo continetur. Sic cum dico; "homo est animal rationale:" *το rationale* restringit *animal,* non vero hominem.

Secundum est.—Nulla fit restrictio, cum vox, quae additur, transfert terminum a significatione propria ad impropriam, vel chimaericam: hoc in casu habetur *remotio* vel *alienatio.* (Cf. Auctorem n. 28.)

110. *Appellatio* est: "applicatio significationis unius termini ad rem significatam per alium terminum:" ut v. g. cum dico: *Cicero fuit orator:* significatio *oratoris* cadit in *Ciceronem,* eique vi propositionis adhaeret; item cum dico: *Caesar fuit magnus dux;* significatio *magni* applicatur *duci,* et quatenus hunc terminum afficit, applicatur Caesari. Terminus, cujus significatio ap-

plicatur, dicitur *appellans;* terminus, cui applicatur, dicitur *appellatus;* ipsa applicatio, dicitur *appellatio.* Exinde intelliges, quae sequuntur.

Primum.—In omni propositione, praedicatum *appellat*, subjectum vero *appellatur.*

Secundum.—Terminus *appellans* est semper adjectivus vel quasi adjectivus; *Appellatus* vero substantivus vel quasi substantivus. Sic v. g. cum dicis: "Sortes est egregie doctus;" adverbium *egregie* adjectivum non est, nec nomen *doctus* est substantivum: attamen primum, quia *denominat*, est quasi adjectivum; secundum vero, quia *denominatur*, est quasi substantivum.

Tertium.—*Appellans* semper sumitur secundum significatum *formale; Appellatus* autem aliquando secundum significatum *formale*, ut v. g. cum dico: *magnus dux, malus musicus:* aliquando vero secundum significatum *materiale* ut v. g. cum dico: *philosophus dormit.* (n. 27). Ut autem cognoscas quando *Appellatio* cadat in *materiale* vel in *formale* significatum *vocis appellatae* en documenta.

111. *I. Documentum.*—"Nomen adjectivum, vel quasi adjectivum, quod praedicatur de aliquo subjecto significatum *materiale* habente, appellat significatum *materiale*, nisi accidens rationis significet."

Sic cum dicis: hic *philosophus est bonus;* praedicatum appellat hominem, qui est bonus: *homo sedet;* praedicatum appellat aliquod individuum, non vero naturam humanam: *Christus fuit semper;* praedicatum appellat Verbum Divinum, (quod est quasi *materiale* significatum vocis *Christi*), non item naturam humanam, (quae est significatum *formale* vocis *Christi*). Cf. S. Th. p. 3. q. 16. Quocirca neganda est haec propositio: "Christus est factus:" quia vi appellationis participii *factus*, significat Verbum Divinum esse *factum*, quod quidem falsum est et absurdum.

Dixi: nisi *significet accidens rationis:* ut v. g. cum dicis: *homo est species;* hujusmodi namque praedicata appellant *immediata* ac *formalia* significata subjectorum (n. 98.) *modo nil obstet.* Hinc fit, ut negentur hae propositiones; "animal est species infima;" "homo est individuum quid:" nam prior significat animal *commune* homini et bruto esse *speciem infimam;* posterior vero; hominem *in communi* esse *aliquod individuum.* Addidi *modo nil obstet:* potest enim hujusmodi appellatio variis modis impediri, ut si dicas

v. g. "hic homo est species;" "omne animal est genus;" voces *hic*, *omne* efficiunt, ut nomina *homo*, *animal* denominentur secundum significata *mediata*; unde propositiones evadent falsae.

112. *II. Documentum.*—"Nomen adjectivum vel quasi adjectivum, quod ante substantivum vel quasi substantivum in eodem propositionis extremo ponitur, appellat *formale* significatum illius."

Sic v. g. cum dicis *Christus est factus homo*; sensus est Christus est factus homo secundum naturam humanam. Unde non licet arguere: *Christus est factus homo; ergo est factus:* vel e converso: *Christus non est factus; ergo non est factus homo.* Mutatur enim appellatio.

113. *III. Documentum.*—"Nomina, quae significant actus animi v. g. cognoscitivos vel appetitivos, appellant *formale* significatum earum rerum in quas feruntur."

Sic v. g. cum dicis; *Cognosco venientem: concupisco dulce;* sensus est: cognosco venientem, *ut venientem* (quamquam non cognoscam eum, qui venit); concupisco dulce, *qua ratione est dulce* (tametsi substantia rei, quae est dulcis, non me moveat). Oportet tamen ut vox, quae actum significat, praecedat eam in quam fertur; nam si subsequitur, potest *materiale* significatum appellare.

Atque haec de terminorum affectionibus sufficiant. Fortasse quibusdam nimis minuta videri possunt quae huc usque diximus; at quantae futura sint utilitatis, imo etiam necessitatis, tum in quaestionibus, sive philosophicis, sive theologicis expendendis ac solvendis, tum ad errores vitandos, is solus experietur, qui ea didicerit et alte memoriae fixerit.—

QUAESTIO VI.

DE DIVISIONE ET DEFINITIONE.

114. Ad recte judicandum *Distinctio* et *Definitio* sunt necessaria. *Definit* mens, quum clariorem distinctioremque facit habitam perceptionem; idque ad hoc dirigit, ut debitum proferat judicium de re, quam considerat: at cum res, quas mens considerat, ut plurimum, complexae sint, nec uno intuitu comprehendi possint, hinc fit, ut mens illas in partes, quibus constant, *dividendo* resolvat, ut partibus his intellectis, totum postmodum clare ac distincte cognoscat. Quoniam igitur nostri muneris est (n. 11.) hanc priorem mentis operationem ad subsequentem *ordinare;* idcirco postquam praedicatum ac subjectum judicii consideravimus, necessum est, ut de definitione ac divisione agamus. Idque distinctis articulis praestabimus.

ARTICULUS I.

DE DIVISIONE.

Tria quaeri ex ordine possunt. I.—Quid sit Divisio? II.—Quotuplex sit Divisio? III.—Quibusnam documentis subjiciatur, ut recte fiat?

Respondeo.—

Dico. I.—*Divisio est: "Totius in suas partes distributio;" eaque est* vel *vocis* vel *rei.*

115. Declaratur prima assertionis pars.—Totum est: "id omne, quod unum est et in plura resolvi potest;" diciturque *divisum.* Illa vero *plura*, in quae *Totum* resolvi potest, dicuntur *partes*, vel etiam *membra dividentia* seu *divisionis membra.* Exinde intelliges primo; quid sit Divisio. Intelliges secundo; Divisionem esse

quemdam sciendi modum: nam cum totum in partes, quibus constat, dividitur, tunc distincte qua totum est declaratur.

Explicatur secunda assertionis pars.—Divisio alia est *vocis multiplicis*, quae *proprie* distinctio dicitur: alia est *rei* eaque in *partitionem*, et in *divisionem* proprie dictam distribuitur.

Distinctio est: "divisio vocis multiplicis in varias suas significationes:" ut si dicas: hujus vocis *natura*, alia significatio est, qua Deum; alia, qua essentiam, prout operationum principium est: alia, qua universum mundum significat. Hae autem significationes non debent esse *aeque principales*, sed hujusmodi, ut aliquam habeant unitatem vel *ordinis*, vel *proportionis* vel *attributionis:* nam illud nequit dividi, quod nullo modo est *unum*. Quocirca *Aequivoca* (n. 23.) dividi nequeunt; nisi tamen quis velit dicere eorum multiplicitatem dici posse quadamtenus *unum*, ratione unius vocis in qua cernitur.

116. *Partitio* est: "Totius quanti divisio in suas partes integrantes:" partes *integrantes* dico illas, quibus tota aliqua multitudo vel magnitudo extensa est; ut v. g. membra corporis humani sunt partes integrantes corpus humanum; diversi ordines reipublicae integrant rempublicam. Hae autem partes aliae sunt ejusdem naturae et appellationis, ut v. g. partes aquae; aliae diversae naturae et appellationis, ut v. g. partes corporis humani. Priores *homogeneae*, posteriores *heterogeneae* dicuntur. Quamobrem duplici ratione Quantum dividi seu partiri potest, sc: in *partes homogeneas;* sic partitur v. g. Quantitas continua; *in partes heterogeneas*; sic partitur v. g. Quantitas discreta.

Ad hanc dividendi formam revocari potest *Divisio Totius Potestativi* seu *virtute.* Est autem Totum *Potestativum* illud, quod cum in se unum sit ac simplex, dividi tamen potest, ratione multarum virium, facultatum seu potestatum, quibus pollet. Hujusmodi est v. g. anima humana, quae tametsi in sesimplex sit, pluribus tamen gaudet facultatibus. Jam vero quemadmodum res extensa suis constat partibus integrantibus, quoad *totam extensionem;* ita res multis viribus ornata, constat suis partibus quoad *totam suam potestatem*, quae extensio quaedam est (n. 64.)

117. *Divisio* proprie dicta alia est *Totius essentialis*, alia *Totius universalis.* Totum *essentiale* illud dicitur, quod partibus ad essentiam pertinentibus constat, sive hae partes sint *physicae*, seu *realiter* ad invicem distinctae, ut v. g. anima et corpus, quibus

homo constat; et *generatim* materia et forma substantialis, quae substantiam completam componunt; sive *metaphysicae*, seu *ratione* distinctae *cum fundamento* tamen in re, ut sunt v. g. animalitas et rationalitas, respectu hominis (n. 36.) Quamobrem *Totum essentiale* duplex est *Physicum* sc: et *Metaphysicum.*—*Totum* vero *universale* seu *Logicum* (n. 35.) illud dicitur, quod de pluribus sibi subjectis praedicari potest; unde haec *subjecta*, *partes* ipsius *subjectivae* dicuntur. Exinde colliges Divisionem *proprie* dictam triplicem esse. I. est—*divisio Totius essentialis Physici.* II. est—*divisio Totius essentialis Metaphysici;* ad quam revocari potest *divisio Individui* in partem essentialem et in differentiam individualem. III. est—*divisio universalis* seu *Logici*, quae triplex est *a*) *generis in species: b*) *speciei in individua: c*) *differentiae in species et individua.* Haec enim omnia ac sola praedicantur de suis partibus, ut de subjecto, seu essentialiter (nn. 40. 41.) En exempla. "Animalium aliud est homo; aliud brutum."—"Hominum alius est Sortes, alius Plato etc."—"Viventium alia sunt animalia, alia plantae."—"Rationalium aliud est Sortes, aliud Plato."

118. Ad Divisionem generis in species (quae nobilissima et maxime necessaria est in philosophia) et specierum in individua revocari possunt quaedam *divisiones analogorum* [loquor non de *vocibus* (n. 115.) sed de *rebus* significatis] ut v. g. "Principiorum aliud est *principium viae,* aliud *motus,* aliud *temporis:*" "Accidentium alia sunt *qualitates,* alia *quantitates,* alia *relationes,* alia *extrinsecus denominantia.*" (n. 54.) Ratio est: quia tametsi haec analoga de suis extremis non praedicentur *univoce,* quemadmodum species de individuis, vel genera de speciebus, tamen eorum praedicatio maxime accedit ad praedicationem generis de speciebus, vel speciei de individuis. Dixi *quorumdam analogorum:* nam non de omnibus analogis id, quod diximus, verificatur, sed tantum de his, quorum nomina pro omnibus membris dividentibus accipi solent, cum *simpliciter* et *absolute* ponuntur; ut v. g. cum dicis: "Principium est *primum unde aliquid vel fit, vel est, vel cognoscitur:*" idipsum verificatur in divisione *accidentis in novem praedicamenta,* et in divisione multorum analogorum puta *Causae, Motus* etc., de quibus in Metaphysica recurret sermo. Hoc autem non continget quando analogum est hujusmodi, ut nomen *absolute* prolatum non pro omnibus membris dividentibus, sed pro *praecipuis rebus* significatis accipiatur; ut v. g. cum dicis; "hominum alius

est verus, alius depictus;" divisio nec vera est, nec bona; nam nomen divisi sc: *Homo* pro solis veris hominibus accipitur.

DICO. II.—*divisio per se est quintuplex* sc:

Divisio
- a)—*Vocis multiplicis seu distinctio.*
- b)—*Totius integralis seu Partitio.*
- c)—*Totius essentialis physici.*
- d)—*Totius essentialis metaphysici.*
- e)—*Totius universalis seu Logici.*

Divisioni autem per se totidem divisiones per accidens respondent.

119. Probatur assertio.—Totidem sunt Divisiones *per se*, quatuplici ratione Totum dividi potest *in suas* partes, nempe in eas, quae ratione sui seu *per se* sunt partes Totius: hae namque *simpliciter et absolute* rei *partes* dicuntur. Atqui Totum quintuplici ratione dividi potest. Nam

Totum, quod dividitur, vel est; *a*) *vox multiplex*, habens nimirum varias significationes; vel est *res*. Si est res; vel *b*) comparatur ad partes *quibus integratur;* vel *c*) comparatur ad partes, quibus ipsius *physica* essentia coalescit; vel *d*) comparatur ad partes, quibus ipsius essentia *metaphysica* constat; vel demum *e*) comparatur ad partes *subjectivas* sub ejus extensione contentas. Si *a*) contingit, habebitur *distinctio;* si *b*) *Partitio*; si *c*)*divisio essentialis physica;* si *d*) *divisio essentialis metaphysica:* si *e*) *divisio logica.* Ergo Divisio *per se* quintuplici ratione fieri potest.—

120. Est tamen considerandum saepenumero Totum aliquod in alia, quasi in partes, dividi, quae quidem *proprie dictae* partes ipsius non sunt. Exurgit exinde *divisio per accidens,* quae totuplex est, quotuplex est *divisio per se.* Harum.

Prima est.—*distinctio vocis multiplicis;* ut cum dicis: "hujus vocis *acutum*, alia significatio est, qua significat id, quod stimulat tactum; alia, qua id quod pungit auditum; alia, qua id, quod ferit gustum. Ut vides haec sunt accidentia, non vero partes divisi.

Secunda est.—*Partitio;* ut si dicas; "hujus *annuli* (ex auro et smaragdo confecti) una pars est fulva, alia viridis."

Tertia est.—*Divisio physica;* ut si dicas: "hominis una pars est *quae movet*, alia *quae movetur.*"

Quarta est.—*Divisio metaphysica;* ut si dicas: "Hominis una pars est ipsi *cum brutis communis,* altera *propria et specialis.*"

Quinta est.—*Divisio Logica;* quae tripliciter per accidens fieri potest.

a')—*Dividendo Subjectum ratione accidentium,* ut v. g. "corporum alia *moventur,* alia *quiescunt.*" Dico autem *Subjectum* omnem partem subjectam generi vel speciei; *accidens* vero, quicquid ad essentiam non pertinet.

b')—*Dividendo accidens ratione Subjecti,* ut v. g. "Bonorum quaedam sunt *in anima,* quaedam *in corpore,* quaedam *in rebus externis.*"

c')—*Dividendo accidens ratione accidentium vel modorum,* ut v. g. "alborum quaedam sunt *dulcia,* quaedam *amara.*"—

Dico III.—*Ut divisio recte fiat:* a)—*sit adaequata.* b)—*Nullum divisionis membrum sit per se toti diviso aequale multoque minus totum divisum excedat.* c)—*Unum divisionis membrum alterum non includat.* d)—*Fiat primo in proxima et immediata membra, ac dein, si opus fuerit, singula membra in suas partes subdividantur.*

121. Ratio istarum regularum haec est.—In Divisione membra dividentia comparantur ad Divisum, tamquam *partes* ad *Totum.* Ergo necessum est, ut complexus earum Divisum adaequet. Unde stat prima et secunda regula.—Item membra divisionis debent esse aliquo modo opposita: secus falso affirmares inferiorum Divisi aliud esse hoc, aliud illud. Stat igitur tertia regula.—Demum Divisio ad hoc instituitur, ut ordo et distinctio conceptuum habeatur: id autem non obtineretur, si modus in divisionibus non servaretur: "Simile enim confuso est quicquid usque ad pulverem sectum est:" Ait Seneca Epis. 89. Membra autem *proxima* et *immediata* sunt quae *immediate* constituunt Totum: quae vero constituunt *immeditae* partem sunt membra Totius *mediata.*

Dices.—Haec divisio, qua *Bonum* dividitur in *honestum, utile* et *delectabile,* a probatis auctoribus, tamquam recta admittitur, et tamen membra, ut praescribit tertia regula, non videntur esse opposita.

Respondeo.—Divisum in hac divisione non est Bonum *materialiter* inspectum, sed *ipsa ratio Bonitatis.* Jamvero *alia* est ratio, quae honestatem; *alia*, quae utilitatem; *alia*, quae delectationem affert: tametsi hae *diversae* rationes in eodem subjecto inveniri queant. Cf. S. Thomam (1. p. q. 5. a. 6. ad 2um.) "Haec divisio non est per oppositas res, sed per oppositas rationes; dicuntur illa *proprie delectabilia*, quae nullam habent aliam rationem appetibilitatis (Bonum enim est: "quod omnia appetunt,") nisi delectationem, cum aliquando sint noxia et inhonesta. *Utilia* vero dicuntur, quae non habent in se unde desiderentur, sed desiderantur solum, ut sunt *ducentia in* alterum, ut sumptio medicinae amarae. Honesta vero dicuntur quae *in seipsis* habent, unde desiderentur." Adverte insuper, quod et ipse S. Doctor advertit, hanc divisionem non esse *univoci*, quod aequaliter praedicatur de suis subjectis, sed *analogi*, quod paredicatur per prius et posterius; "*per prius* bonum praedicatur de honesto et *secundario* de delectabili, *tertio* de utili" l. c. ad 3um. (n. 24.)

Ex dictis colliges.

Divisionem illam esse perfectam, quae *reciprocatur* cum Diviso i. e. quae est ejusmodi, ut ipsa cum diviso, et vicissim Divisum cum ipsa *converti* potest. Sic perfecta est haec divisio: "Animalium alia sunt sensu praedita, alia ratione."

ARTICULUS II.

DE DEFINITIONE.

122. Definitio, quae etiam *Finitio* apud Latinos nuncupatur. teste Quintiliano lib. 7. c. 4. ab agrorum finibus nomen accepit. Quemadmodum enim agrorum fines agros *definiunt* clauduntque atque alios ab aliis *secernunt;* ita definitio confiniis veluti quibusdam circumscribit ab aliisque discriminat objectum (dicitur definitum) circa quod versatur. Est autem *definitio;* "oratio, qua respondetur interroganti, quid aliquid sit:" ab Aristotele dicitur: "oratio, quae essentiam aliquam naturamve declarat;" et vicissim: "id cujus essentia vel natura explicatur," *definitum* ab ipso nuncupatur. Qua in re observa. I.—Definitio dicitur *Oratio:* quia ipsa debet intellectui subiicere id, quod nomen definiti obscure

proponit. Quocirca, quoniam de omni essentia, quae explicatur, duo conceptus formari possint, alter quo essentia haec cum aliis *convenit,* alter vero quo ab illis *secernitur;* hinc necessum est, ut duobus saltem terminis definitio constet, quorum unus gignat in mente conceptum *convenientiae,* alter vero conceptum distinctionis vel *differentiae* (n. 42.) Quamobrem omnis definitio est *oratio.* II.—Alia verba adduntur ad secernendam definitionem a quacumque alia oratione: haec autem essentia vel natura potest esse vel *nominis,* vel *rei significatae* per nomen, ut mox explicabo.

Circa Definitionem quaeri potest.

Primo.—Quotuplex sit Definitio?

Secundo.—Quid speciatim sit Definitio *rei* et quatuplici ratione fieri possit?

Tertio.—Quibusnam *proprietatibus* gaudere debeat *definitum?*

Quarto.—An omnia *possint* aut *debeant* definiri?

Quinto.—Quaenam praecepta servanda sint, ut *bona* sit Definitio?

Respondeo.

DICO I.—*Definitio est vel Nominis, seu Quid nominis: vel rei, seu Quid rei.*—

123. Declaratur.—Definitio, ut supra diximus, est "oratio qua respondetur interroganti quid aliquid sit." Jam aliquis interrogare potest, quid sit *nomen* significans rem, vel quid sit *res* significata per nomen. Oratio proinde, qua priori interrogationi respondetur, declarando essentiam naturamve nominis, *Quid nominis,* vel *definitio nominalis* dicitur; oratio autem, qua posteriori interrogationi respondetur, *Quid rei* vel *definitio realis* jure meritoque denominatur. Quoad priorem observa.

Definitio *nominalis,* ut adnotat Aristoteles, est omnino necessaria non modo cum aliquid demostrandum est, sed etiam in quovis disputationis initio, ut omnes verborum lites de medio tollantur. Triplici potissimum ratione fieri potest.

Primo.—*Ex etymologia vocis.* V. g. Philosophia est: "amor Sapientiae;" Theologia est: "sermo de Deo;" Consul est, qui reipublicae utilitati consulit; fides est, qua fit, quod dicitur. Has ἐτυμολογίας i. e. veriloquia, Cicero *notationes* appellat, eo quod sint veluti rerum notae: "nam hoc idem, ait, appellat Aristoteles συμβολον quod latine nota."

Secundo.—*Ex sensu, quem homines communiter affigunt voci;* ut v. g. si dicas: "nomine *plantae* intelligitur corpus organicum sola virtute vegetandi praeditum."

Tertio.—*Ex sensu, quem ipse loquens* in disputando cum adversario, *affigit voci,* dummodo tamen id raro, caute et ex rationabili causa fiat. Sic v. g. si aliquis disputans cum materialista, exorta controversia circa significationem vocis *Spiritus* diceret: "nomine *spiritus* intelligo, "Principium, quod in me sentit et intelligit et vult." Quod si adversarius hanc recipere nollet definitionem, ipsi esset declaranda et probanda, ne inutiliter tempus et argumenta terantur.

Dico II.—*Definitio Rei est vel descriptiva, vel Causalis, vel Essentialis.*—

124. Declaratur assertio.—Et 1. quidem Definitio *descriptiva,* teste Aristotele, "est oratio, quae *quod quid est* (i. e. essentiam) rei non significat, *soli* autem *inest,* et *conversim* de re praedicatur." Sic describis hominem, cum dicis: "homo est animal risibile." Haec namque oratio, quamquam cum homine reciprocetur, tamen non significat hominis essentiam: nam *risibile* non est constitutivum essentiae (n. 41.), *animal* autem, quamvis sit constitutivum essentiae, non reciprocatur tamen cum homine.

Haec definitio constat, ut caeterae definitiones, duplici parte, quarum prima tenet *locum generis* et exprimit id, quod res definienda cum aliis rebus commune habet, altera tenet *locum veluti differentiae* et exprimit id, quo res ab aliis discriminatur: hoc autem est vel *proprium* rei (n. 45.) vel *collectio accidentium,* quae licet *seorsim* inspecta possint aliis rebus convenire, *simul* tamen sumpta non nisi in re definienda *de facto* inveniuntur. Exinde vides cur hujusmodi Definitio dicatur ab Aristotele *descriptio, Proprium, conjunctione una:* Dicitur *descriptio:* quia essentiam rei non omnino explicat, sed primis veluti lineamentis adumbrat. Dicitur *Proprium:* quia hoc unum cum vera definitione (essentiali sc:) commune habet, ut sit propria rei, atque ideo cum re convertatur. Dicitur *conjunctione una:* quia non significat unam naturam (ut definitio essentialis) sed multa in una natura conjuncta. Colliges etiam definitionem *per proprium potiorem* esse illa, quae fit *per accidentia:* utramque tamen esse *imperfectam.*—

Ad hanc definitionem revocanda est illa, quae explicat rem per modum ac rationem, qua res gignitur, quaeque idcirco *Genetica* denominatur. Hujus definitionis usus frequens est in Geometria, analytica potissimum. Sic describitur circulus: "figura plana exurgens ex motu lineae rectae sese circa fixam sui extremitatem vertentis."

Ad ipsam quoque revocantur, tametsi minus proprie, *a*) orationes illae, quibus oratores et poetae longo verborum apparatu rem communem depingunt. Sic apud Tullium describitur *gloria:* "quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolatur, quae efficit ut absentes adsint, mortui vivant, cujus denique gradibus etiam homines in coelum videantur ascendere." Pro Milone. Et apud Virgilium:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo: . . etc. . . .

Dixi *minus proprie:* quia, ut plurimum, non reciprocantur cum definito et verbis metaphoricis constant, a quibus, ut Aristoteles monet, in definiendo abstinere debemus.—*b*)—Explicationes rerum *singularium* puta regionum, urbium, sylvarum, fluminum etc. sive breves, ut apud philosophos, sive longiores, ut apud oratores et poetas.—*c*)—Demum *adumbratae* quaedam et *metaphoricae* locutiones, quibus passim utuntur Poetae v. g. cum ait Ovidius: "Stulte, quid est somnus, gelidae nisi mortis imago?" et Horatius: "Ira furor brevis est."

125. Definitio *causalis* illa est: "quae rem per causas ipsius extrinsecas explicat." Dicuntur autem *causae extrinsecae* illae, quae ad productionem effectus concurrunt (vel tamquam principium *a quo* efficitur res, vel tamquam principium, *cujus gratia* res fit, vel tamquam principium *ad cujus imitationem* fit res) tamen sua entitate non constituunt rem, atque idcirco *extra* effectum sunt: hujusmodi sunt v. g. respectu statuae, Artifex (dicitur causa *efficiens*) ; finis, quem Artifex intendit (dicitur causa *finalis*) ; exemplar, quod Artifex imitatur (dicitur causa *exemplaris*). Quoniam igitur triplex est causa *extrinseca* rei, consequenter definitio, de qua est sermo, tripliciter fieri potest.

Primo.—*Per causam efficientem:* v. g. "Anima humana est substantia *immediate* a Deo creata."

Secundo.—*Per causam finalem:* v. g. "Horologium est machina ad horas indicandas constructa."

Tertio.—*Per causam exemplarem:* v. g. "Anima humana est creatura facta ad imaginem et similitudinem Dei.

Ut perspicis, hujusmodi definitio duplici constat elemento, altero *communi*, *distinctivo* altero: est tamen *imperfecta*, quia vel rem non satis discernit: vel si discernit, non affert notas, quibus essentia rei constituitur. Melius proinde erit rem ex pluribus simul causis, quam ex una tantum definire: quia raro una dumtaxat, si nihil aliud addatur, contrahit genus ad speciem definiti.

126. Definitio *essentialis* illa est, "quae rem explicat per principia constitutiva ipsius essentiae." Hujusmodi autem principia sunt *realia*, quorum unum *commune* est, alterum vero *proprium;* et dicuntur *physica* vel *metaphysica*, inspecta diversa ratione sub qua considerantur (n. 36.). Quamobrem definitio essentialis dupliciter fieri potest.

Primo modo.—Per *materiam* et *formam substantialem* definiti. Sic definis essentiam *physicam* hominis, dicendo:

Homo est "substantia composita ex anima rationali et corpore organico."

Secundo modo.—Per *principium generis* et per *principium differentiae* (n. 35). Sic definis essentiam *metaphysicam* hominis, dicendo:

Homo est "animal rationale."

Ex hucusque dictis deduces.

Primo.—Definitio essentialis est *perfectissima* inter omnes: Ratio est: tum quia perfecte secernit (*definit*) rem a quacumque alia: tum quia vel *immediate* vel saltem *mediate* notas omnes exhibet, quae ad rei essentiam pertinent: tum quia consequenter fontem ac radicem omnium rei proprietatum operationumque brevi formula exprimit. Unde jure merito *medium* dicitur omnium demonstrationum.

Secundo.—Definitio essentialis est prorsus *immutabilis.* Ratio est quia Definitum (sc: essentia rei) est immutabile. Item *universalitatem* et quidem *absolutam* habet (n. 108.) Cf. Auctorem (nn. 31. 32.)

Dico III.—*Definitum debet esse* a)—*propinquum seu proximum:* b)—*unum per se:* c)—*universale:* d)—*et species alicui generi subjecta i. e. vel infima vel subalterna.*

127. Declaratur assertio.—Dico I.—Definitum debere esse *proximum* seu *propinquum*, non autem remotum. *Propinquum* illud est quod *proxime* et *immediate* per definitionem explicatur, diciturque etiam *immediatum*; *remotum* vero illud est, quod eatenus definitur, quatenus in priori continetur, quocirca etiam *mediatum* dicitur (n. 99.). Sic v. g. cum dico: "Animal est corpus organicum sensitivum:" animal est definitum *propinquum*; homo vero et brutum et a fortiori singuli homines et singula bruta sunt definita *remota* seu mediata. Ratio autem hujus assertionis est: tum quia definitum est essentia *in se* inspecta i. e. secundum *suam comprehensionem*, non autem secundum suam extensionem (n. 50.); tum etiam quia, definitum remotum nec omnino nec *conversim* explicatur definitione illa, cujus respectu dicitur definitum remotum, nec proinde appellari potest *simpliciter* definitum.

Dico II.—Definitum debere esse *unum per se* i. e. debere esse unius essentiae. Nam cum Definitio sit quaedam veluti expressa imago alicujus essentiae, quot fuerint essentiae per definitionem explicandae, tot sint definitiones necessum est. Exinde colliges primo: quod est *unum per accidens* v. g. "homo albus" non definiri simpliciter. Colliges secundo: nullum aequivocum et analogum definiri posse, nisi prius distinguatur.

Dico III.—Definitum debere esse *universale* int: metaphysicum (n. 35.). Ratio est: quia Definitum, utpote essentiam aut proprietatem rei exprimens, debet esse *immutabile:* singularia autem (si unum Deum Optimum Maximum excipias) sunt mutabilia; universalia vero *per se* sunt immutabilia. Insuper Definitio est principium et fundamentum scientiae: scientiae autem *objectum immutabile* est: consequenter id, quod per definitionem explicatur (sc: Definitum), immutabile sit oportet. Hinc colliges (n. 125.).

Primo.—Definitio essentialis est prorsus immutabilis.

Secundo.—Definitio, quae fit per proprietatem rei est pariter immutabilis.

Tertio.—In omni definitione *descriptiva*, in qua differentia desumitur ex proprietate rei, verba non *actum* (qui accidit rei) sed *aptitudinem* significant. Sic v. g. cum dicis "*Substantia* est Ens per se et in se stans;" sensus est: "Substantiam esse rem, *cui competit* esse in se et per se." Cum dicis: "*Accidens* est Ens in alio; intellige—ens cui competit esse in alio." (n. 57.) Pariter cum dicis "Ignis est corpus calidum;" intellige—corpus, quod habet

proprietatem calefaciendi. Hoc perpende; est enim maximi momenti in tota Theologia et Philosophia.—

Dico IV.—Definitum debere esse *speciem* alicui generi subjectam. Ratio hujus est: quia in omni definitione aut descriptione proprie dicta ponendum est *genus rei* (int. principium generis quae definitur; et ejus *differentia* vel *proprium* (int. principium differentiae vel proprietatis). Quamobrem Definitum substet alicui generi, quod per differentias contrahi potest, necessum est. Atqui nonnisi species subesse potest. Ergo. Hinc colliges.

Primo.—*Suprema genera* definitionem *proprie* dictam pati non posse: a fortiori *Analoga* v. g. Ens, Unum, Bonum, Verum, Aliquid, Potentiam, Actum.

Secundo.—*Differentias* definiri *proprie* non posse: nullius namque generis sunt species. Attamen ipsae quadamtenus describuntur more *proprietatum, concretis* terminis, significatarum: quemadmodum enim dicimus "*docilem* hominem," qui doctrina imbui potest, sic dicere possumus: "Rationale est animal, quod rationem participat."

Tertio.—Quaecumque figmentum significant definiri nequeunt definitione reali, sed tantum declarari possunt quoad significationem nominis.

Dico IV.—*Non omnia possunt aut debent definiri definitione proprie dicta.*

128. Haec assertio, quae ceteroquin ex hucusque dictis consequitur, potest ulterius in hunc modum declarari.

Et primo quidem non omnia *sunt definienda.* Ratio est: tum quia notiones quaedam sunt *per se* clarissimae, et sua luce ita sunt menti manifestae, ut ulterius collustrari non egeant: tum quia, si omnia essent definienda, impossibilis evaderet definitio; quemadmodum si omne corpus, quod illuminat, ab alio illuminari deberet, nullum corpus esset illuminans, nullumque illuminatum: et si omne, quod movetur, ab alio moveri deberet, a quo motus inciperet nihil esset, atque ideo nullus motus dari posset.

Secundo non omnia *definiri possunt.*—Obstat enim, quominus omnia definiantur, ex una parte, quarumdam notionum conditio: ex altera, humanae mentis limitatio et imperfectio.

Ex primo capite nequeunt definiri definitione *proprie* dicta (sc: essentiali) *a*)—Notiones *transcendentales* Entis, Unius, Veri, Boni atque his affines: nam, cum sint simplicissimae et communissimae, in alias resolvi nequeunt (n. I26.). *b*)—Notiones *praedicamentales;* quippe quae supremae sunt. *c*)—Notiones, quae *immediate* experientia sive interna, sive externa, colliguntur.

Dixi definitione *proprie* dicta. Nam explicari haec utique possunt ac describi, quemadmodum supra de praedicamentis agentes peregimus, et in Metaphysica de Ente ejusque passionibus acturi faciemus.

Ex secundo capite definiri nequeunt: *a'*)—Individua: nam tametsi, ut plurimum, cognoscamus id, per quod individua ad invicem conveniunt, ignoramus tamen eorum individuales differentias sc: id per quod unumquodque individuum in suo esse *constituitur* et ab aliis individuis *per se differt.* *b'*)—Illae omnes species, quarum essentiales ignoramus differentias.

Ex dictis colliges.

Primo.—Substantia sola corporea, et species, quae sub ipsa collocantur, definiri possunt ex principio *materiali* et principio *formali:* hae namque solae *utroque hoc principio* coalescunt.

Secundo.—Si praedicamentum Substantiae cum aliis conferas, intelliges profecto substantias solas *simpliciter* definiri *essentiali* definitione; accidentia vero omnia, quoniam *essentialiter exigunt* esse in substantia, quadamtenus per substantiam, quae est eorum *subjectum,* definienda esse, aliter tamen cum significantur nominibus *abstractis* (quae sunt ipsorum *propria*), aliter vero cum significantur nominibus *concretis.* In primo casu, substantia ponenda est *in obliquo,* ut v. g. cum describitur *motus:* "translatio corporis ex uno loco in alium:" in secundo casu ponenda est substantia *in recto,* ut v. g. cum describitur *res mota:* "*corpus* translatum de loco in locum."

Tertio.—Non modo autem omnia accidentia sive *proxime* sive *remote* per substantiam sunt definienda, sed etiam inter accidentia reperiuntur multa, quae aliis praeterea indigent additamentis. Hujusmodi accidentia sunt *Habitus operativi, Potentiae naturales, Relata* omnia. Nam *a''*)—Habitus et Potentiae per suos *actus immediate, mediate* vero per *objecta* ad quae actus ordinem dicunt, definiuntur: sic definitur Philosophia: "Scientia, quae circa caussas rerum ultimas versatur;" Intellectus: "Facultas cognoscitiva

Entis, in quantum est Ens. *b''*)—Relata vero definiuntur *per respectum*, quem ad correlativa dicunt: sic Pater definitur per respectum, quem dicit ad filium, qui respectus (sc: habitudo) inchoatur in patre et in filium terminatur.

Dico V.—*Ut recta sit Definitio.* a)—*Sit ipsa clarior definito.* b)—*Sit propria definiti.* c)—*Nil in ipsa redundet, nil desideretur.* d)—*Sit brevis, quantum natura definiti et perspicuitas definitionis patientur.*

129. Haec praecepta facile ex his, quae supra diximus, intelliguntur. Illud unum observa ex his quatuor praeceptis duo priora hujusmodi esse, ut eorum praetermissio efficiat, ut oratio non sit amplius definitio: duo vero posteriora id praestare, ut si non observentur, non ideo oratio cesset esse definitio, sed tantum non bona erit Definitio. Juverit modo, quomodo contra haec praecepta peccari possit, ostendere.

I.—Contra primum praeceptum peccat: *a*)—Ille qui *vocabulum* aliquod explicare intendens, voces adhibet inusitatas, novas aut non satis declaratas; vel voces aequivocas et ancipitis significationis; vel metaphoricas et inusitatas loquutiones. *b*)—Ille, qui volens *rem* declarare, idem per idem explicat, sive *explicite* easdem voces adhibendo (quod certe intolerandum est et ridiculum) sive saltem *implicite* (quod quandoque accidit) aequivalentes usurpando, atque ita in circulum vitiosum incidendo. Est autem *circulus vitiosus* definire aliquam vocem per illud ipsum, quod definiendum est; ut v. g. si quis definiat *diem ;* "tempus constans viginti quatuor horis:" *horam* vero: "vigesimam quartam partem diei." *c*)—Idem incommodum habetur in illis definitionibus, in quibus *res positiva* definitur per ipsius negationem vel privationem; aut unum contrarium per suum contrarium, ut si quis definiat Bonum: "id quod est contrarium malo." Adverte tamen, quod si duo sunt ita opposita, ut medium non admittant (n. 29.) tunc definito uno positive, alterum per prioris negationem definiri potest.

II.—Contra secundum praeceptum peccant omnes definitiones illae, quae vel *non conveniunt omnibus* rebus, quae sub extensione definiti continentur, ut v. g. si quis definiret conceptum: "repraesentationem *distinctam* objecti:" vel *aliis rebus* a definito diversis

conveniunt: ut v. g. si quis definiret *realiter* consulem: "illum, qui patriae consulit;" vel vocabulum; "signum internarum animi affectionum." (n. 45.)

III.—Contra tertium praeceptum peccant: tum *a*)—definitiones illae, in quibus aliquid adest, quo sublato, integra esset definitio, ut v. g. si dicis: "homo est animal rationale *bipes*:" τὸ *bipes* redundat: tum *b*)—definitiones illae, in quibus posito aliquo genere *remoto* et differentia ultima, non adhibeantur omnes interjectae differentiae, ut v. g. si dicis: "homo est substantia rationalis." Hinc intelliges cur Definitio debeat constare Genere *proximo* et Differentia *ultima*, si essentialis sit, vel (si causalis aut descriptiva) his notis, quae generis proximi aut differentiae ultimae locum tenent. Ne tamen decipiaris, observa iterum quod supra (n. 126.) innuimus. Cum dicitur Definitio constare debere *genere* proximo et *differentia* ultima, genus et differentia non sumuntur *secundo intentionaliter* (n. 26.) sc: quatenus exprimunt modum praedicationis; nam ut sic, universalia *logica* sunt, quaeque proinde non exprimunt *id, quod* de definito praedicatur (n. 36.); sed sumi debent *primo intentionaliter* sc: quatenus exprimunt id, per quod Definitum constituitur; nam, ut sic inspecta, universalia sunt *metaphysica*, quaeque proinde de definito enunciari possunt, quoad elementum *objectivum*, quod continent. (n. 36.)—

IV.—Contra ultimum praeceptum peccant hi omnes, qui tot particulas in definitione congerunt, quot sunt difficultates in tractatione rei, quae definitur. Etsi enim Definitio talis esse debeat, ut ex ea omnes, quae de re oriri possunt dubitationes, commode dissolvi possint, non ideo tamen necessum est, ut singulis argumentis diluendis, singula verba in definitione ponantur; sed sufficit definitionem ita constituere, ut ex paucis omnium objectorum solutio facile colligi possit. Quoniam igitur Definitio est veluti caput totius disputationis, quae de re habetur, hujusmodi esse debet, ut et facile memoria teneri, et expedite, cum opus fuerit, in medium proferri queat. Quamobrem, quantum et natura rei definiendae et perspicuitas definitionis patientur, brevis bebet esse definitio, tametsi nonnumquam longiori indigeat expositione.

Quaeres.—Quomodo investigenda sit alicujus rei definitio?

Respondeo.—Duas pro definitione investiganda tradit Aristoteles regulas (11. Posteriorum c. 14.) quarum una venatur definitionem *per descensum* sc: ab universalibus ad particularia descen-

dendo, altera venatur definitionem *per ascensum* sc: a singularibus ad universalia ascendendo.

Prior haec est.—Assume id, quod certe communius est re definienda: hoc divide in suas partes subjectivas. Si una ex his speciebus cum re definita reciprocatur, haec erit definitio quaesita. Si vero nulla reciprocetur, aliqua tamen illi conveniat; hanc ultimam divide, et, si opus fuerit, subdivide, donec complexio differentialum notarum *successive* aucta solummodo conveniat rei propositae. Habebis definitionem quaesitam.

Secunda haec est. Considera individua, quibus tribuitur *nomen* rei definiendae, et neglectis particularibus determinationibus, erue *rationem communem* omnibus eo nomine significatam. Si ex tali individuorum consideratione *unam* tantum rationem *omnibus communem* erueris, ratio inventa erit *species infima* et definitio quaesita; si autem plures inveneris; observa an hae in aliqua *ratione communiore* conveniant; si hoc contigerit, habebis totidem species infimas generis unius, et hoc *commune omnibus* erit Genus et definitio quaesita; sin autem non habent aliquid in quo *univoce* conveniant, variae illae rationes erunt *analogae,* quarum unaquaeque propriam habebit definitionem. De hac re sermo redibit ubi de Methodo agemus. Cf. Auctorem (nn. 25. 35).—

Quod (n. 11.) nobis proposueramus, Deo et SS. Corde Jesus auxiliante, praestitimus: remanet nunc, ut secundam mentis operationem consideremus eamque ad tertiam coordinemus.

SECUNDA PARS.

DE SECUNDA MENTIS OPERATIONE.

130. Intellectivae facultatis, prout est *intellectus* quidam, "duplex est operatio: una quidem, quae dicitur indivisibilium intelligentia, per quam scilicet apprehendit essentiam uniuscujusque rei in seipsa; alia est operatio intellectus sc: componentis et dividentis . . . prior *ordinatur* ad secundam; quia non potest esse compositio aut divisio, nisi simplicium apprehensorum." (1. Perihermenias lect. 1.) Haec secunda mentis operatio *Judicium* nuncupatur, desumpta metaphora a judice, qui de re sibi subjecta pro auctoritate sententiam pronunciat, et sub diverso, quo consideratur respectu, diversimode denominatur. Dicitur enim *a*) *compositio* et *divisio*, ratione notionum, quae per judicandi actum conjunguntur vel separantur; *b*) *affirmatio* vel *negatio*, ratione habita convenientiae objectivae, quae affirmatur vel negatur; *c*) *adhaesio* vel *assensus mentis*, considerato motivo, quo mens natura sua ad affirmandum trahitur, quod nil aliud est nisi veritas apprehensa.

De hac igitur secunda mentis operatione acturi, prout Logici munus exigit, ipsam *in se* considerabimus, et quomodo exterius exprimatur aperiemus, et quemadmodum ad tertiam mentis operationem ordinetur, docebimus. Duo proinde hujus tractationis erunt capita, quorum.

Primum. De Judicio ejusque partitionibus.

Secundum. De Judicii Signo.

CAPUT I.

DE JUDICIO.

Duo hic quaeruntur. I.—Quid sit Judicium. II.—Quotuplex sit Judicium.

DICO I.—*Judicium est: "actus, quo mens duas notiones ad invicem comparatas aut affirmatione componit aut negatione dividit:"* vel etiam: *"actus quo mens rem eamdem aut res diversas duabus notionibus exprimi affirmat."*

131. Declaratur assertio.—Cum intellectus humanus duas notiones ad invicem comparat, tria haec contingere possunt. Vel enim I.)—videt eas *objectivam* convenientiam habere, sc: unam eamdemque rem seu unum idemque objectum exprimere atque ideo in eodem objecto convenire: vel II.)—videt eas *objectivam* diversitatem habere, sc: res diversas seu diversa objecta exprimere et idcirco ab objecto divergere seu discrepare: vel III.)—neutrum videt. Si neutrum videt, nullum novum mens ponit actum, sed in mera rei apprehensione moratur adhuc. Si autem vel primum vel secundum contigerit, sc: si mens perspicit illas notiones vel *objective* convenire, vel *objective* discrepare, in hac, inquam, hypothesi si mens *fert sententiam* unam notionem de altera affirmando vel negando, *novus* exurgit in mente actus *Judicium* sc: quod propterea *affirmatio* vel *negatio, compositio* vel *divisio, assensus* vel *dissensus* jure merito nuncupatur.

Quamobrem ad Judicium tria necessario requiruntur. Requiritur *a*)—ut *duae* saltem adsint *notiones;* nam secus nulla fieri posset comparatio; requiritur *b*)—harum notionum *comparatio;* nequit enim affirmari unum alteri convenire vel secus, nisi praecesserit comparatio; requiritur *c*)—*apprehensio nexus* objectivae convenientiae vel discrepantiae: Judicium autem in assensu vel dissensu mentis reperitur. Quocirca jure meritoque definitur *Judicium;* "actus, quo mens *duas notiones* ad invicem *comparatas* aut affirmatione *componit* aut negatione *separat.*" Quoniam vero idem est negare duas notiones *objective* convenire, ac affirmare eas

esse *objective* diversas, propterea jure etiam describitur *Judicium;* "actus, quo mens rem eamdem aut res diversas duabus notionibus exprimi affirmat."

Quaeres.—Iste assensus vel dissensus mentis, Judicium sc: estne actus ab ipsa apprehensione nexus distinctus, an secus?

Respondeo I.—Haec quaestio, utpote *entitatem* actus respiciens, ad Psycologiam potius, quam ad Logicam pertinet. Quoniam vero Auctor hic illam pertractat, necessitas nobis incumbit, ut aliquid saltem de illa innuamus. Sunt itaque hac in re duae opiniones, quae contrariae videntur. Aliqui enim existimant, judicium seu assensum vel dissensum mentis ab ipsa *perspicientia convenientiae* vel *discrepantiae* idearum non distingui. Ratio est; quia mente assentire aut dissentire idem est ac aliquid affirmare vel negare: mentis autem affirmatio vel negatio non nisi in perceptione aliqua sita est; ergo. Haec ratio convincens videtur. Hanc sententiam propugnat Auctor (nn. 49. 50. 51.) quem confer. Alii vero contrarium arbitrantur, volentes hanc perceptionem convenientiae aut discrepantiae (quae nihil aliud est, juxta ipsos, quam mera apprehensio *comparativa*) esse quidem *conditionem* necessario requisitam ad judicium, ipsum autem judicium nullatenus *constituere.* His autem potissimum rationibus innituntur. *a*) Hujusmodi apprehensio causa est seu motivum judicii, atque idcirco ab ipso distincta; motivum autem, etsi a parte objecti inveniatur, non potest tamen movere intellectum ad judicandum, nisi prius apprehendatur. *b*) Apprehensio consequentiae est quidem convenientiae apprehensio, non ideo tamen est judicium. *c*) In contraria hypothesi nullum esset, aut saltem difficile explicaretur, judicium temerarium, judicium imparatum, judicium falsum. Addunt hi auctores contrariam opinionem non satis conciliari cum variis mentis statibus, et cum variis pronunciatis communiter ab omnibus admissis. Cf. Tongiorgi (Psyc. *de Judicio.*)

Respondeo II.—Quaestionem hanc plenius solvemus quando opportunior dabitur nobis hac de re disputandi locus; multas enim quaestiones, quae in Critereologia praesertim tractari solent, solutas supponit. Non abs re tamen erit quae de natura judicii disserit Suarez, hic afferre; clara enim sunt, et quae antea diximus confirmant ac illustrant simulque, quid hac in re tenendum nobis sit, aperient. Itaque de judicio disserens eximius Doctor, postquam probavit Judicium non esse actum *reflexum* per quem

se: potentia conceptionem suam *directam* comparat ad rem conceptam, judicatque illi esse conformem: sic prosequitur.

"Quare dicendum proprium judicium esse *adhaesionem* potentiae ad rem cognitam per actum ab ipsa elicitum, quo circa res *ante apprehensas* versatur. Ad cujus intelligentiam:

"Notandum est primo tale judicium solum reperiri *in divisione* et *compositione*, quoniam non versatur circa rem nude et simplici modo, sed circa *rem ita esse* vel *non esse*, quod absque compositione mentali non contingit.

"Notandum secundo intellectum aut comparare res simpliciter conceptas *componendo tantum* extrema non ferendo sententiam de propositione a se composita, idest neque assentiendo illi, neque dissentiendo et haec certe est *mera apprehensio* a judicio distincta; aut *componere* ipsa extrema *ferendo sententiam*, idest adhaerendo vel non adhaerendo tali compositioni, ut verae, vel ut falsae; haec igitur adhaesio judicium est, quia non materialis et quantitativa putanda est, sed *vitalis* et *intentionalis:* ideoque medio actu vitalis potentiae cognoscitivae fieri debet. Adhuc tamen difficile talis actus exponitur: cognitionem enim esse oportet, non apparet autem quid per illam cognosci possit, quod non jam sit per apprehensionem cognitum.

"Quare tertio notandum est, quoties intellectus comparat aliquod praedicatum subjecto, vel id praestare cognoscendo ei convenire, vel cognoscendo non convenire, vel neutrum cognoscendo: quando hoc tertio modo comparat est *mera apprehensio* sine judicio; quando vero comparat primo vel secundo modo, jam est *compositio judicativa*." Unde eximius Doctor concludit.

"Judicium ergo est ille actus, quo intellectus *cognoscit unum convenire alteri*: quapropter Judicium non est actus *realiter* distinctus a compositione intellectus *cognoscitiva connexionis* extremorum. Unde judicare est componere cognoscendo connexionem: et quia in hac compositione cognoscitiva etiam includitur apprehensio, et formatio rei cognitae; ideo quando hoc modo fit compositio, in illa includitur apprehensio et judicium *ratione* tantum, non *re* distincta."

Quae omnia ita probantur.

Primo. "Judicium est actus intellectus; debet ergo per illum aliquid intelligi; atqui nonnisi qualis connexio sit extremorum: ergo, etc. Probatur haec minor, quia non apparet quid aliud

cognoscatur; nam ipsa extrema jam erant cognita; ergo *cognoscere connexionem illam* ipsum est judicare.

"Praeterea si postquam quis formavit propositionem, alium distinctum actum elicit, quo judicat ita esse vel non esse actus, ille erit sane pronunciare intellectualiter propositionem esse veram, vel falsam, non est autem necessarium, ut eo modo, idest *in actu signato*, intellectus judicet talem propositionem esse veram, quia jam novam propositionem conficeret, de qua iterum esset judicandum, an vera esset, quod tamen experientia reprobat. Ergo judicium nihil est aliud, quam *cognoscere hoc ita esse*, qui actus a *compositione* vel *divisione* mentali non est distinctus." De Pot. animae lib. 3. c. 6.

Ex dictis, quae sequuntur corollaria, deduces.

133. Corollarium I.—Judicium non est actus voluntatis, ut Cartesiani contendunt, sed actus *elicitus* ab intellectu.

Ratio est: quia Judicium in suum objectum tendit *sub ratione veri;* ad illam proinde facultatem pertinet, cujus objectum est Ens sub ratione veri; hujusmodi autem est Intellectus. Ergo Judicium est actus elicitus intellectus. Dico *elicitus;* nam nulli est dubium multa esse judicia, quae tametsi ab intellectu *eliciantur*, *imperantur* tamen a voluntate. Ne tamen Cartesiani vim faciant in voce *assensus*, audiant S. Thomam, qui sic ait: "assentire est quasi ad aliud sentire; et sic importat quamdam distantiam ad id, cui assentitur. Sed consentire est *simul sentire* et sic importat quamdam conjunctionem ad id, cui consentitur. Et ideo voluntas, cujus est *tendere ad ipsam rem,* magis proprie dicitur *consentire.* Intellectus autem, cujus operatio non est secundum motum ad rem, sed potius e converso, magis proprie dicitur *assentire* (1. 2. q. 15. a. 1. ad 3.) Omitto alia incommoda, quae, contra sanam philosophiam et SS. Religionem potissimum, ex Cartesii sententia sequerentur.

134. Corollarium II.—In Judicio *plene* ac *proprie* reperitur cognitio. Nam I. Illa cognitio, in qua *proprie* repraesentatur objectum sicuti est, plena ac perfecta cognitio dici debet: atqui nonnisi in judicio repraesentatur *proprie* objectum sicuti est: nam per apprehensionem tantummodo sistitur in mente objectum, quin appareat quid de ipso sentiendum sit (n. 10.): ergo cognitio judicativa, seu judicium, plena ac perfecta cognitio dicenda est. II. Ibi plena ac perfecta cognitio est, ubi proprie Veritas aut

Falsitas *logica* reperitur: Atqui Veritas aut Falsitas logica *proprie* non nisi in judicio continetur: nam per judicium tantummodo objectum ita esse uti est, aut non esse, uti est, pronunciatur: ergo. Haec modo innuisse sufficiet uberius proprio in loco explicaturi.

Dico II.—*In omni judicio affirmatur identitas aut diversitas objectiva notionum, quae comparantur.*—

Pro assertionis intelligentia duo sunt praenotanda.

135. Primum est.—Duae notiones comparari possunt vel secundum *comprehensionem*, sc: secundum notas, quibus coalescunt; vel secundum *extensionem* sc: secundum rem, quam repraesentant (n. 50). Priori ratione comparatae, dicuntur *intrinsece* diversae vel identicae, prout vel diversis, vel iisdem constare notis deprehenduntur: haec autem identitas vel diversitas idcirco *intrinseca* nuncupatur, quia notiones ipsas afficit: sic v. g. notio "Animal —Rationale" est *intrinsece* identica cum notione *hominis*, et generatim loquendo definitio, potissimum si essentialis sit, est *intrinsece* identica cum definito: e contra notio hominis est intrinsece diversa a notione lapidis. Posteriori modo comparatae notiones dicuntur *objective* identicae vel diversae. *Objective* identicae, si unum idemque objectum, licet sub diversis formis vel potius diverso modo repraesentant, ut v. g. cum dico: "homo est animal." *Objective* autem diversae sunt notiones, quae objecta diversa repraesentant, ut sunt v. g. notiones candidi et calidi *in se* inspectae: dico *in se* inspectae, quia in concreto et ratione alicujus subjecti, in quo ambo concurrunt, possunt esse *objective* identicae, ut cum de lacte dico: "hoc candidum est frigidum:" vel etiam; "hoc dulce est album." Haec autem identitas vel diversitas *extrinseca* nuncupatur, quia objecta potius quam notiones respicit. Notandum insuper est *a*)—hanc intrinsecam identitatem vel diversitatem esse posse vel *totalem* vel *partialem*, prout notiones vel in omnibus, vel in aliquibus tantum notis conveniunt; quamobrem dari possunt notiones, quae *quoad partem* sunt intrinsece diversae, *quoad partem* vero intrinsece identicae: *b*)—Item extrinsecam identitatem vel diversitatem esse posse vel *totalem* vel *partialem; totalis* erit, si notiones rem unam eamdemque exprimunt, et neutra ultra aliam se extendit: *partialis* erit, si notiones ita ad invicem se habent, ut alterutra non modo alterius

objectum exprimat, sed ad alia insuper objecta se protendit: quocirca duae notiones esse possunt *objective* identicae *ex parte, ex parte* vero *objective* diversae: ut v. g. notio *Substantiae* et *animalis:* omne enim animal est substantia; at dantur innumera alia entia, quae Substantiae sunt, non tamen animalia.

136. Secundum est.—In propositione, (quae est signum judicii) praedicatum et subjectum unam eamdemque rem exprimunt: at subjectum exprimit rem, prout est a parte sui, i. e. secundum significatum *materiale;* praedicatum vero exprimit rem, prout *hic* et *nunc* concipitur a mente i. e. secundum significatum *formale.* Aliis verbis, subjectum ponitur *pro re, cui inest* forma per praedicatum expressa; Praedicatum vero ponitur *pro re, prout talem* praesefert formam (nn. 10. 20.) Cf. S. Thomam p. 1. q. 16. a. 2.

137. Probatur Assertio.—Et I.—In omni judicio *affirmatur aliqua identitas* (sc: convenientia) vel *diversitas;* nam omne judicium ad hanc formulam reduci potest: si *affirmativum;* S *est* P. si negativum: S non *est* P; vel etiam S *est* aliquid diversum a P. II.—Haec autem identitas aut diversitas est *objectiva;* nam secus omne judicium affirmativum evaderet falsum, quod certe admitti nequit. Nam si identitas vel diversitas affirmata non esset *objectiva,* deberet necessario esse illa alia, quae superest sc: identitas vel diversitas *intrinseca,* et tunc hoc judicium v. g. quo ego affirmo animalitatem de homine, ajendo: "Homo est animal," aequivaleret huic:

Notio hominis idem est ac *Notio Animalis:*

quod quidem falsum est: nam notio hominis magis *comprehensiva* est, quam notio animalis (n. 50.)

Confirmatur assertio.—Nil potest reperiri *in signo, qua tali,* quod *in re* per signum *significata* non reperiatur. Jamvero in propositione, quae est *signum judicii,* affirmatur vel negatur identitas *objectiva* praedicati et subjecti. Ergo in judicio affirmari vel negari debet identitas *objectiva* notionum, quae comparantur.

Quae hic dicimus, nulla ratione contraria sunt his, quae supra agentes de praedicatione directa, sive formalis ea sit, sive identica, (n. 40.) docuimus, ut parum attendenti patebit.

DICO III.—*Judicium si* a)—*spectetur modus, quo identitas vel diversitas objectiva notionum fit menti manifesta, est vel a priori vel a posteriori; utrumque vel immediatum, vel mediatum esse potest. Porro Judicia a priori sunt necessaria absolute: et dicuntur pura, rationalia, metaphysica et analytica; Judicia vero a posteriori sunt contingentia: et mixta, experimentalia, physica, synthetica dicuntur.* —*Sin autem* b)—*spectetur aequitas seu rectitudo assensus, judicium est prudens vel imprudens.*—

138. Declaratur prior assertionis pars.—Judicium *a priori* habetur cum "sola notionum (sc; subjecti aut praedicati) consideratio nos docet, eas unam eamdemque rem repraesentare, vel secus." Hoc autem tunc continget, cum mens unam notionem contuendo, videt notionem alteram in prioris notionis ratione includi, ex eaque veluti erumpere. Sic v. g. considerans mens notionem *Totius* (quod nil aliud importat nisi *partium complexum*) videt in hac notione necessario contineri rationem *superantis unamquamque partem seorsim sumptam:* unde haec judicia pronunciat: "Totum est majus sua parte:" "Totum est complexus suarum partium:" "Totum est aequale omnibus suis partibus simul sumptis:" etc. Hujusmodi judicia, ut perspicis, omnia sunt *analytica;* praedicatum enim est *de ratione* subjecti; et idcirco etsi *materialiter* differant, *formaliter* tamen idipsum exprimunt.

Judicium *a posteriori* habetur cum "ab experientia edoctus intellectus cognoscit unam notionem alteri convenire vel secus." Sic v. g. si manum meam admovens igni caloremque vel adustionem persentiscens, judico "Ignis est calidus:"—"Ignis est adurens:" judicia *a posteriori* pronuncio.

Judicia porro *a priori* sunt *necessaria* et quidem *absolute;* nam quacumque facta hypothesi et antecedenter ad quamcumque hypothesim, nequit aliter se habere subjectum, nisi ut enunciatur per praedicatum. Quamobrem universalitatem maximam, *metaphysicam* nimirum, *ex se* habent. E contra judicia *a posteriori* contingentia *ex se* sunt seu *de materia contingenti:* nam subjectum *absolute* loquendo, potest aliter se habere, quam per praedicatum enunciatur, et de facto aliquando aliter se habuit. Et si quando necessitatem habent, haec tamen necessitas non est absoluta, sed *hypothetica* sc: posito, quod res ita se habet, non potest aliter se habere.

Judicia *a priori* dicuntur *a*)—*pura;* quia non pendet ab experientia connexio inter praedicatum et subjectum: *b*)—*rationalia*; quia ratio hanc connexionem, quam inter notiones extare deprehendit, ponit: *c*)—*metaphysica;* quia ordinem *metaphysicum*, essentiarum sc: ac proprietatum ab essentia emergentium respiciunt, in eoque *proxime* fundantur: *d*)—*analytica* demum; quia ex analysi seu resolutione notionum efflorescunt. E contra Judicia a posteriori dicuntur *a'*)—*mixta:* quia mens non modo notiones, quibus componuntur, experientiae ope deprehendit, sed etiam earum ad invicem connexio eadem experientia suadente deprehendit; *b'*)—*experimentalia*, quia in experientia proxime fundantur; *c'*)—*physica:* quia ad ordinem existentiarum, seu physicum, referuntur: demum *d'*)—*synthetica* audiunt; quia notionum altera de alterius ratione non est, quamobrem non sunt *per se* conjunctae, et nonnisi experientia innixus Intellectus illas conjungit.

139. Judica sive *a priori* sive *a posteriori* dicuntur *immediata*, quando, facta duarum notionum comparatione, illico deprehenditur earum *objectiva* identitas vel diversitas, ut v. g. "totum est majus sua parte;" "ignis adurit;" dicuntur autem *mediata*, quando notionum comparatarum objectiva identitas vel diversitas, ratiocinio mediante, colligitur; hujusmodi sunt haec judicia; "humanus animus est immortalis:" "omnia corpora sunt gravia."

Ex dictis colliges duplicem esse nostrarum cognitionum ordinem, alterum *physicum* in experientia fundatum, alterum vero *idealem* ex notionum cognatione resultantem (n. 36): priorem *contingentem* esse: nam circa res existentes versatur; posteriorem esse *necessarium:* quippe circa rerum essentias totus quantus est versatur.

140. Declaratur posterior assertionis pars.—Intellectus humanus hujusmodi est naturae, ut ad assensum moveri nequeat nisi vel *ab evidentia* objecti, vel *a voluntate.* Est enim ipse *in se* spectatus potentia non libera, sed necessaria i. e. ejusmodi, ut non se determinet, sed determinari indigeat *quoad exercitium actus* vel ab objecto, quando est evidens; vel, quando objecti evidentia non ipsi affulget, a voluntate, quae inter omnes facultates veluti Domina, non modo harum sed et ipsius intellectus actus imperare potest. Hac igitur in hypothesi, vel sufficientia veritatis indicia movent voluntatem ad imperandum assensum; et tunc judicium *imperatum* a voluntate, *elicitum* autem ab intellectu, dicitur *pru-*

dens: vel insufficientia adsunt indicia, aut, si per se sufficientia, non tamen rite et, ut par est, expensa; et tunc judicium *imperatum* a voluntate, et ab intellectu *elicitum* dicitur *imprudens* seu temerarium.

CAPUT II.

DE SIGNO JUDICII.

141. Signum Judicii oratione enunciativa continetur. Est autem *Oratio* generatim inspecta; "complexus vocabulorum aliquam animi sententiam exprimens;" et prout hanc complete vel incomplete exprimit, erit *perfecta* vel *imperfecta.*

Orationum *perfectarum* quinque sunt species; sc: *enunciativa, interrogativa, vocativa, imperativa, deprecativa.* Hanc autem divisionis sufficientiam perbelle declarat S. Thomas sic inquiens. "Ratio non solum concipit ipsas res, sed etiam per suum conceptum alia dirigit et ordinat; concipiendo autem res in se format orationem *Indicativam* seu *Enunciativam:* ordinando autem alia format alias orationes. Dirigitur autem et ordinatur aliquis ab aliquo ad tria. Primo *ad attendendum mente;* et ad hoc pertinet oratio *Vocativa.* Secundo *ad respondendum voce:* et ad hoc pertinet oratio *Interrogativa.* Tertio *ad opus exequendum*; et ad hoc pertinet quantum ad inferiores, oratio *Imperativa;* quantum vero ad superiores, oratio *Deprecativa,* ad quam reducitur oratio *Optativa,* quia respectu Superioris homo non habet vim innatam nisi per expressionem sui desiderii; *Suppositiva* vero i. e. conditionalis et *Dubitativa* reducuntur ad *interrogativam.*" Advertit tamen S. Doctor ex his solam enunciativam pertinere ad philosophiam; nam sola significat verum et falsum, ac proinde est judicii signum; alias vero orationes, utpote quae non significant verum vel falsum, sed quemdam ordinem ad ista consequentem, magis pertinere ad Rhetoricam vel Poesim quae inducunt ad assentiendum per dispositionem audientis. Cf. Summam Logicae Op. 44. tract. 6. c. 111.

142. Partes (quae sc: *veram* habent *rationem partis*) orationis sunt duae Nomen sc: et Verbum. His namque positis, perfecta erit oratio, tametsi aliae desint. Nomen autem prout a Logico consideratur, est; "Vox simplex ad aliquid *sine varietate temporis*

significandum instituta." Quamobrem differt a verbo quod non tantum rem, sed etiam tempus, in quo res fit vel existit, significat; unde definitur Verbum: "Vox simplex, quae id, quod significat, *cum aliqua temporis differentia* significat." Sic v. g. *Valetudo* nomen est: nil enim nisi rem hanc, valetudinem sc: significat: e contra *Valeo* verbum est; quia, praeter valetudinem, etiam tempus, quo valetudo alicui subjecto inest, importat.

143. Ut autem rite intelligas illas particulas *sine varietate temporis* vel *cum temporis differentia*, observa I.—Aliud esse *significare tempus*, aliud *connotare tempus*, aliud *significare, cum tempore.* Primum et alterum nomini etiam conveniunt: quippe nomina quaedam invenire est, quae vel *tempus significant*, ut v. g. saeculum, annus, mensis, dies, hora; vel *tempus*, in quo actiones quaedam fieri consueverunt, *connotant*, ut sunt v. g. prandium, coena. Tertium solius verbi est proprium: Verbo enim solummodo convenit significare actionem vel passionem, quae cum non fiant nisi in tempore vel *praeterito*, vel *praesenti*, vel *futuro* respectu prolationis vocis, ideo Verbum dicitur id, quod significat, cum aliqua temporis differentia significare: hujusmodi sunt v. g. haec verba: Coeno, Docebar, Convalescam etc. Observa II.—Verbum non significare actionem vel passionem *in actu signato*, ut faciunt quaedam nomina v. g. *Calefactio*, sed *in actu exercito:* aliis verbis non *per modum rei*, sed *per modum actionis:* unde consequitur verbum significare rem per modum *fluxus* seu *motus*, cujus mensura est tempus; nomen vero significare rem, sive haec sit actio, sive quaecumque res alia, per *modum rei* per se stantis vel alteri adjacentis, prout nomen est vel substantivum, vel adjectivum. Conferre poteris, non sine utilitate, S. Thomam (Summam Logicae Op. 44. tract VI. cc. 1um. et 2um.) et 1. Perihermenias lect. 4.—Toletum (Comm. in 1. Perihermenias cc. 1. 2. 3.)

144. Nomen dividitur in *Substantivum* et *Adjectivum:* primum rem significat *per modum Substantiae* i. e. per se stantis; secundum rem significat *per modum accidentis* i. e. adjacentis, proinde primum vel *explicite* vel *implicite* saltem supponit. Quocirca esse partem *principalem* orationis substantivo nomini, prae adjectivo, convenit. Quod ex eo etiam innotescit, quod oratio nomine substantivo et verbo constans, perfecta censetur; non item si nomine tantum adjectivo et verbo coalescit: sic perfecta est oratio, qua affirmas: "Sortes existit:" at non perfecta est oratio, qua dicis; "albus existit;" nisi substantivum aliquod subaudias.

At idipsum non valet de Verbo, quod tametsi in *Substantivum* et *Adjectivum* dividatur, utroque tamen modo acceptum est pars principalis orationis. Ratio autem haec est. Verbum substantivum *Sum, es, est,* actum essendi, qui primus est et fundamentum ceterorum actuum, perfectionum determinationumve significat: verba autem *adjectiva*, quotquot sunt, actiones, passiones, modificationes, varietatesque essendi exprimunt, unde semper *implicite* Verbum Substantivum includunt; atque ideo *logice* semper resolvi poterunt in Verbum *Substantivum* et in *praedicatum* expressum, ut ex dicendis patebit.

Hisce de oratione praenotatis, modo ad ipsam orationem enunciativam seu *Enunciationem* veniamus: de qua tria quaeri possunt:

Primo.—Quomodo Enunciatio componatur?
Secundo.—Quomodo Enunciatio dividatur?
Tertio.—Quibusnam gaudeat proprietatibus?

QUAESTIO I.

DE ENUNCIATIONIS NATURA.

145. Ens compositum, quodcumque illud sit, duplici *essentiali* elemento constare concipitur, quorum unum *determinabile* est, alterum vero *determinans;* ex utriusque autem conjunctione illud Ens resultat, quod quidem unum est (quippe suam habet entitatem (n. 47.)] tametsi compositum. Elementum determinabile, *Materia* dicitur, elementum vero determinans *Forma* denominatur (n. 20.) Quoniam igitur Enunciatio ens aliquod compositum est. de ipsa non secus, ac de aliis entibus compositis, loquendum nobis erit. Quamobrem propositae quaestioni, qua de natura ipsius quaeritur,

Respondeo.

Dico I.—*Enunciatio est: "Oratio qua aliquid de aliquo affirmatur vel negatur." Quamobrem duplici parte essentiali constat. terminis i. e. praedicato et subjecto, tamquam materia, et copula. tamquam forma.*—

146. Prior assertionis pars ex supra dictis constat.—Est enim enunciatio expressio *exterior* judicii. Jam vero Judicium est; "actus, quo mens *duas notiones* ad invicem comparatas aut *affirmatione* conjungit, aut *negatione* separat (n. 131.) Ergo enunciatio est *exterior* expressio, qua unus terminus de altero (termini enim *exterius* notiones exprimunt) affirmatur vel negatur; seu aliis verbis est:" oratio, qua aliquid de aliquo affirmatur vel negatur." Haec autem enunciatio, quatenus ad aliquid ex ipsa inferendum *proponitur*, proprio nomine dicitur *Propositio:* utroque deinceps vocabulo indifferenter utemur (n. 130.)

Propositionis termini dicuntur *Praedicatum* et *Subjectum*. *Praedicatum* est *id, quod de altero enunciatur; Subjectum* vero est *id, de quo praedicatum enunciatur.* Affirmatio autem identitatis vel diversitatis *objectivae* utriusque (Praedicati sc: et Subjecti) *copula* continetur, quae per vocem *est* exprimitur. En exemplum.—"Homo est animal:" vel "Anima humana est immortalis."—*Homo* est *subjectum* prioris, *anima humana* est *subjectum* posterioris: *animal* est in priori *praedicatum, immortalis* est in posteriori *praedicatum:* particula *est* exprimit in utraque connexionem subjecti et praedicati, seu *copulam.*

147. Declaratur secunda assertionis pars.—Praedicatum et subjectum sunt *Materia* propositionis: nam, *si seorsim* considerentur, propositionem *actu* non constituunt, tametsi constituere possint, quippe *ex his* componi debet propositio: illam vero tunc tantum constituere intelliguntur, cum vi copulae ad invicem colligantur: quamobrem jure meritoque copula nuncupatur *Forma* propositionis, et quidem *essentialis*; ipsa enim est *qua* propositionis *essentia* constituitur. (nn. 20. 44.)

Antequam ulterius procedam, juverit ex dictis quaedam colligere corollaria, quae maximi sunt momenti, et ex supra enodatis facile intelliguntur.

148. Primum.—Tametsi propositio quaevis *duos* habere debeat *terminos* et *copulam*, non ideo tamen necessum est, ut haec semper *explicite* exprimantur; possunt enim quandoque latere *implicite*, quod tunc vel maxime continget, cum Verbum est *adjectivum*. Exinde intelliges quid nomine propositionis *de tertio*, vel *de secundo*, vel *de primo adjacente* veniat. *De tertio adjacente* propositio illa dicitur, in qua tria haec praedicatum sc: subjectum et copula adjacent, ut in superiori exemplo videre est. *De secundo adjacen-*

te illa propositio dicitur, in qua duo tantum *explicite* exprimuntur; ut v. g. cum dico: "sum homo;" vel "Sortes existit; vel "amo justitiam." Propositio *de primo adjacente* ea dicitur, in qua unum tantum explicite adjacet; ut cum dico: "Amo"—"Lego" etc. Verum quoniam omne verbum adjectivum componitur ex verbo substantivo et ex praedicato, praedicatum autem subjectum supponit (n. 144.) idcirco propositio omnis, sive de primo, sive de secundo adjacente sit, commode ad propositionem de tertio adjacente revocari poterit. Sic propositiones praecedentes sequentibus sunt identicae: "Ego sum homo;"—"Sortes est existens;"—"Ego sum amans justitiam;"—"Ego sum amans;"—"Ego sum legens."

149. Secundum.—Praedicatum et Subjectum in propositione eamdem rem idemque *objectum* exprimunt, *sub respectu tamen diverso:* subjectum enim exprimit rem *materialiter*, et prout est *a parte sui;* praedicatum vero exprimit rem *formaliter* prout sc: hic et nunc *exprimitur a mente* (nn. 6. 11.): unum vero ad alterum refertur *per copulam*, quae est *objectivae* identitatis vel diversitatis Signum. Quoniam vero humanae mentis *proprium* objectum est universale (int. *metaphysicum*), et ea quae sunt indeterminatiora, atque ideo universaliora, *primitus* cadunt in apprehensione mentis (Cf. S. Th. 1. p. q. 84. a. 3.); propterea Praedicatum, si cum subjecto propositionis comparetur, ipso magis universale esse et ad illud, tamquam superius ad inferius, se habere deprehendetur; inde etiam factum est ut primum *formam*, secundum autem id, quod subjicitur, *materiam* sc: exprimere dicatur (n. 20.)

Quamobrem in propositione si termini, seorsim inspecti, ad invicem comparentur, praedicatum magis patet quam subjectum; excipe tamen casum in quo praedicatum exprimit vel *a*)—proprietates transcendentales subjecti (sc: Entis); vel *b*)—essentiam *completam* subjecti; vel *c*)—proprium subjecti; vel demum *d*)—praedicata singularia, aut collectiva, quae singularibus aequivalent. In his enim casibus praedicatum tam aeque patet (sc: se extendit) ac subjectum.

150. Tertium.—Quoniam vero praedicatum *per se* inspectum universalius est, quam subjectum item *per se* inspectum, consequitur inde, ut quando utrumque per copulam ad propositionem efformandam colligantur, praedicatum non nisi *quoad partem suae extensionis* affirmatur de subjecto, si propositio sit affirmativa; e

contra, si propositio sit negativa, praedicatum removetur a subjecto *quoad totam suam extensionem.* Aliis verbis in priori affirmatur subjectum esse *aliquam partem subjectivam* praedicati: in posteriori vero affirmatur subjectum non esse *ullam partem subjectivam* praedicati.

151. Observa demum *a*)—objectum propositionis iure merito denominari *materiam remotam* propositionis; *materiam* quidem quia est id, circa quod versatur propositio et consequenter *judicativa cognitio* mentis; *remotam* vero: quia entitas objecti nullatenus pendet a consideratione mentis; non ideo enim objectum est suasque habet affectiones proprietatesque, quia a mente *creata* cognoscitur, sed e contra ideo cognoscitur, quia est id quod est (Cf. S. Thomam 1. p. q. 16. a. 1.). *b*)—Falsitatem vero ac veritatem se habere, tamquam *formam accidentalem*, respectu Propositionis: tamquam *formam* quidem; quia terminorum conjunctionem respiciunt: *accidentalem* vero; tum quia propositionem jam *formatam* supponunt; tum quia propositio non cessat esse bona propositio et *in suo esse* perfecta, licet sit falsa.

DICO II.—*Verbum, quod munere copulae fungitur, est Verbum Substantivum in tempore praesenti.*

152. Probatur 1. pars.—Id, quod per copulam affirmatur est identitas vel diversitas *objectiva* inter Subjectum et Praedicatum. Atqui haec identitas vel diversitas objectiva in hoc tota consistit, quod res, quam exprimit Subjectum, *est* vel non *est* res, quam exprimit Praedicatum. Ergo Verbum Substantivum est, quod *munere copulae* fungitur. Dices. Multa alia verba, praeter Substantivum, munere copulae fungi possunt, ut cum dico; "Sortes currit:"—"Plato morietur" etc.

Respondeo.—Omnia verba adjectiva includunt Verbum Substantivum, nec ab eo differunt nisi tantum in eo quod, praeter verbum substantivum, praedicatum, quod de subjecto affirmatur, includunt. Quamobrem propositae enunciationes his aequivalent: "Sortes est currens"—"Plato est moriturus."

153. Probatur 2. pars. sc: debere esse *in tempore praesenti.*—Propositio enim omnis, quamvis identitatem diversitatemve praeteritam vel futuram affirmare possit, affirmationem tamen semper significat praesentem: idcirco relatio omnis ad praeteritum vel

futurum, tamquam pars praedicati haberi debet. Unde hae propositiones: "martyres fuerunt invicti"—"Justi erunt felices;" aequivalent his: "martyres sunt aliqui, qui fuerunt invicti"—"Justi sunt futuri felices."

154. Exinde colliges etiam quod Auctor (n. 59.) merito observat; verbum substantivum in propositione nihil aliud *per se* exprimere nisi convenientiam vel non convenientiam terminorum, sive uterque vel alteruter actu existat, sive non. An vero respectus haberi debeat ad *actualem existentiam* necne, id non pertinet ad rationem copulae, sed *ad materiam*, in qua versatur propositio, et quae significatur a terminis. Sic cum dicis "Totum est majus sua parte," vel "Sol est lucens," non procedit a copula, quod prior propositio sit necessaria, et posterior contingens, sed a materia terminorum, quatenus sc: praedicatum primae enunciat aliquid inclusum *in ipsa notione* subjecti, praedicatum secundae innuit proprietatem *de facto competentem* Subjecto. (n. 138.)

QUAESTIO II.

DE VARIIS ENUNCIATIONUM SPECIEBUS.

In Enunciatione considerari potest tum *materia*, tum *forma*, ut supra dictum est: materia autem esse potest sive *proxima*, sive *remota*; forma sive *essentialis*, sive *accidentalis*. His suppositis.

DICO I.—*Ratione formae accidentalis propositio est vel vera, vel falsa. Ratione vero formae essentialis propositio est vel affirmativa, vel negativa; utraque vel absoluta, vel modalis; modalis autem vel de necesse, vel de contingenti, vel de possibili, vel de impossibili.*

155. Declaratur Assertio.—Et primo quidem Propositio illa dicitur *vera*, in qua enunciatur aliquid esse vel non esse secundum congruentiam rei; secus propositio erit falsa. Quamobrem quatuor modis potest variari oratio; *a*)—quia id, quod est in re, enunciatur ita esse, sicut in re est, quod pertinet ad *affirmationem veram: b*)—cum enunciatur aliquid non esse, quod revera non est; et hoc pertinet *ad negationem veram: c*)—cum enunciatur aliquid esse, quod in re non est: et hoc pertinet ad *affirmationem falsam:*

d)—cum enunciatur aliquid non esse quod in re est: et hoc pertinet *ad negationem falsam.*—Cf. S. Thomam Sum. Logicae (De Enunciatione cap. 4. et 5.)

156. Secundo.—Si forma essentialis propositionis consideretur, propositio erit vel *affirmativa* vel negativa, prout aliquid de aliquo vel affirmat vel negat. Hujusmodi autem divisio, ut bene observat S. Thomas, "est divisio *generis in species*, quia sumitur secundum differentiam praedicati, ad quod fertur negatio: praedicatum autem est *pars formalis* enunciationis, et ideo hujusmodi divisio dicitur pertinere ad qualitatem enunciationis, *qualitatem* inquam *essentialem* (n. 71.) secundum quod differentia significat *quale quid*" (n. 41.). 1. Perhiermenias lec. 10.

Propositio, sive affirmativa, sive negativa, esse potest vel *absoluta*, vel *modalis: Absoluta*, "si simpliciter enunciat unum de altero," v. g. "Deus est omnipotens:" *Modalis*, "si praeterea modum etiam enunciat, quo praedicatum inest subjecto:" v. g. "Deus *necessario* est omnipotens:"—"Homo *contingenter* existit:"—"*Possibile* est alium mundum existere:"—"*Impossibile* est circulum esse quadratum."

Tria hic sedulo consideranda veniunt, quorum primum propositiones *infinitas*; secundum propositiones *affirmativas* vel *negativas*; tertium propositiones *modales* respicit. Itaque

157. Considerandum est primo.—A propositionibus sive affirmativis sive negativis distinguendae sunt illae, in quibus quodcumque aliud tribuitur subjecto, quam quod exprimitur per praedicatum, ut v. g. "homo est non lapis," vel etiam "non amare sapientiam stultitia est;" atque idcirco *infinitae* vocantur, quia in eis aliquid indeterminatum subjecto tribuitur. Jam age propositio infinita—*a*)—differt *ab affirmativa:* nam haec denotat aliquid determinatum (sc: categorema finitum) subjecto inesse; illa autem denotat aliquid indeterminatum (sc: categorema indefinitum) subjecto inesse:—*b*)—differt *a negativa:* nam haec denotat aliquid determinatum subjecto non inesse; illa vero, dum denotat aliquid determinatum subjecto non inesse, simul significat aliquid indeterminatum subjecto inesse, et ideo negatio a copula tranfertur ad praedicatum:—*c*)—*at utriusque est particeps:* est enim *quadamtenus affirmativa*, qua parte praedicat de subjecto aliquid indeterminatum; et est *quadamtenus negativa*, qua parte aliquid determinatum a subjecto removet. Sic v. g. cum dico: "homo

est non lapis;" equidem nego hominem esse lapidem; at simul affirmo aliquid aliud indeterminate homini convenire. Cf. S. Th. (11. Perihermenias lec. 1.)

Considerandum est secundo.—Duo adsunt pro propositione affirmativa vel negativa, theoremata, quae quidem maximi sunt momenti.

158. Primum est.—In omni propositione affirmativa, a)—*praedicatum tribuitur subjecto secundum omnes et singulas notas comprehensionis* (n. 50.) *suae:* b)—*praedicatum, ut plurimum, supponitur disjunctive vel disjuncte* (n. 100.); c)—*adeoque est terminus particularis* [*sc: sumitur quoad partem suae extensionis* (n. 22.)].

Ratio *a*)—est: quia quicquid continetur in superiori debet contineri in inferiori, quando superius de inferiori affirmatur: atqui praedicatum se habet ad subjectum, tamquam *superius ad inferius:* ergo. Quamobrem haec propositio: "Sortes est homo;" aequivalet huic:

"Sortes est substantia, corporea, organica, sentiens, rationalis;" atque ideo si prior est vera, et posterior vera sit oportet.

Ratio *b*)—est: quia affirmando praedicatum de subjecto, non affirmo subjectum esse omne id, quod *sub extensione* praedicati continetur, sed tantummodo affirmo subjectum esse unum vel alterum *ex inferioribus* praedicati: unde haec propositio: "Sortes est homo;" aequivalet huic:

"Sortes est vel individuum *a*, vel *b*, ... vel x." sc:

"Sortes est aliquis homo vel *a*, vel *b*, vel *c*, ... vel *x*"

Dixi, *ut plurimum*, nam si praedicatum enunciat vel *essentiam completam* subjecti, vel ipsius *proprium;* vel proprietates *transcendentales* subjecti; vel est terminus *singularis*, aut *collectivus* singulari aequivalens; haec regula locum non habet: nam in his casibus *praedicatum* tam *late patet*, quam *subjectum*, atque ideo ad invicem *reciprocantur* (nn. 129. 150.)

Ratio *c*)—est: quia terminus *disjunctive* vel *disjuncte* suppositus est terminus *particularis* i. e. *universalis*, quoad partem tamen extensionis (quam *per se* haberet) acceptus (n. 103).

159. Secundum est.—In omni propositione negativa, *Praedicatum:* a')—*removetur a subjecto juxta totam* (*praedicati*) *comprehensionem collective acceptam, non autem secundum singulas suas notas:* b')—*ordinarie supponitur distributive;* c')—*atque ideo est terminus universalis.*—

Ratio *a'*)—Ut *A* v. g. non sit *B* sufficit, ut *A* non habeat *complexum* omnium illarum notarum, quibus *B* constituitur; non autem requiritur, ut *A* careat singulis, sc: *hac* vel illa nota, quae *in comprehensione τοῦ B* continentur: quamobrem haec propositio: "Homo non est Angelus," aequivalet huic:

"Homo non habet complexum illarum notarum, quibus Angelus constituitur:" at homo est substantia, non secus ac angelus.

Ratio *b'*)—Nam in propositione negativa statuitur subjectum esse *rem diversam* a praedicato, atque ideo non esse neque hoc, neque illud, nec quidquam eorum, ad quae *se extendit* notio praedicati: secus enim falsa evaderet propositio. Sic v. g. supponamus parumper animam esse aliquod corpus *x*, jam eo ipso dicere non possem *absolute*: "anima non est corpus:" sed e contra deberem necessario dicere: "anima est corpus" sc: "anima est *aliquod* corpus." Excipe ab hac regula praedicata *singularia* vel his *aequivalentia*: nullus enim descensus in his fieri potest.

Ratio *c'*) est—Quia terminus *distributive* suppositus est *universalis*. (n. 103.)

Haec duo pronunciata sic breviter etiam enunciari possunt

I.—*In propositione affirmativa Praedicatum sumitur comprehensive, at non extensive, dummodo per se inspectum, magis pateat quam Subjectum.*

II.—*In propositione negativa Praedicatum sumitur extensive, at non comprehensive.*

Quamobrem si *S* exprimit subjectum, *P* vero praedicatum:

Propositio *affirmativa* his formulis continetur:

"*S* est *P*"

"*S* idem est ac aliquod *P*"

"*S* est unum ex inferioribus τοῦ *P*"

"*S* continetur in *P*" tamquam *inferius* in *superiori*.

Propositio vero negativa his formulis continetur:

"*S* non est *P*"

"*S* non est ulla pars subjectiva notionis *P*"

"*S* non continetur sub extensione τοῦ *P*"

"*S* excluditur a *P*"

160. Considerandum est tertio.—Propositio *Modalis* dupliciter efferri potest. Uno modo ita, ut modus *adverbialiter* acceptus adjaceat copulae propositionis absolutae v. g. "Deus necessario est bonus." Altero modo ita, ut modus *nominaliter* sumptus

enuncietur de propositione absoluta, convertendo copulam ipsius in verbum infinitivum v. g. "Deum bonum esse est necessarium." Propositio *absoluta*, sic jacens, dicitur *Dictum* propositionis modalis.

Ut supra diximus, propositio modalis in eo differt ab absoluta, quod cum haec *simpliciter* enunciat unum de altero, illa enunciat etiam *modum*, quo praedicatum ad subjectum referatur. Jam vero hi modi *ad quatuor* revocari possunt sc: ad modos *de necessario, de contingenti, de possibili, de impossibili.* Quamobrem propositionum modalium quatuor sunt species:

I.—*Necessaria*, quae enunciat praedicatum ita *inesse* subjecto, ut *repugnet* non inesse: v. g. "Hominem esse animal rationale *necesse est*:" vel etiam: "Homo *necessario* est animal rationale."

II.—*Contingens*, quae exhibet praedicatum *actu inesse* subjecto, ita tamen, ut *non repugnet* non inesse; "mundum existere est *contingens*:" vel etiam: "Mundus *contingenter* existit."

III.—*Possibilis*, in qua significatur praedicatum non inesse *actu* subjecto, sed *inesse posse*: v. g. "alium mundum existere est *possibile*:" vel etiam: "alius mundus esse *potest*."

IV.—*Impossibilis*, in qua significatur praedicatum *nullatenus posse* subjecto inesse: v. g. "idem simul esse et non esse est *impossibile*:" vel etiam: "idem *nequit simul* esse et non esse." At haec propositio sic prolata melius diceretur *modalis conjunctiva* vel modalis *de incompossibili*.

Isti modi ipsum afficiunt *inesse* sc: conjunctionem praedicati cum subjecto. Quocirca hi tantum propositionem modalem efficiunt: nam hi tantum formam propositionis *essentialem* afficiunt: caeteri autem, si qui sunt, vel ad recensitos revocantur, vel ad praedicati aut subjecti rationem determinandam spectant, ideoque tamquam alterutrius vel utriusque pars sunt habendi. Exinde colliges *a*)—propositionem istam "Sortes studet diligenter" aut alias consimiles, non esse *modales*; non enim nobis licet dicere: "diligens est Sortem studere," quemadmodum in ceteris modalibus fieri potest. Colliges *b*)—Adverbia multa, quae in nomen conversa, *probabilitatem* aut *certitudinem* etc: important, ad unum vel alterum ex recensitis modis revocari. *Certum* enim perinde est ac *necessarium*; *incertum* idem est ac *contingens*; *probabile* idem est ac *possibile* secundum quid i. e. potest esse objectum approbationis. Propterea propositiones, in quibus hujusmodi de Dicto aliquo enunciantur, modales reapse sunt, at extra recensitas species non vagantur.

Propositio modalis erit *affirmativa* vel *negativa*, prout modus de *Dicto* affirmatur vel negatur. Hinc propositio haec "Necesse est animam non esse materiam" affirmativa est, tametsi *Dictum* sit propositio negativa.—Item erit *vera* vel *falsa*, prout modus convenit *Dicto*, vel secus. Hinc propositio haec "Deus mundum creavit necessario:" falsa est, quamvis *Dictum* sit verum.

Ex hucusque dictis circa propositionem modalem, quae sequuntur, intelliges.

161. Primo.—Modus, qui enunciatur de Dicto, tenet in propositione modali locum *praedicati;* Dictum vero seu potius *Verbum Dicti* tenet locum *principalis* subjecti; et ideo in infinitivum convertitur, quia verbi infinitivum, potius nomen, quam verbum est. Cf. S. Th. Sum. Log. (de Nomine et de Verbo). *Subjectum* vero et *Praedicatum Dicti* (i. e. propositionis absolutae) dicuntur *minus principalia.*

162. Secundo.—Propositiones omnes modales, licet *Dictum* universale sit aut particulare, sunt reapse *singulares.* Nam, ut advertit S. Thomas: "Enunciatio dicitur singularis, quia in ea subiicitur singulare, seu terminus singularis, ut v. g. "Sortes currit." Sed in talibus enunciationibus (sc: modalibus) subjicitur hoc dictum *signatum*, sc: "omnem hominem currere," quod totum accipitur, ut pro uno termino signato. Omnes ergo tales enunciationes sunt *singulares*". Revocantur hae ad hanc formulam—

"*Identitas* vel *diversitas haec* est *necessaria* etc."

Subiungit tamen S. Doctor: "In modalibus vero de re, et in his, quae videntur modales et non sunt, sumitur quantitas (universalitas sc: et particularitas) secundum quod *in dicto* sunt termini vel signa. Unde haec "possibile est omnem hominem currere" est *universalis;* et haec "possibile est aliquem hominem currere" est *particularis.* Perpende discrimen inter has duas propositiones:

"Omnem hominem currere est possibile" *Modalis*

"Possibile est omnem hominem currere" *Non Modalis*

In priori praedicatur *modus*, in posteriori *dictum:* quoniam vero "denominatio sumi debet *a forma;* formale autem in enunciatione est *praedicatum*, et ideo a praedicato debet denominari;" idcirco prior est modalis et singularis, posterior non est modalis. Cf. S. Th. (l. c. c. 11. item c. 12.)

163. Tertio.—Observandum tamen est quod licet in subjecto *principali* (sc: copula dicti) non reperiatur quantitas, quae est

propria nominum, reperitur tamen ea, quae est propria Verbi sc: *Temporis quantitas.* Haec autem duplex est, *universalis* sc: et *particularis.* *Universalis* distribuit copulam dicti in omne tempus; *particularis* in aliquod. *Universalis* significatur per modos *Necessarium, Impossibile*; *particularis* significatur per modos *Contingens, Possibile.* *Necessarium* enim rem perpetuo ponit; *Impossibile* perpetuo tollit. Item *Contingens* significat rem posse esse ita tamen, ut significet etiam posse non esse; *Possibile* denique significat rem aliquando posse esse, quin determinet utrum possit etiam, vel non possit non esse. Quamobrem hi modi perinde se habent in modalibus, ac signa *Omnis, Nullus, Quidam non, Quidam,* etc: in absolutis; unde

Modalis		*aequivalet*		
	Ex Necessario		Universali affirmativae	A
	Ex Contingenti		Particulari negativae	O
	Ex Possibili		Particulari affirmativae	I
	Ex Impossibili		Universali negativae	E

Efficitur inde, quod, quemadmodum praeposita negatione signa ex universalibus particularia evadunt, et e converso; ita pariter evenit in modis: unde *non necessarium, non impossibile* sunt modi particulares: *non contingens, non possibile* sunt modi universales.

DICO II.—*Si materia remota (objectum sc:) spectetur, Enunciatio est vel Necessaria, vel Contingens, vel Impossibilis.*

164. Declaratur assertio.—Triplex est materia remota sc; Naturalis, Contingens, Impossibilis.

I.—Habetur enunciatio ex materia naturali, quando praedicatum *nequit non competere* subjecto. Hujusmodi sunt propositiones omnes, in quibus enunciantur vel *a*)—superiora de inferioribus suis (n. 50): vel *b*)—differentiae de rebus, quas componunt (n. 41. 44.): vel *c*)—proprietates de his subjectis, quorum naturas consequuntur, vel de inferioribus subjecti (n. 45.): vel *d*)—accidentia inseparabilia de rebus, a quibus separari nequeunt, *naturaliter* saltem: vel e converso. Omnes enim hae propositiones sive affirment, sive negent, fiunt in materia naturali, quamquam non omnes sint *naturales* seu *directae* (n. 40.)

II.—Enunciatio *in materia contingenti* habetur, cum praedicatum ita inest subjecto, *ut possit non inesse.* Hujusmodi sunt propositiones illae omnes, in quibus accidens separabile a subjecto, cujus est accidens, sive affirmative sive negative enunciatur.

III.—Enunciatio in materia impossibili habetur, cum enunciatur praedicatum, quod *nullatenus convenire potest* subjecto, vel *absolute* et independenter a quacumque hypothesi, vel *hypothetice* saltem i. e. facta aliqua hypothesi.

Quamobrem.

165. Propositio *necessaria* illa est: "quae enunciat rem, quae aliter ac enunciatur esse non potest vel *absolute* vel saltem *hypothetice*:" v. g. "homo est animal rationale:"—"homo est animal:" —"homo est risibilis:"—"Circulus non est quadratus:"—"Si Petrus currit, movetur."

Propositio *contingens* illa est: "quae enunciat rem, quae, aliter ac enunciatur, esse potest." V. g. "Sortes est ridens"—"Petrus currit."

Propositio *impossibilis* illa est: "quae enunciat rem, quae sic, ut enunciatur, esse nequit vel *absolute*, vel saltem *hypothetice*." V. g. "Homo non est animal;"—"non est rationalis;"—"non est risibibilis:"—"circulus est quadratus;"—"Petrus currens non movetur."

Circa *materiam remotam* propositionum tres dantur regulae.

Prima.—Propositio *affirmativa* in materia *naturali* est necessaria; *negativa*, impossibilis.

Secunda.—Propositio in materia *contingenti*, sive *affirmativa* ea sit, sive *negativa*, est contingens.

Tertia.—Propositio *affirmativa* in materia *impossibili* est impossibilis.

Dico III.—*Materia propositionis proxima considerata, propositio esse potest* a)—*universalis, particularis, singularis, indefinita, si terminorum extensio spectetur. Si vero ratio habetur simplicitatis vel compositionis, quae se tenet ex parte vel terminorum, vel propositionum, propositio esse potest vel* b)—*simplex seu categorica*; *vel composita sive* c)—*hypothetica: sive* d)—*exponibilis.*—

166. Declaratur assertionis prima pars.—Extensio seu Quantitas propositionis se tenet ex parte materiae, atque ideo *ex parte subjecti*. (n. 149.). Jam vero Subjectum potest esse affectum signo syncategorematico *universalitatis* (omnis, nullus) vel *particularitatis* (aliquis, aliquis non) vel *singularitatis* (hic, ille, iste) vel nullo: si primum contingit, propositio dicitur *universalis;* si secundum, propositio dicitur *particularis;* si tertium, propositio dicitur *singu-*

laris; si autem subjectum nullum praesefert signum, propositio dicitur *indefinita*. Unaquaeque esse potest vel affirmativa ,vel negativa. Memoriae juvandae causa propositio universalis affirmativa, vel negativa exprimuntur litteris *A*, *E*; particularis vero affirmativa, vel negativa litteris *I*, *O*, ut in his versiculis indicatur.

	A,	*E*,	*generaliter*	
Asserit	negat	verum		ambo
	I	*O*,	*specialiter*	

Has enim solas propositiones considerat Logicus et jure meritoque, ut ex dicendis patebit.

167. Declaratur secunda assertionis pars.—Simplicitas vel Compositio propositionis se habere potest tum *ex parte terminorum* tum *ex parte propositionum*. Quamobrem poterit esse propositio vel simplex, vel composita.

Propositio simplex est illa, quae unico constat subjecto et unico praedicato: diciturque etiam categorica, quia in ea unum simpliciter *praedicatur* de altero, sive termini sint incomplexi, sive sint complexi (n. 29.).

Propositio vero composita illa est, in qua plura subjecta vel plura praedicata connexa per particulam sive *copulativam*, sive *adversativam* sive *causalem* sive *relativam* adjacent: quamobrem propositio dicitur *copulativa, adversativa, causalis, relativa*. Inter eas specialem mentionem merentur propositiones *hypotheticae* et *exponibiles*.

Est autem propositio hypothetica propositio composita duabus propositionibus categoricis connexis, vel disjunctis, vel conjunctis per particulam *si*, *vel*, *simul*, aut aequivalentibus: unde triplex est: *Conditionalis*, sc: v. g. "Si lucet, dies est:" *Disjunctiva*, v. g. "corpus aut movetur, aut quiescit:" *Conjunctiva*, v. g. "corpus non movetur simul et quiescit."—*Exponibilis* vero est ea propositio, quae specie tenus est simplex, reapse tamen est composita duabus saltem propositionibus categoricis, in quas *exponi potest*, unde hae ipsius *exponentes* dicuntur. Discerni solent per exclusivam (*solum, tantum* etc.) vel exceptivam (*praeter*) vel comparativam (*aeque, magis, minus*) vel reduplicativam aut specificativam (*quatenus, prout, in quantum*) qua subjectum vel praedicatum propositionis afficitur. Quocirca propositio exponibilis est quadruplex.

I.—*Exclusiva* v. g. "Solus Deus est aeternus:"—"Angelus est solummodo spiritus."

II.—*Exceptiva* v. g. "Quicquid existit est contingens, praeter Deum."

III.—*Comparativa* v. g. "Omnium difficillimum est nosse seipsum".—"Mens est corpore praestantior."

IV.—*Reduplicativa* v. g. "Homo, qua rationalis, est liber:" ad hanc revocatur *specificativa* v. g. "Homo, quatenus est homo, legit:" est tamen aliquod discrimen, ut ex infra dicendis patebit.

Heic quinque adnotatu sunt digna, quorum primum propositiones universales, secundum indefinitas, tertium hypotheticas, quartum exponibiles, quintum complexas propositiones respicit. Claritatis gratia distinctis paragraphis ea trademus.

§. I.

DE PROPOSITIONE UNIVERSALI.

168. Propositio aliqua censetur *universalis*, quando ipsius Subjectum *distributive* supponitur (n. 99.); quando autem hujusmodi verificatur suppositio, id ex natura praedicati colligi debet, ut ex supra dictis est manifestum. Praedicatum vero in propositione universali, si ea sit *affirmativa*, *disjuncte* supponitur, non item *disjunctive*: inepte enim et falso hanc propositionem

"Omnis homo est animal":

disjunctive exponeres descendendo *copulativo descensu* (n. 100.) "Omnis homo est animal *a*; vel omnis homo est animal *b*: . . . . vel omnis homo est animal *x*:"

at rite et vere illam expones *disjuncte* descensu *copulato* (l. c.) "Omnis homo est vel animal *a*; vel animal *b*; vel animal *c*; . . . . vel animal *x*."

Ad veritatem autem aut falsitatem ipsius quod attinet, observandum est, ipsam *veram* esse, si praedicatum convenit inferioribus subjecti *universalitate saltem morali*; secus esse falsam. Ad cujus rei evidentiam adnota, universalitatem esse posse vel *metaphysicam* vel *physicam* vel *moralem*. Universalitas *a*) *metaphysica* habetur, quando praedicatum competit omnibus et singulis inferioribus subjecti necessario, atque ita necessario, ut nulla umquam dari possit exceptio; ea gaudent propositiones, quae judicia *a priori* exprimunt (n. 138.); *b*) *physica* habetur, quando praedicatum competit quidem singulis inferioribus subjecti juxta ordinarium

naturae cursum, ita tamen, ut non sit *absolute* impossibilis aliqua exceptio; et ea gaudent propositiones judicia *a posteriori* exprimentes (l. c.); *c*) *moralis* demum seu *imperfecta* habetur, quando praedicatum, ut plurimum, convenit inferioribus subjecti, ita tamen, ut multae occurrant exceptiones. Quamobrem in propositione metaphysice universali seu absolute necessaria, nulla fieri potest restrictio; eaque est vel absolute vera, vel absolute falsa (n. 164.); in propositione autem vel physice vel moraliter universali, seu hypothetice necessaria, semper haec subaudienda est conditio sc; in priori, *ex ordinario cursu naturae*; in posteriori *secundum quod communiter accidit.*

Adverte tamen, quod quando aliqua propositio moraliter universalis est vera, nihil poteris ex illa circa singularia *rigorose* concludere.' Sic v. g. ex eo quod verum sit "senes esse querulos:" non poteris exinde concludere *rigorose* quod "Senex *x* sit querulus."—

§. II.

DE PROPOSITIONE INDEFINITA.

169. Quando terminus *communis* ipsius *pluraliter* effertur, tunc inferiora subjecti designat absque ulla limitatione, adeoque est terminus universalis, saltem *moraliter.*

Quando autem *singulariter* effertur, tenenda sunt quae sequuntur.

Primo.—Propositio indefinita aequivalet *singulari*, quotiescumque subjectum supponitur vel *a*) *materialiter*, ut v. g. cum dico: "Homo est nomen:" i. e. "*Haec vox* sc: homo est nomen:" vel *b*) *logice*, ut v. g. cum dico: "Homo est species:" i. e. "*Haec forma concepta*, tamquam pluribus individuis communis, est species:" vel *c*) *realiter* quidem, at *absolute:* ut v. g. cum dico: "Homo est nobilissimum animal:" i. e. "Haec forma *abstracte* et *absolute* concepta est nobilissimum animal." (nn. 96. 97. 98.)

Secundo.—Quando autem subjectum commune supponitur *personaliter*, propositio indefinita habenda erit, tamquam *universalis*; eritque *vera* vel *falsa*, prout praedicatum competit inferioribus subjecti *universalitate saltem morali*, vel secus. Quocirca, ut verae habendae sunt istae propositiones: "Homo est animal"—"est

animal rationale—est risibilis:"—"Corpora sunt gravia"—"Ignis est calidus"—"homo nequit ambulare super aquas, quin demergatur."—"Matres diligunt filios"—"Senes sunt queruli"—"adolescentuli inconstantes."—E contra falsae sunt hae propositiones: "Homo est albus"—vel "doctus" etc.

Tertio.—In descriptionum vel narrationum contextu, propositiones indefinitae saepenumero, tamquam *particulares* atque etiam *singulares* habendae sunt, ratione alicujus *restrictionis*, quae ex contextu colligi potest (n. 109.).

§. III.

DE PROPOSITIONIBUS HYPOTHETICIS.

170. Hypotheticae propositiones in eo differunt a categoricis, quod in his *simpliciter enunciatur* aliquod praedicatum de subjecto, atque ideo *categoricae* dicuntur; in illis autem duae propositiones categoricae (dicuntur *partes* propositionis hypotheticae) connectuntur et unius affirmationis vel negationis ab altera dependentia exprimitur. Sunt tres; sc: *Conditionalis*, *Disjunctiva*, *Conjunctiva*, et *hypotheticae* dicuntur: quia praecipua earum, idest conditionalis, *hypothesim* seu *conditionem* continet: v. g. "Si lucet, dies est;" ad conditionalem vero revocari commode poterunt aliae duae: nam *disjunctiva*;

"Aut est *a*, aut est *b*,"

aequivalet his conditionalibus:

"Si est *a*, non est *b*	"Si non est *a*, est *b*
"Si est *b*, non est *a*	"Si non est *b*, est *a*

Conjunctiva autem

"Non potest simul esse *a*, et esse *b*,

duabus aequivalet conditionalibus:

"Si est *a* non est *b* —"si est *b* non est *a*.

Nunc aliquid de ipsarum *Quantitate* et *Qualitate*, sive *accidentali*, sive *essentiali* innuendum erit.

Et primo quidem—ad *quantitatem* ipsarum quod attinet, nullam *proprie* dictam quantitatem habent: nam non enunciant aliquid de aliquo, sed tantummodo enunciationes, quae id efficiunt, conjungunt.

Secundo.—Quod autem ad ipsarum *qualitatem* spectat, haec sunt prae oculis habenda.

171. I.—Propositio *conditionalis* duplici constat parte principali, quarum una ponitur, tamquam *conditio*, diciturque *antecedens*; altera, tamquam *conditionatum*, diciturque *consequens*. Est enim logica conditio, de qua hic loquimur, "propositio quaevis, qua posita, altera ponatur necessum est." Porro hae duae propositiones, conditio se : et conditionatum, possunt esse vel:

a)—Utraque affirmativa: v. g. "Si Sol lucet, dies est

b)—Utraque negativa: v. g. "Si Sol non lucet, dies non est

c)—Conditio affirmativa, conditionatum negativum: v. g. "Si dies est, nox non est.

d)—E converso: v. g. "Si dies non est, nox est.

Verum quocumque modo hae propositiones categoricae se habeant, Propositio conditionalis erit *affirmativa*, quando *affirmatur nexus* inter conditionem et conditionatum: erit *negativa*, quando hujusmodi *nexus negatur*. Erit *vera*, si reapse *adest nexus* affirmatus, vel si *non adest nexus* negatus: erit *falsa*, si *adest nexus* negatus, vel si *non adest nexus* affirmatus. Quamobrem haec propositio

"Si non moveris, non ambulas

Affirmativa est et vera. Ista alia:

"Si existunt homines, non existit ipsorum creator:

Negativa est et falsa. Ista alia:

"Si mundus non est Deus, est Ens necessarium:

Affirmativa est et falsa. Demum haec:

"Tametsi sum homo, non ideo tamen sum miser

Negativa est et vera esse potest. Cf. S. Thomam Op. 44. De Enunciatione c. 14.).

172. II.—In propositione *Disjunctiva* nullum membrum speciatim affirmatur. Ut autem cognoscas quid per illam statuatur. observa eam vel esse *proprie* disjunctivam, vel *improprie*, prout particula *vel, aut,* sumuntur vel *exclusive* vel *praecisive* *Proprie* Disjunctiva erit, quando partes ipsius ita sibi adversantur, ut si altera est vera, altera debeat esse falsa. Quamobrem ad ipsius veritatem tria requiruntur.

a)—*Ut Divisio sit aduaeqata.*—Hinc falsa est haec propositio:

"Aut moveris amore pecuniae, aut amore Dei."

b)—*Ut duo vel plura membra nequeant simul esse vera.*—Hinc falsa haec disjunctiva:

"Sortes vel currit, vel manducat, vel loquitur."

c)—Ut duo vel plura membra nequeant simul esse falsa.—Unde falso diceres: "Homo ad operandum ducitur vel amore divitiarum, vel amore gloriae humanae, vel amore voluptatis.

In ea autem, quae *improprie* dicitur Disjunctiva, subintelligitur particula *saltem*, ita ut sensus sit:

Sin minus omnes, *saltem una ex his partibus* vera erit.

Quocirca ad veritatem ipsius sufficiet, ut una ex propositionibus categoricis, quas continet, sit vera. Hinc vera est isthaec propositio:

"Vel Petrus, vel Paulus Romae occubuit."

tametsi uterque fuerit Romae mortuus: itemque ista alia;

"Vel Petrus, vel Andreas Romae occubuit."

quia verificatur de uno membro.

173. III.—Propositio conjunctiva statuit "duas propositiones non posse esse *simul* veras." En exempla.

"Non et idem potest esse et non esse."

"Idem nequit simul esse et non esse."

"Idem non est simul et non est."

Ex data definitione intelliges:

a)—Ex his, quae Disjunctiva statuit, unum tantum statuitur a conjunctiva, sc: eorum, quae recensentur, non posse duo, vel plura simul affirmari.

b)—Proinde ut vera sit, membra sint *incompossibilia*. Unde falsa est isthaec: "homo nequit esse simul humilis et doctus."

c)—Ab unius partis affirmatione potest argui ad negationem alterius: at non vicissim.

174. Ad propositionem conditionalem revocantur illae, quae *rationales*, itemque, quae *causales* dicuntur, cujusmodi sunt v. g. hae duae: "Sol lucet: ergo est dies:" "Sol lucet: quia est dies." Pro veritate utriusque, observandum est. Primo.—Ut vera sit *rationalis*, requiritur *a*)—bona consequentia: *b*)—veritas antecedentis et consequentis. Secundo.—Ut autem vera sit *causalis*, praeter haec duo, requiritur insuper *c*)—ut in antecedente sit vera causa consequentis. Quamobrem rationalis seu *illativa* semper converti potest in *conditionalem;* at non semper in *causalem.*—

§. IV.

PROPOSITIONES EXPONIBILES.

Propositio *exponibilis*, ut supra innuimus, est quadruplex. Circa unamquamque observanda sunt, quae sequuntur.

175. Propositio *exclusiva* est: "illa, cujus subjectum vel praedicatum afficitur particula *tantum*, *solum*, *dumtaxat*." v. g.

"*Solus* Deus est Ens a se."

"Praedicamenta sunt *tantummodo* decem."

Prior dicitur *exclusi subjecti*; posterior *exclusi praedicati*.

In prima duo affirmantur

1.—"Deus est Ens a se"

2.—"Omne id, quod non est Deus, non est Ens a se."

In secunda duo pariter affirmatur

1.—"Praedicamenta sunt decem"

2.—"Nec sunt plura praedicamenta."

Ex datis exemplis colliges, exclusivam, si *affirmativa* sit, exponi semper debere per *copulativam* constantem duplici propositione categorica, quarum una sit *affirmativa*, altera sit *negativa*. Quamobrem, ut ipsa sit *vera*, requiritur, ut *utraque exponens sit vera*. Quod si utraque, vel alterutra est falsa, exclusiva pariter falsa sit oportet. Hinc falsa est haec propositio;

"Sola fides est necessaria ad salutem;"

nam una exponens sc: "omne, quod non est fides, non est necessarium ad salutem:" falsa est.

Quaeres.—Quomodo exponenda sit Exclusiva negatione affecta?

Respondeo.—Negatio vel afficit *a)*—*particulam* exclusivam; vel *b)*—*copulam*; vel *c)*—*utramque*. Proinde diversimode exponenda erit, sive ea sit *exclusi subjecti*, sive *exclusi praedicati*; quemadmodum ex sequenti tabella colligere poteris.

In Exclusivis *exclusi Subjecti.*

Negatio afficiens

a.— "*Non solus homo est intelligens*"
Est *affirmativa*, et exponitur *disjunctive*, sc:
"Vel aliquis homo non est intelligens:
vel aliquid, quod non est homo, est intelligens."

b.— "*Solus Deus non habet initium*"
Est *negativa*, et exponitur *copulative*, sc:
"Deus non habet initium:
et omne, quod non est Deus, habet initium."

c.— "*Non solum animal non est sensus capax*"
Est *negativa* et exponitur *disjunctive*, sc:
"Vel aliquod animal est sensus capax:
vel aliquid, quod non est animal, non est sensus capax."

In exclusivis *exclusi praedicati*

Negatio afficiens.

a.— "*Homo est non purus Spiritus*"
Est *infiniti* praedicati, adeoque negativa et cum sequenti identica.

b.— "*Homo non est purus Spiritus*"
Est *negativa* et exponitur *disjunctive:*
"Vel homo non est spiritus:
vel homo est aliquid aliud praeter spiritum."

c.— "*Personae divinae non sunt non tantum tres.*"
Est *affirmativa* i. e. "Personae divinae sunt tantum tres;" exponitur ut supra.

176. Propositio *Exceptiva* excludit a participatione praedicati unum vel plura, quae in extensione subjecti continentur, id quod efficit per particulam excipientem *praeter*, ut v. g. cum dico:

"Quicquid existit est contingens, praeter Deum:"

exponitur, ut *exclusiva*, sic

1.—"Deus non est Ens contingens;"

2.—"Et omne, quod existit, nec est Deus, est Ens contingens."

convertitur in exclusivam, unde de ipsa, quae supra diximus, dicito.

Exclusivis, vel exceptivis valde affines sunt propositiones *inceptivae* vel *desitivae*, cujusmodi sunt istae:

"Sortes *tali* die incepit iter" i. e. *nec ante, nec post.*

"*Tali* anno cessavit pestis" i. e. *nec ante, nec post.*

177. Propositio *Comparativa* non modo affirmat praedicatum convenire alicui subjecto, sed etiam affirmat ei convenire vel *magis*, vel *minus*, vel *aequaliter*, ac alteri subjecto. Quamobrem in

tres propositiones, quibus aequivalet, resolvitur: in una et in altera praedicatum tribuitur *simpliciter* duobus subjectis, in tertia, apprehendendo mens majorem, vel minorem, vel aequalem intensitatem, quam praedicatum in alterutro subjecto habet, hanc ipsam intensitatem *comparativam* affirmat. Sic v. g. haec propositio:

"Omnium difficillimum est nosse se ipsum"

exponitur per tres sequentes propositiones;

"Seipsum nosse *difficile* est:"—"Multa alia nosse *difficile* est:" "Difficultas cognoscendi seipsum *superat* difficultatem cognoscendi caetera."

Ut propositio comparativa sit *bona* requiritur, ut praedicatum aliquo modo conveniat utrique subjecto: ut autem sit *vera* requiritur, ut praedicatum conveniat utrique termino in eo *praecise* gradu, qui in propositione enunciatur. Secus vel erit *inepta* propositio, ut ista: "Columba est candidior corvo" vel *falsa*, ut ista: "Divitiae sunt maximum bonum societatis."

178. Propositio *Reduplicativa* et *Specificativa* in aliquo conveniunt, in alio vero ad invicem differunt. *Conveniunt* in eo, quod utraque continet particulam geminantem *quatenus*, *prout*, etc. quae idcirco *geminantes* dicuntur, quia subjectum propositionis replicant, ut v. g.

1.—"Homo, *qua homo*, est liber" *Reduplicativa*
2.—"Homo, *qua homo*, legit" *Specificativa*

Differunt vero in eo quod *Specificativa* denotat tantummodo illud subjecti constitutivum, *secundum quod* illi competit praedicatum; *Reduplicativa* vero notat insuper in subjecto id, quod *est causa praedicati*. Hinc est *a*)—quod haec exponitur per *causalem*, sic:

"Homo est liber: et causa cur sit liber est, quia est homo:" illa vero per *copulativam*, sic;

"Homo legit et ratio, secundum quam ipse legit, est ipsa ratio hominis,"—*b*)—utraque est *vera* vel *falsa*, prout *causalis* vel *copulativa*, in quas resolvuntur, sunt verae, vel falsae.

§ V.

DE PROPOSITIONE COMPLEXA.

179. Propositio *complexa* est: "propositio simplex, cujus alterutrum extremum, vel utrumque est terminus complexus." Unde a Veteribus appellabatur *de extremo conjuncto.* In ea duae sunt partes, *principalis* sc: et *incidens* (n. 29) v. g. cum dico: "Deus omnipotens omnia creavit:" vel etiam: "Deus, qui est omnipotens, omnia creavit." "Deus omnia creavit" est *principalis* propositio; "omnipotens" vel "qui est omnipotens" est pars *incidens.* Deduces exinde.

Primo.—Propositionem *complexam* esse revera *simplicem.* Ratio est: *a)*—quia incidens semper converti potest in adjectivum, ut in exemplo citato videre est: *b)*—quia incidens proprie non exprimit judicium, *saltem* praesens; nam vel est *determinatio* aut *coarctatio* subjecti, vel praedicati propositionis principalis, si incidens est *restrictiva;* vel, si *explicativa,* est fructus *antecedentis judicii.* Quocirca propositiones incidentes restrictivae non sunt *per se* falsitatis capaces, nisi tantum *suppositive,* i. e. prout judicium supponunt, falsum, ut v. g. si dicerem: "animae igneae praestantiores sunt animabus aereis;" supponerem falso aliquas animas esse igneas, et aliquas aereas: e contra incidentes *explicativae,* utpote quae judicium alias positum includunt, falsitatis sunt capaces, ut v. g. si dicerem: "Plato, qui fuit christianus, coluit relligionem:" illa incidens aequivalet huic. "Plato fuit christianus:" quod falsum est.

Secundo.—Proinde propositio incidens, si subjectum afficiat, influit in principalis veritatem, quando est restrictiva, non item quando est explicativa. Ratio est: quia in primo casu praedicatum convenit subjecto, quatenus hoc est restrictum et determinatum: non item in secundo.


Cf. Logique de Port Royal P. 2. c. 4.

QUAESTIO III.

DE PROPRIETATIBUS ENUNCIATIONIS.

Tres enumerantur propositionum Proprietates; *Oppositio* sc: *Aequipollentia, Conversio.* Tradita in antecessum uniuscujusque natura, postmodum ad ipsarum leges indagandas gradum faciemus.

180. Est igitur *Oppositio* Propositionum, de qua hic tantummodo agimus: "Diversitas vel pugna duarum propositionum *eosdem* terminos habentium, sed vel *quantitate* (sc: universalitate vel particularitate) vel *qualitate* (sc: affirmatione vel negatione) vel *utraque* discrepantium." Hinc quatuor exurgunt oppositionis genera. Etenim duae propositiones eodem subjecto et praedicato coalescentes, vel discrepant *a*)—tantummodo in quantitate; vel *b*)—in quantitate et qualitate; vel *c*)—tantummodo in qualitate. Si *a*)—dicuntur *subalternae*: si *b*)—dicuntur *contradictoriae*: si *c*)—dicuntur *contrariae*, si ambo sunt universales; *subcontrariae* vero, si ambo sunt particulares: ut in schemate subjecto videre est.



A "Omnis *homo* est *justus*:" E "Nullus *homo* est *justus*."
I "Aliquis *homo* est *justus*:" O "Aliquis *homo* non est *justus*."

Quamobrem

A, E,	opponuntur	*Contrarie*
A, I : E, O		*Subalterne*
A, O : E, I		*Contradictorie*
I, O		*Subcontrarie*

Ut indicant sequentes versiculi:

Asserit *A*, negat *E*, verum *generaliter* ambo:
Asserit *I*, negat *O*, verum *specialiter* ambo:

Propositio singularis opponitur *universali:* quia in hac continetur; non autem particulari: quia utriusque subjectum est diversum. At oppositio haec inter *universalem* et *singularem* est *contraria,* cum altera plus neget, altera plus affirmet, quam necessum sit; unde et possunt esse simul falsae, quod quidem contrariis competit.—*Contradictoria* autem singularis habetur, *mutando* ipsius *qualitatem,* v. g.

"Sortes est doctus"—"Sortes non est doctus."

Singulari aequiparantur propositiones, in quibus subjectum supponitur vel *materialiter,* vel *logice,* vel *realiter absolute,* vel *collective* (n. 169.). Unde his contradices, mutando qualitatem: contrariam vero habere nequeunt; quia nulla est universalis, cui opponantur.

181. Aequipollentia duarum propositionum est; "eadem in utraque significatio, cum eadem significationis amplitudine." Spectat enim propositiones duas, quae habentes eosdem terminos, una, aut altera, negatione differunt, et tamen idem prorsus significant v. g.

"Nullus homo non est miser"—"Omnis homo est miser."
"Omnis homo non est doctus"—"Nullus homo est doctus."

182.—*Conversio* Propositionum est; "unius ad alteram, per terminorum transpositionem, necessaria consequentia:" ut v. g.

A "Omnis homo est liber:" ergo "aliquod liberum est homo."

E "Nullus homo est brutum:" ergo "nullum brutum est homo:" et consequenter "aliquod brutum non est homo."

I "Aliquis homo est philosophus:" ergo "aliquis philosophus est homo".

O "Aliquis homo non est miser:" ergo "aliquis (non miser) non est non homo" i. e. "aliquis (qui non est miser) est homo."

Hujusmodi autem conversio, ut *sit legitima,* debet integra manere veritas propositionis, quae convertitur, in propositione conversa. Proinde, cum termini transponuntur et praedicatum transit in locum subjecti, hoc vero in locum praedicati, curandum erit, ut utrumque retineat *eamdem extensionem, suppositionem, statum, distractionem, ampliationem* ceterasque proprietates, de quibus supra egimus (nn. 96. . . . 110.). Ratio hujus est. Duo termini non sunt *objective* identici, vel diversi, nisi *intra certos limites*

extensionis, suppositionis sumantur: proinde, si hos limites transgrediaris, identitas aut diversitas *objectiva* terminorum non amplius subsistet. Jam age, augetur terminorum extensio cum a suppositione *disjunctiva*, vel *disjuncta*, fit transitus ad suppositionem *distributivam;* minuitur vero cum a *distributiva* fit transitus ad suppositionem *disjunctivam*, vel *disjunctam*. (n. 99.)—In primo casu tollitur *identitas*, vel *diversitas*, si prius existebat; non item in secundo, saltem *per se:* nam si "omne *a* est aliquod *b;* non sequitur exinde quod "omne *b* sit *a:* verum si "quodlibet *a* est aliquod *b:* sequitur etiam quod "aliquod *a* sit aliquod *b:*" et si "quodlibet *a* est diversum a quolibet *b*," sequitur pariter, quod "aliquod *a* est diversum ab aliquo *b*."

Conversionem autem hucusque explicatam *posse fieri* deduces ex his, quae diximus (n. 173.). Etenim quando duo sunt *objective identica*, potest indifferenter unum de altero affirmari; quando vero sunt *objective diversa*, potest indifferenter unum de altero negari. Atqui in judicio et consequenter in propositione, quae est signum judicii, *affirmatur* vel *negatur* identitas *objectiva* notionum, vel praedicati et subjecti. Ergo.

Conversio est triplex *simplex* sc: *per accidens, per contrapositionem.*

a)—Habetur conversio *simplex*, quando praedicatum retinet in propositione conversa signum universalitatis vel particularitatis, quod subjectum propositionis, quae convertitur, habebat v. g.

E. "Nullus homo est angelus"—"Nullus angelus est homo"

I. "Aliquis homo est miser"—"Aliquod miserum est homo"

b)—Habetur conversio *per accidens*, quando praedicatum mutat signum universalitatis, quod habebatur a subjecto, v. g.

A. "Omnis homo est miser"—"Aliquod miserum est homo:"

E. "Nullus homo est angelus:"—"aliquis angelus non est homo."

c)—Habetur conversio per *contrapositionem* quando, adjecta particula *non*, infinitantur termini: v. g.

A. "Omnis homo est mortalis"—"Omne *non* mortale est non homo" i. e. "omne, quod non est mortale, est aliquid, quod non est homo."

I. "Aliquis homo non est dives"—"Aliquis (non dives) non est aliquis, qui non est homo"—"Aliquis, qui non est dives, est homo."

Quaenam propositiones convertantur, et quomodo, ex dictis deduces. Inferius rationem harum conversionum dabimus.

Explicata natura proprietatum, remanet ut ipsarum leges et modum, quo propositiones vel simplices, vel compositae, eas suscipere possint, tradamus. Ut autem claritas et distinctio in hac re satis per se complicata servetur, agemus

Primo.—De legibus oppositarum.

Secundo.—De modo, quo propositiones opponuntur, sive contradictorie, sive contrarie.

Tertio.—Qua ratione duae propositiones, antea oppositae, aequipollentes reddantur.

Quarto.—Quaenam propositiones suscipiant conversionem sive simplicem, sive per accidens.

Quinto.—Quomodo mens transire possit *immediate* ab una propositione ad aliam.

Quamobrem.

DICO I.—a)—*Duae contradictoriae nequeunt esse vel simul falsae, vel simul verae.* b)—*Duae contrariae possunt esse simul falsae; at nequeunt esse simul verae.* c)—*Duae subcontrariae possunt esse simul verae, in materia contingenti; at nequeunt esse simul falsae.* d)—*Duae subalternae possunt esse et simul verae et simul falsae.*—

183. Explicatur Assertio.—Prae oculis habeatur schema:

	A	*E*	*generaliter*	
Asserit	Negat	verum		ambo
	I	*O*	*specialiter*	

Et primo quidem *a*)—Duae *contradictoriae* nequeunt esse *α*—*simul verae.*—Nam si vera est *A*, praedicatum eo ipso convenit omnibus ac singulis inferioribus subjecti. Ergo necessario falsa est *O*, in qua negatur praedicatum convenire alicui ex inferioribus subjecti. Ergo *A*, *O*, nequeunt esse *simul verae.* Idem dicatur de *E*, *I*. *β*—*simul falsae.*—Nam si falsa est *A* sc: si falsum est quod praedicatum conveniat omnibus ac singulis inferioribus subjecti, jam eo ipso vera erit *O*, in qua negatur praedicatum convenire alicui ex inferioribus subjecti. Ergo *A*, *O*, nequeunt esse *simul falsae.*—Idem dicatur de *E*, *I*.

Secundo. *b*)—Duae contrariae (sc: *A*, *E*) possunt esse *α'*)—*simul falsae.*—Nam potest esse verum, quod praedicatum conve-

niat alicui ex inferioribus subjecti, et alteri non conveniat. At nequeunt esse β'—*Simul verae.*—Nam secus duae contradictoriae evaderent simul verae. Etenim si *A* est vera, pariter *I* erit vera; nam haec in illa continetur. Si ergo supponitur *E* pariter vera, *I* et *E*, quae contradictorie opponuntur, evaderent simul verae.

Tertio. *c*)—Duae *subcontrariae* possunt esse α''—*simul verae.*—Potest enim verum esse praedicatum alicui ex inferioribus subjecti universalis convenire, et potest esse etiam verum, quando materia est *contingens* (n. 155.), quod praedicatum alicui ex inferioribus subjecti non conveniat. At nequeunt esse β''—*simul falsae.* Nam secus, earum *contradictoriae* (*A*, *E*) essent necessario verae: et quoniam hae ad invicem opponuntur *contrarie*, duae *contrariae* evaderent simul verae.

Quarto. *d*)—Duae *subalternae* possunt esse et *simul verae*, et *simul falsae*: nam propositio particularis (*subalternata*) continetur in universali (quae nuncupatur *subalternans*).

Ex his deduces sequentia corollaria.

184. Primum.—*Ex veritate unius* contradictoriae inferri potest *falsitas alterius*: et ex falsitate istius, veritas illius.

Secundum.—*Ex veritate unius* contrariae inferri potest *falsitas alterius*; at ex falsitate unius nequit inferri veritas alterius.

Tertium.—*Ex falsitate unius* subcontrariae inferri potest *veritas alterius*: at ex veritate unius nequit inferri *per se* falsitas alterius.

Quartum.—*Ex veritate subalternantis* infertur *veritas subalternatae*: ex *falsitate* hujus *falsitas* illius. At non vicissim. Nam ex veritate universalis infertur veritas particularis, non autem ex veritate particularis sequitur veritas universalis: item ex falsitate particularis sequitur falsitas universalis, non autem ex falsitate universalis infertur falsitas particularis.

Dico II.—*Ad habendum contradictoriam alicujus propositionis sufficit negare vel affirmare quantum satis est ad ejusdem labefactandam veritatem. Quod si aliquid ultra negetur vel affirmetur, oppositio erit Contraria.*—

Ad hujus assertionis intelligentiam duo adnota.

185. Primum est.—Oppositio *proprie* dicta non viget, nisi inter *contradictorias* et *contrarias*. Nam *a*)—*Subalternae*, eo ipso

quod subalternae dicantur, *proprie* oppositae non sunt: *b)*—*Subcontrariae* vero *voce* tantum opponuntur, non autem *re.* Nam ut duae propositiones *proprie* dictam oppositionem habeant, requiritur primo: *ut eosdem habeant terminos:* requiritur secundo: *ut una tollat, negando, id, quod altera ponit, affirmando.* Atqui duae propositiones subcontrariae *non necessario* habent eosdem terminos: nam tametsi voces, quae subjectum exprimunt, videantur eaedem, *res* tamen *significata* non necessario est utrobique eadem; quippe est individuum indeterminatum et *disjunctive* suppositum (n. 103.). Quamobrem cum duae requisitae ad *proprie* dictam oppositionem conditiones, non nisi in contradictoriis et contrariis propositionibus reperiantur, hae *proprie* oppositae sunt ac dici merentur, deque his dumtaxat in sequentibus agemus. Cf. S. Thomam (Op. 44. De Enunciatione c. 8.)

186. Secundum.—De oppositis agentes supra (n. 28.) diximus duas notiones dici oppositas *contradictorie,* quando una est *simplex negatio* alterius; *contrarie* vero, quando in *eodem genere* positae *maxime a se* distant. Idipsum in propositionibus *contradictorie,* vel *contrarie* oppositis verificatur. Contradictoriae namque ita ad invicem comparantur, ut una *simpliciter removeat* alteram, tantum sc: affirmando vel negando, quantum sufficit, ut altera non sit vera: contrariae vero *in extremis consistunt,* plus negando vel affirmando, quam ad alterius falsitatem requiratur, imo tantum neget aut affirmet, quantum negari vel affirmari possit. Sit exemplum:

"Omne Ens spirituale est immortale:" A

Ut haec propositio falsa evadat, sufficit, ut ipsius universalitas destruatur: destruitur vero ipsius universalitas per istam propositionem:

"Aliquod Ens spirituale non est immortale:" O

Si autem opponere volueris universalem negantem:

"Nullum Ens spirituale est immortale:" E

negatione ulterius progredieris, quam necessum sit, et in altero consistes extremo. Quamobrem.

Contradices universali affirmativae per particularem negativam atque ideirco *A, O: I, E* erunt *contradictoriae: Contrariae* autem erunt duae propositiones, quae sunt universales et qualitate differunt i. e. *A, E.*

187. Hisce in antecessum praenotatis, modo ad statuendas contradictorias et contrarias uniuscujusque propositionis gradum facimus.

Et primo quidem contradictoria alicujus propositionis *singularis* habetur, quando ipsius qualitas mutatur, ut superius diximus (n. 180.). Ipsius autem contraria nulla est. Singulari aequiparantur propositiones *indefinitae*, quarum subjecta vel *materialiter*, vel *logice*, vel *realiter absolute*, vel *collective* supponuntur (n. 169.): idem ergo erit de his, ac de singularibus, judicium. Quando vero subjectum *disjuncte* supponitur v. g.

"Aliqua navis est ad navigandum necessaria:"

ne existimes ipsius contradictoriam esse *universalem negantem*, v. g. "nulla navis est necessaria ad navigandum:" vel *particularem negantem*, v. g. "aliqua navis non est necessaria ad navigandum:" nam *ambae verae* esse possunt, quia *disjuncta* est suppositio: sed contradictoria est haec sc:

"Non aliqua navis est necessaria ad navigandum"

i. e. "falsum est aliquam navem, *etiam indeterminate* acceptam, esse necessariam ad navigandum:" quae propositio falsa erit, si prior vera.

Secundo.—Propositionis autem *compositae* contradictoriam habebis, praefigendo particulam *non;* contrariam vero (si quando habet), mutando qualitatem, intacta manente ipsius quantitate, sc: universalitate. Quoniam vero sunt quaedam propositiones, praecipue compositae, quae aliquam praeseferunt difficultatem, juverit de his aliquid singillatim dicere: quod distinctis paragraphis praestabimus.

§ I.

Copulativae, Discretivae, Relativae, Causalis Oppositio.

188. *a*)—Ut falsa evadat *Copulativa* sufficit negare simultaneam veritatem partium, quibus constat; id quod fiet opponendo ei disjunctivam impropriam, duo tamen prae oculis habendo sc: *a*)—mutare qualitatem singularum partium: *b*)—et, si opus fuerit, quantitatem v. g.

"Consilium et prudentia est in senibus:"

Contradictoria—"Vel consilium, vel prudentia non est in senibus."
Contraria—"Nec consilium, nec prudentia est in senibus."

β)—*Adversativa* reducitur ad copulativam. Ergo idem de ipsa, quod de copulativa, feras judicium. v. g.

"Aristoteles non fuit stoicus, sed Peripati fundator:"

Contradictoria—"Aristoteles vel fuit stoicus, vel non fuit Peripati fundator:"

Contraria—"Aristoteles nec stoicus, nec Peripati fundator fuit."

γ)—*Causalis* reducitur ad copulativam. Ergo v. g.

"Anima humana est immortalis: quia spiritualis:"

Contradictoria— Anima humana vel non est immortalis: vel non spiritualis; vel non ideo immortalis, quia spiritualis."

Contraria—"Anima humana nec immortalis, nec spiritualis est: nec, si spiritualis, ideo immortalis."

δ)—Relativa sequitur regulas (n. 185.).

"Tanti homo valet, quantum habet:"

Contradictoria: "Non tanti homo valet, quantum habet:"

Contraria: "Tanti homo non valet, quantum habet."

§. II.

PROPOSITIONUM HYPOTHETICARUM OPPOSITIO.

189. α')—Propositio *Conditionalis* aequiparatur singulari. Quamobrem contrariam *proprie* non habet: contradictoriam vero habet, quemadmodum singularis: v. g.

"Si anima est spiritualis, est immortalis:"

Contradictoria—"Non si anima est spiritualis, est immortalis:" i. e. "Etiamsi anima esset spiritualis, non tamen esset immortalis."

β')—*Disjunctiva* est vel *propria*, vel *impropria.* *Contradictoria* disjunctivae *impropriae* est copulativa cum mutationibus supra indicatis; ipsius *contraria* nulla est, quia particulari aequivalet. Disjunctiva autem *propria*, quum ipsa aequivaleat copulativae, i. e.

"Haec (sc: *a*, *b*, *c*, . . . *x*) non sunt simul vera, et non sunt simul falsa:"

hinc pro *contradictoria* habet disjunctivam impropriam:

"Vel (*a*, *b*, *c*, . . . *x*) sunt simul vera, vel sunt simul falsa."

Contrariam vero non habet: quia aequivalet particulari. Exemplum sit:

"Omne corpus aut movetur, aut quiescit:"

Contradictoria; "Vel aliquod corpus movetur simul et quiescit; vel aliquod corpus nec movetur, nec quiescit."

Duo tamen velim observes.—Primo—Si partes Disjunctivae *proprie* sunt plures, quam duae, in contradictoria debet affirmari vel duas ex illis, vel tres, vel plures, vel denique omnes esse *simul* veras: vel duas, aut tres, aut plures, aut omnes esse *simul* falsas. Secundo.—Quando ipsius subjectum supponitur *disjuncte*, contradictoria haberi nequit, nisi negando ipsam disjunctionem (n. 187.).

γ') *Conjunctiva.*—Facile ejus oppositio intelligitur: v. g.

"Nullum corpus movetur simul et quiescit."

Contradictoria—"Aliquod corpus movetur simul et quiescit."

Contraria—"Omne corpus movetur simul et quiescit."

§. III.

Exponibilium Oppositio.

190. α'')—*Comparativa.*—Secundum regulas, habetur hujus:

"Omne peccatum est maximum animi malum"

Contradictoria—"Non omne peccatum . . . ."

Contraria —"Nullum peccatum est . . . ."

β'')—*Reduplicativa* et *Specificativa.*—Quoniam prima per *causalem*, secunda per *copulativam* exponitur; quod de his dictum est, et de illis dicatur.

γ'')—*Exceptiva.*—Idem de hac, quod de exclusiva, judicium feratur.

δ'')—*Exclusiva.*—Potest esse vel *exclusi Subjecti*, vel *exclusi Praedicati.* En schemata pro utriusque oppositione.

EXCLUSI SUBJECTI.	
Tantum *S* est *P.* i. e. 1. "*Omne S est P: et omne, quod non est S, non est P.*"	Tantum *S* non est *P.* i. e. 2. "*Nullum S est P: et omne, quod non est S, est P.*"
Non tantum *S* non est *P.* i. e. 3. "*Vel aliquod S est P: vel aliquod, quod non est S, non est P.*"	Non tantum *S* est *P.* i. e. 4. "*Vel aliquod S non est P: vel aliquod, quod non est S, est P.*"
EXCLUSI PRAEDICATI.	
Omne *S* est tantum *P.* i. e. 1. "*Omne S est P: et nullum S est aliud, praeter P*".	Omne *S* non est tantum *P.* i. e. 2. "*Vel nullum S est P; vel omne S aliud quid, praeter P.*"
Aliquod *S* non est non tantum *P.* i. e. 3. "*Aliquod S est P: et aliquod S non est aliud quid, praeter P.*"	Aliquod *S* est non tantum *P.* i. e. 4. "*Vel aliquod S non est P: vel aliquod S est aliud quid, praeter P.*"
1,4: 3. 2. Contradictoriae. 1. 2. Contrariae. 3. 4. Subcontrariae.	

§. IV.

Modalium Oppositio.

Quoad modalium *oppositionem*, duo sunt observanda.

191. Primum.—Modales *contrariae eumdem* modum habent, sed *universalem; contradictoriae* modos habent *contradicentes.* Modi *universales* sunt *Necesse, Impossibile* (seu *non-possibile*): modi *particulares* sunt *Contingens, Possibile* (n. 173.). Modi *con-*

tradicentes sunt universalis et particularis (i. e. Necesse, non necesse, seu contingens: Impossibile, possibile).

Secundum.—Contradictoriae *idem dictum* habent. Contrariae vero, si sunt *de necesse*, Dicta habent *contradictoria*, vel *contraria:* si autem sunt *de possibili* vel *de impossibili*, Dicta habent *contradictoria* vel *subcontraria*. Caeterum serventur statutae regulae, ut videre est in subjectis tabellis, quarum.

1.—Dictum *Singulare:* Modum *de Possibili*,
2.—Dictum *Universale:* Modum *de Necesse*,
3.—Modos *diversae* appellationis,

Continet.

D. Sing.—*De Possibili.*

Non possibile est A esse B.	α	η	*Non possibile est A non esse B.*
Possibile est A non esse B.	τ	υ	*Possibile est A esse B.*

D. Univ.—*De Necesse.*

Necesse est omne A esse B.	α	η	*Necesse est nullum A esse B.*
Non necesse est nullum A esse B.	τ	υ	*Non necesse est omne A esse B.*

Modi diversae appellationis.

Necesse est esse	α	η	*Impossibile est esse*
Possibile est esse	τ	υ	*Possibile est non esse* i. e. *Contingens est esse*

$\alpha, \upsilon : \eta, \tau$	*opponuntur*	*Contradictorie*
$\alpha, \eta.$		*Contrarie*
$\alpha, \tau : \eta, \upsilon$		*Subalterne*
$\tau, \upsilon.$		*Subcontrarie*

§ V.

COMPLEXARUM OPPOSITIO.

Quoad propositiones complexas observandum est.

192. Primo.—Ipsa impugnari potest dupliciter: sc: impugnando vel principalem simul et incidentem,vel incidentem tantum. Sic proposita v. g. hac propositione

"Anima spiritualis est immortalis;"

Dupliciter impugnari potest. Primo opponendo contradictoriam ipsius; i. e.

"Anima spiritualis non est immortalis."

Secundo, contradicendo incidenti;

"Anima, quae est immortalis, non est spiritualis."

Secundo.—In quibusdam complexis mutanda est *quantitas* incidentis, ut oppositio habeatur, in quibusdam non item. Sint exempla v. g.

I.—"Omnis demonstratio in omni scientia principiis evidentibus innititur."

Contradictoria: "*Aliqua* demonstratio *in aliqua* scientia *non* innititur principiis evidentibus."

Si enim diceres. "Aliqua in omni . . . ." plus negares, quam opus sit.

II.—"Omnis homo, qui servat *omnia* mandata Dei salvatur:"

Contradictoria: "Aliquis . . . . . . *omnia* . . . . *non* salvatur:"

Si enim diceres: "Aliquis . . . . . . *aliqua* . . . . *non* salvatur:" propositio erit vera, et priori nullatenus opposita.

Tertio.—Quando in propositione complexa affirmativa habentur adverbia temporalia aut localia; ut ipsius contradictoriam habeas, ponenda est particula non *immediate* ante adverbium: v. g.

"Sortes aliquando currit:"

Contradictoria—"Sortes non aliquando (i. e. numquam) currit".

Item "Anima semper cogitat:"

Contradictoria—"Anima non semper cogitat." i. e.

"Anima aliquando non cogitat."

Item "Christus est ubique;"

Contradictoria—"Christus est non ubique (i. e. alicubi non est)."

DICO III.—*Negatio* a)—*praeposita subjecto unius contradictoriae, reddit hanc aequipolleneum suae contradictoriae:* b)—*posposita, reddit contrariam, vel subcontrariam, aequipollentem suae contrariae, vel subcontrariae;* c)—*praeposita vero et postposita, duas subalternas aequipollentes reddit.*—

193. Explicatur Assertio.—Haec est negationis natura, ut tollat ac destruat totum id, quod post se invenit, *quantitatem* sc: et *qualitatem*, si utramque reperit; *quantitatem* vero, aut *qualitatem*, si alterutram invenit. Jamvero duo contradictoriae *quantitate* simul et *qualitate* differunt: duae contrariae, vel duae subcontrariae, *qualitate;* duae subalternae *quantitate* tantum ad invicem discrepant. Quamobrem:

a)—ut *duae contradictoriae* aequipolleant, uni ipsarum *praeponenda* est particula *non;* sic v. g.
"Omnis homo est animal"="*Non* aliquis homo non est animal."
"*Non* Aliquis homo est animal."="Nullus homo est animal."

b)—ut *duae contrariae*, vel *subcontrariae*, aequipolleant, uni ipsarum postponenda est negatio (i. e. ponenda est post subjectum, et consequenter ante copulam). Sic habebis:
"Omnis homo est sensitivus"="Nullus homo *non* est sensitivus."
"Aliquis homo est sensitivus"="Aliquis homo *non* non est sensitivus."

c)—Si ponatur negatio ante *A*, haec fiet aequipollens propositioni *O;* si huic postponatur negatio, aequipollens fiet propositioni *I.* Ergo si *ponatur* et *postponatur* Negatio subjecto propositionis *A*, haec *subalternans* reddetur aequipollens propositioni *subalternatae I.* Sic v. g.
"*Non* omnis homo est vivens"="Aliquis homo non est vivens:"
"Aliquis homo *non* non est vivens"="Aliquis homo est vivens."
Ergo:
"*Non* omnis homo *non* est vivens"="Aliquis homo est vivens."
Item sit aliud exemplum:
"*Non* nullus homo est doctus"="Aliquis homo est doctus:
"Aliquis homo *non* est doctus"="Aliquis homo non est doctus."
Ergo:
"*Non* nullus homo *non* est doctus"="Aliquis homo non est doctus."

Regulae *aequipollentiae* hoc versiculo continentur:
(*Non*) Prae *contradic:* Post *contra;* Prae Postque *Subalter aequivalentiae.*

Non posita	post	omnis	—*nulli*
	ante		—aliquis non
	post ante		—aliquis

ut sequentes indicant versus:

Omnis non sonat *nullus:*
Non omnis = *aliquis non;*
Non omnis non sonat *quidam.*

Hae tres regulae adhibendae sunt pro aequipollentia cujusvis propositionis. Duo tantum observa.

194. Primum est.—Quae diximus de subjectis propositionis, sive universalis, sive particularis, applicari quoque debent adverbiis sive loci, sive temporis, quae discrimen quantitatis habent. Hujusmodi sunt v. g. *aliquando, semper, numquam; alicubi, ubique, nullibi.* Habes aequipollentias inter adverbia temporis in subjecta tabella:

Non	aliquando	=	numquam
	semper	=	aliquando non
	numquam	=	aliquando
	aliquando non	=	semper
Semper	non	=	numquam
Numquam	non	=	semper

195. Secundum est.—Modales easdem, quas simplices propositiones, sequuntur regulas. Quamobrem ut aequipolleant,

1.	Contradictoriae	Negationem	*praepone*	Modo
2.	Contrariae . . . . / Subcontrariae		*postpone*	
3.	Subalternae		*praepone, postpone*	

Habes aequipollentias in subjectis tabellis.

Modi Aequipollentes.

	A	*Necesse est esse*		E	*Necesse est non esse*
	U	*Non possibile est non esse*		I	*Non possibile est esse*
1.	U	*Non contingens est non esse*	2.	I	*Non contingens est esse*
	E	*Impossibile est non esse*		A	*Impossibile est esse*

	U	*Non necesse est non esse*		I.	*Non necesse est esse*
	A	*Possibile est esse*		E	*Possibile est non esse*
3.	A	*Contingens est esse*	4.	E	*Contingens est non esse*
	I	*Non impossibile est esse*		U	*Non impossibile est non esse*

Ex hac serie perspicis omnes modos, qui sunt aequipollentes esse *ejusdem quantitatis*; sc: vel omnes universales, vel omnes particulares.

Aequipollentes
ex Dicto Universali.

1.	A	*"Necesse est omne x esse y."*	2.	E	*"Necesse est nullum x esse y."*
	U	*"Non possibile est aliquod x non esse y."*		I	*"Non possibile est aliquod x esse y."*
	U	*"Non contingens est aliquod x non esse y."*		I	*"Non contingens est aliquod x esse y."*
	E	*"Impossibile est aliquod x non esse y."*		A	*"Impossibile est aliquod x esse y.*
3.	U	*"Non necesse est nullum x esse y."*	4.	I	*"Non necesse est omne x esse y."*
	A	*"Possibile est aliquod x esse y."*		E	*"Possibile est aliquod x non esse y."*
	A	*"Contingens est aliquod x esse y."*		E	*"Contingens est aliquod x non esse y."*
	I	*"Non impossibile est aliquod x esse y."*		U	*"Non impossibile est aliquod x non esse y."*

Ut perspicis, ad habendum aequipollentiam, si in modali de necesse dictum est universale, in aequipollentibus de possibili et impossibili debet esse particulare; et viceversa,

Aequipollentes
Ex Dicto Singulari

	Ar	*Necesse est Sortem esse hominem.*		Ve	*Necesse est Sortem non esse hominem.*
	gu	*Non possibile est Sortem non esse hominem.*		ri	*Non possibile est Sortem esse hominem.*
1.	tu	*Non contingens est Sortem non esse hominem.*	2.	di	*Non contingens est Sortem esse hominem*
	le	*Impossibile est Sortem non esse hominem.*		ca	*Impossibile est Sortem esse hominem.*

	Sunt	*Non necesse est Sortem non esse hominem.*		qui	*Non necesse est Sortem esse hominem.*
	a	*Possibile est Sortem esse hominem.*		re	*Possibile est Sortem non esse hominem.*
3.	ta	*Contingens est Sortem esse hominem.*	4.	fe	*Contingens est Sortem non esse hominem.*
	vi	*Non impossibile est Sortem esse hominem.*		runt	*Non impossibile est Sortem non esse hominem.*

Argutule, veridica, sunt atavi, qui referunt.

Nota

I.—Duae priores dictiones *tabellas contrariarum:* duae posteriores *tabellas subcontrariarum* denotant.

II.—In unaquaque tabella prima vocalis designat modalem ex *necessario:* secunda ex *possibili;* tertia ex *contingenti*; quarta ex *impossibili.*

III. Vocalis	Designat	Enunciat:
A		affirmativam *Modi* et *Dicti*
E		affirmat. *Modi:* negat. *Dicti*
I		negat. *Modi;* affirm. *Dicti*
O		negativam *utriusque.*

Juxta versiculum.

E dictum negat, *I* que modum: nihil *A;* sed *U* totum.

DICO IV.—*Ut conversio legitime fiat, servanda est Veritas propositionis, quae convertitur. Quamobrem* a)—*Universalis affirmativa per accidens, seu in parte, convertitur.* b)—*Universalis negativa simpliciter, seu in terminis, et consequenter per accidens quoque convertitur.* c)—*Particularis autem affirmativa non nisi simpliciter;* d)—*Particularis negativa non nisi per contrapositionem convertuntur.*—

Quid sit conversio et quotuplex, diximus supra (n. 182.). Restat modo ut, quamnam conversionem suscipiant propositiones *A*, *E*, *I*, *O*, declaremus.

196. Et primo quidem *A* convertitur *per accidens.*—Ratio est; quia in propositione affirmativa praedicatum supponitur *disjunctive*, vel *disjuncte*, adeoque est terminus *particularis* (n. 158.). Quocirca praedicatum transiens in locum subjecti, nequit retinere *signum universalitatis* (quo instruebatur subjectum); nam secus illegitima evaderet conversio et destrueretur propositionis veritas. Ut igitur *integra* maneat propositionis *A*, quae convertitur, *veritas*, *mutanda* erit *quantitas* subjecti, atque ideo conversio erit *per accidens*, seu *in parte.*

Secundo.—*E* convertitur—*a'*)—*simpliciter:* nam ejus praedicatum *distributive* supponitur, ideoque est terminus *universalis* (n. 159.): Quamobrem in locum subjecti transiens, hujus signum (quod *universalitatis signum* est) retinet: sicque conversio erit *in terminis*, seu *simplex*—*b'*) *per accidens:* nam particularis *O* in *E* continetur: ergo.

Tertio.—*I* convertitur *simpliciter.*—Nam ipsius praedicatum, quod in ipsa *particulariter* supponitur, transiens in locum subjecti, hujus *signum particularitatis* retinet. Ergo.

196.' N. B.—Harum regularum legitimitas probari etiam potest vi hujus principii: sc: "*Quando ex opposito consequentis sequitur oppositum* (i. e. vel *contradictorium*, vel *contrarium*) *antecedentis, prior consequentia fuit bona.* Sic v. g. haec consequentia:

I.—"Nullum *a* est *b*:" *ergo* "nullum *b* est *a*:" bona est: quia *contradictoria* consequentis sc:

"aliquod *b* est *a*;"

et consequenter "aliquod *a* est *b*," *contradicit* antecedenti.

II.—"Omne a est b:" ergo "aliquod b est a;" bona conversio est: quia *contradictoria* posterioris sc: consequentis,

"Nullum *b* est *a*"—"Nullum *a* est *b*;" *contraria* est antecedenti. III.—"Aliquod a est b:" *Ergo* "aliquod b est a;" bona consequentia est; quia *contradictoria* posterioris sc:

"Nullum b est a"—"Nullum a est b;"

contradictoria est antecedentis.

Quarto.—*O* nec *per accidens*, nec *simpliciter* converti potest.

I. quidem nequit converti *per accidens* i. e. per universalem negativam. Nam si sic converteretur, v. g.

"Aliquod *a* non est *b*:" *ergo* "Nullum *b* est *a*:"

oppositum consequentis i. e.

"Aliquod *b* est *a*:" vel, "Omne *b* est *a*:"

et consequenter

"Aliquod *a* est *b*"

non esset *proprie* oppositum antecedenti, cum inter utrumque non vigeat nisi oppositio subcontraria (n. 185), et utrumque possit esse verum. Ergo prior conversio bona non fuit.

II.—Nec etiam converti potest *simpliciter* i. e. per particularem negativam. Nam tametsi haec conversio aliquando verificetur, non ideo tamen verificatur *ratione formae*, sed *materiae* dumtaxat, quando haec est *contingens*, atque ideo non in omni materia veritatem tenet. Sic v. g. ex hoc quod,

"Quidam lapis non sit homo:" sequitur quod

"Quidam homo non sit lapis"

at hujusmodi consequutio *accidentalis* est: nec mihi licet, *mutata materia*, sic arguere:

"Quoddam animal non est homo:" *ergo*

"Quidam homo non est animal;"

quia contradictoria consequentis est vera, atque ideo consequens falsum.

Quamobrem, ne propositio *particularis negativa* omni prorsus conversione careret, excogitarunt pro ipsa Dialectici conversionem *per contrapositionem*, qua etiam *Universalis affirmativa* converti posse docuere, ut sequentes versiculi indicant.

Simpliciter feci convertitur: *Eva per accid:*
Asto per contrap: sic fit *conversio* tota.

De hac sufficiant quae (n. 182.) diximus. Fateor tamen hanc conversionem non tam *conversionem*, quam *mutationem* esse; siquidem per ipsam non modo transponuntur termini, sed mutantur, cum ex *finitis* evadant *infiniti* (n. 157.). Rectius ergo quis diceret (ni

fallor) propositionem particularem negativam *proprie* dictam conversionem non habere, nisi quando praedicatum est accidens subjecti, quo in casu, non *ex natura rei,* sed ratione tantum *materiae,* converti posse *simpliciter*, ut cum dico:

"Aliquis homo non est sapiens; *ergo* "aliquis sapiens non est homo.

197. Ut haec, quae hucusque diximus, recte ad praxim deducantur, recolenda sunt, quae alibi docuimus.

Primo.—Quando in propositione *affirmativa* praedicatum enunciat, vel *a*)—essentiam *completam* subjecti (sc: est definitio): vel *b*)—*proprietatem* subjecti: vel *c*)—*passiones* Entis: vel *d*)—est terminus *singularis*, vel huic aequivalens, tunc non equidem ex propositionis natura, sed *ex natura rei,* fieri poterit conversio *simplex* (n. 158.)

Secundo.—Si quando copula est futuri temporis, aut praeteriti: vel casus obliqui adnectuntur praedicato, haec duo prae oculis habenda sunt. *a*)—In omni propositione verbum substantivum fungitur munere copulae et quidem praesenti tempore (n. 151.); caetera autem, quae includuntur a verbo, ad praedicatum pertinent. *b*)—In propositione affirmativa praedicatum est terminus particularis (nn. 150. 158.). Quamobrem rectae sunt hujusmodi conversiones;

"Omnis mortuus fuit vivens —est aliquis, qui fuit vivens: *Ergo* "Aliquis, qui fuit vivens, est mortuus.

"Hic puer erit senex —est futurus senex—*Ergo* "aliquis futurus senex est hic puer.

"Sortes studebit diligenter —*Ergo* "aliquis, qui studebit diligenter est Sortes.

"Martyres fuerunt invicti: *Ergo* "aliqui, qui fuerunt invicti, sunt martyres.

Tertio.—Aliquando in conversione exprimendus est *Status,* vel exprimendae sunt aliae terminorum *proprietates,* quemadmodum supra monuimus et peregimus (nn. 104.—113.). Sic v. g.

"Omne ridens est homo —"Omne, quod *fuit,* aut *est,* aut *erit,* aut *potest* esse ridens est homo: *Ergo* "aliquis homo est aliquis, qui vel *fuit*, vel *est*, vel *erit*, vel *esse potest* ridens. Quae propositio tam necessaria est, quam prima.

Quaeres.—Quomodo convertantur Propositiones *Modales?*

198. Respondeo.—Conversio in modalibus non est *commutatio* extremorum *principalium* enunciationis; etenim numquam modus potest esse subjectum, etiamsi in principio ponatur (n. 161.), et semper *copula verbalis* se tenet *ex parte modi*, quacumque ratione partes orationis commutentur. Proinde modalium conversio nihil est aliud nisi; "commutatio eorum extremorum, quae in *Dicto* continentur, servata qualitate Dicti, et veritate totius modalis:" v. g. si dicas:

"Necesse est Sortem esse hominem: *ergo* "necesse est hominem esse Sortem.

Quomodo autem harum conversio peragenda sit, observa, modales posse esse *ex necessario, ex impossibili; ex possibili, ex contingenti; Dicta* vero posse esse vel *affirmativa*, vel *negativa.* Jam age

Primo.—Modales *de necessario* et *possibili* affirmatis convertuntur *simpliciter*, aut *per accidens*, quemadmodum absolutae enunciationes: sc: universalis negativa, et particularis affirmativa *simpliciter:* universalis vero affirmativa et negativa *per accidens.* Hinc legitimae sunt sequentes conversiones,

I.—"Necesse est nullum *b* esse *a: ergo* "Necesse est nullum *a* esse *b*. Nam *ex opposito consequentis* sc:

"Non necesse est nullum *a* esse *b:* —"Possibile est aliquod *a* esse *b;* sequitur *oppositum antecedentis* sc:

"Possibile est aliquod *b* esse *a*.

II.—"Necesse est aliquod *a* esse *b; Ergo* "Necesse est aliquod *b* esse *a* Nam *ex opposito consequentis*, sc:

"Non necesse est aliquod *b* esse *a:* —"Possibile est nullum *b* esse *a;* sequitur *oppositum antecedentis*, sc:

"Possibile est nullum *a* esse *b*

III.—"Necesse est omnem hominem esse animal:

ergo "Necesse est aliquod animal esse hominem.

"Necesse est nullum hominem esse asinum:

ergo "Necesse est aliquem asinum non esse hominem.

Bonitas harum conversionum eodem probatur modo, ac superius.

Particularis *negativa* neutro modo converti potest: siquidem datur conversa vera, et convertens falsa v. g.

"Necesse est aliquod animal non esse hominem. *Vera* est:

"Necesse est aliquem hominem non esse animal. *Falsa* est.

Idem perspicies si, loco modi ex *Necesse*, posueris modum *ex Possibili.*

Eodem processu convertuntur Modales de necessario et possibili *negatis*, vel *ex impossibili* sive affirmato, sive negato, ut ex tabellis de aequipollentia colligere poteris.

Secundo.—Quod autem attinet ad enunciationes *ex contingenti proprie* sumpto: hae vel sunt *affirmativae*, vel *negativae*. Si sunt *a*)—*affirmativae*, eodem modo, ac absolutae, convertuntur, v. g. "Contingens est omne (vel aliquod) *a* esse *b*:" *Ergo* "contingens est aliquod *b* esse *a*."

Si autem fuerint *b*)—*negativae:* in hac hypothesi, vel modales sunt *particulares;* vel *universales.*

α)—Si *particulares;* convertuntur *simpliciter:* v. g.

"Contingens est aliquem hominem non esse album:" *ergo*

"Contingens est aliquod album non esse hominem."

Numquam enim in hac formula datur conversa vera, et convertens falsa.

β)—Si *universales;* converti *simpliciter nequeunt.* Nam vitiosa esset haec consequentia;

"Contingens est nullum hominem esse album:" *ergo*

"Contingens est nullum album esse hominem."

Nam *conversa* vera est: siquidem "quilibet homo potest esse albus, et non esse albus:" *convertens* autem est falsa; siquidem non quodlibet album potest esse et non esse homo, cum necessum sit "aliquod album (puta nivem, aut cygnum) non esse hominem."

Quomodo igitur convertuntur?

Respondeo.—Conversione *in oppositam qualitatem.* Haec autem conversio tunc habetur quum ex affirmativis negativae fiunt, et vicissim, *immotis* persistentibus *terminis* et *invariata* manente *quantitate.* v. g.

"Contingens est omnem hominem currere." Ergo

"Contingens est nullum hominem currere."

et e converso.

Qua in re considerandum est, quod sapienter observat S. Thomas: "Triplex est contingens: vel *ad utrumlibet*, ut, "contingit hominem esse album:" vel *ut in pluribus*, ut "contingit hominem habere duos oculos:" vel *ut in paucioribus*, ut "contingit hominem esse monoculum."—Contingens autem *ad utrumlibet* dicitur, quia quot possunt inesse, tot possunt removeri. Ergo negativa et affirmativa sunt simul verae.—Contingens autem, ut *in pluribus*, non convertitur in contingens ut *in pluribus*, sed in contingens ut *in*

paucioribus. Unde illa "contingit nullum hominem esse coecum" convertitur in istam "contingit omnem hominem esse coecum." Prima enim est contingens, ut in pluribus; secunda vero, ut in paucioribus.—Eodem modo convertitur contingens, ut *in paucioribus*, sicut contingens, ut *in pluribus;* et eodem modo sumitur eorum conversio, sicut dictum est de contingentibus *ad utrumlibet* Nam si contingit in paucioribus, deficit in pluribus." Op. 44. De Syllogismo c. 11.—

DICO V.—*Mens potest immediate transire ab una propositione ad aliam,* vel a)—*per modum immediatae illationis:* vel b)—*per modum quaestionis.*—

Declaratur prima pars Assertionis.—*Immediata* illatio habetur, quando ab una propositione fit transitus ad aliam cum praecedenti connexam, *sine adminiculo ratiocinii.* Quando autem id contingit, satis superque ex supra dictis patet. Juverit hic tantummodo, quae sparsa variis in locis inveniuntur, in unum colligere et sub oculos ponere.

Itaque immediatae illationes habentur.

199. Primo.—Cum ex veritate unius propositionis *contradictoriae*, vel *contrariae*, fit transitus ad inferendam falsitatem alterius *contradictoriae*, vel *contrariae:* vel cum ex falsitate *contradictoriae*, vel *subcontrariae*, infertur veritas alterius *contradictoriae*, vel *subcontrariae* etc. (n. 184.). Item cum ex una propositione vera fit transitus ad ipsius *aequipollentem*, vel *convertentem*, juxta regulas superius traditas, quaeque his versiculis continentur: negatio

Prae *contradict:* post *contra:* Prae Postque *Subalter.*
Simpliciter feci convertitur: *Eva per accid.*
(Cf. Dico 3. et 4.)

200. Secundo.—Quando ex uno praedicato fit transitus ad aliud. Qua in re observanda sunt, quae sequuntur.

a)—Ab *inferiori* ad *superius* valet illatio *affirmativa* v. g. "x est homo; *ergo* "est animal: non autem valet illatio *negativa.* v. g. "x non est homo; *ergo* "non est animal. (nn. 50. 158. 159.). A *superiori* autem ad *inferius*, illatio *affirmativa* non valet, v. g. "Leo est animal: *ergo* "est homo: illatio autem *negativa* valet; v. g. "planta non est animal; *ergo* "non est homo.

b)—A praedicato *conjuncto*, seu complexo, ad ejus partes *divisas*, valet illatio, quotiescumque una pars de subjecto dici posset, praescindendo a determinatione per aliam partem inductam: non valet autem cum una pars non dicitur de subjecto *per se*, sed solummodo secundum formam, quam alia pars adsignificat. Quamobrem recte sic argues:

"Flumen est aqua fluens:" *ergo* "est aqua, et est fluens:"
non item recte argues:

"Alexander est magnus dux:" *ergo* "et est magnus, et est dux."

A praedicato *diviso* ad *conjunctum* valet illatio, aut secus, prout una pars potest dici de subjecto, secundum quod habet aliam, vel secus. Cf. De appellatione (nn. 110—113.).

c)—A praedicato *privativo* ad *negativum* valet illatio: at non vicissim (n. 28.).

201. Tertio.—Quando ab una *suppositione* fit transitus ad *aliam*. Ad hujus tamen rei evidentiam considerandum est, illationem, sive ea sit affirmativa, sive negativa, semper valere quotiescumque fit transitus a suppositione *distributiva* ad *disjunctivam*, vel *disjunctam*; at non semper legitimam esse illationem, quae a suppositione *distributiva* fit ad *collectivam*, vel e converso. Etenim sunt *a*)—quaedam praedicata, quae unicuique *parti* collectionis conveniunt, praecise quatenus *sunt partes* et a ceterarum consortio *sejunctae* considerantur; atque haec de *singulis* affirmari possunt, non item de omnibus. Sunt *a'*)—alia praedicata, quae collectioni conveniunt *praecise*, quatenus est *Collectio:* et haec *de omnibus partibus simul sumptis* affirmari possunt, non item de singulis *distributive* acceptis. Sunt demum *a''*)—quaedam praedicata, quae partibus conveniunt, non quia sunt partes, sed quia *hanc*, vel *illam naturam* habent: atque haec tum de *singulis*, tum de *omnibus* affirmari utique possunt. En exempla:

"Quaelibet pars est incompleta:" *ergo* "Totum est incompletum."
"100 anni componunt seculum:" *ergo* "singuli faciunt seculum."
"Quaelibet mundi pars est contingens:" *ergo* "Totus mundus est contingens."

Prima et secunda illatio est pessima: tertia optima.

202. Quarto.—Quando a *posse* ad *esse*, vel *actum*, fit transitus. Notandum tamen est.

a)—A *non posse* ad *non esse* valet illatio: non item a *non esse* ad *non posse*.

β)—Ab *esse* ad *posse;* non item *a posse* ad *esse* valet illatio.

γ)—A *potentia agendi* ad *actum* datur illatio, quando *causa est necessaria* et est proxime expedita ad actum secundum; non autem quando *causa est libera.* Nam causa libera, tametsi omnia adsint ad agendum requisita, potest tamen pro suo arbitrio et indifferentia *activa,* qua pollet, agere vel non agere, hoc vel ejus contrarium ponere.

δ)—A *simultanea possibilitate* non sequitur *possibilitas simultaneitatis:* nimirum ex eo quod duo sunt possibilia, non sequitur, quod possunt *per se* existere *simul.* Sic v. g. posito auxilio *A,* Petrus potest illud recipere, et potest illud respuere; utrumque est possibile: non ideo tamen sequitur, quod illud potest simul recipere et respuere.

203. Declaratur secunda assertionis pars.—Saepissime contingit (ut experientia continuata docet) quod humanus intellectus, dum reflexe propositionem aliquam rimetur, ex eaque nequeat aliam per immediatam illationem deducere, se convertat ad inquirendum, an illa propositio, quae ex praecedenti *immediate* deduci nequit, sit nihilominus *in se* vera? Tunc ipse ab una propositione ad alteram *per modum Quaestionis* transire dicitur. Sic v. g. "Propositio universalis affirmativa "Omnis spiritus est simplex" convertitur sic. "Aliquod simplex est spiritualis substantia." Immediate insurget quaestio: "an ista propositio sc:

"Omne simplex sit substantia spiritualis"

tametsi nequeat ex praecedenti per legitimam conversionem inferri, sit nihilominus in se vera? En problema metaphysicum.

Pariter ex eo, quod triangulum rectangulum habeat summam angulorum aequalem 180 gradibus, non sequitur *logice* id verum esse de omnibus: tamen si ulterius inquiret Geometra, inveniet id verum esse de omnibus triangulis *praecise* quia triangula sunt. Sic dicas de innumeris aliis problematibus, ut per te ipsum experiri poteris.

Atque ita hanc partem, quam sub auspiciis BB. Virginis Mariae tractandam suscepimus, ad finem usque deduximus. Fateor opus satis ingratum prima fronte videri, nec mediocrem laborem in eo perficiendo impensum fuisse fateor: quaestiones enim, ut ut faciles, plus minusve intricatae sunt: attamen apprime utiles ac necessariae censeri debent: siquidem ex neglectu horum, quae circa propositionum naturam proprietatesque sapientia ac solertia Veterum stabilierunt, maximam errorum partem enatam fuisse memento.—

TERTIA PARS.

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE.

204. Hactenus elementa, quibus Ratiocinatio constat, tum *in se*, tum *in ordine* ad Ratiocinationem consideravimus (n. 6.). Restat nunc, ut ipsam Ratiocinationem, ad quam duae priores operationes mentis ordinantur, penitius perpendamus. Jam age, *Ratiocinatio*, ut ipsius nomen denotat, *discursum*, seu *transitum* quemdam importat, quo mens ex uno judicio in aliud procedit, quod *cum priori connexionem habet*, atque ita a veritate cognita ad veritatis, quam antea ignorabat, notitiam progreditur. "Cum enim intellectus humanus, ut sapienter angelicus Doctor observat, *exeat de potentia in actum*, similitudinem quamdam habet cum rebus generabilibus, quae non statim perfectionem suam habent, sed eam *successive* acquirunt. Et similiter intellectus humanus non statim *in prima apprehensione* capit perfectam rei cognitionem; sed *primo* apprehendit aliquid de ipsa, puta *quidditatem* ipsius rei, quae est *primum* et *proprium objectum* intellectus, et deinde intelligit proprietates, et accidentia, et habitudines circumstantes rei essentiam. Et secundum hoc necesse habet unum apprehensum alii *componere* et *dividere*, et ex una compositione et divisione ad aliam procedere; quod est *ratiocinari*." Exinde dimanat discrimen essentiale, quod inter intellectum humanum et angelicum (et a fortiori Divinum) intercedit.

Nam, ut idem S. Doctor adnotat: "Intellectus *angelicus* et *Divinus* se habent sicut res incorruptibiles, quae *statim* a principio habent suam totam perfectionem. Unde intellectus *angelicus* et *Divinus* statim *perfecte* totam rei cognitionem habet. Unde in cognoscendo *quidditatem* rei, cognoscit de re simul quidquid nos cognoscere possumus componendo, et dividendo, et ratiocinando. Et ideo intellectus *humanus* cognoscit *componendo* et *dividendo*, sicut et *ratiocinando*. Intellectus autem *divinus* et *angelicus* cognoscunt quidem compositionem, et divisionem, et ratiocinationem, non tamen componendo, et dividendo, et ratiocinando, sed *per intellectum* (conceptum) *simplicis quidditatis* (i. e. simpliciter apprehendendo.)" 1. p. q. 85. a. 5.—Cf. etiam 1. c. qq. 58. aa. 4. 5.—q. 14. a. 7.—q. 89. a. 1.

De hac igitur *specifica* humanae mentis operatione, prout Logici munus exigit, acturi, quo facilior et clarior sit tractatio, agemus

Primo.—De ipsa Ratiocinatione *in se* inspecta.

Secundo.—De ipsius Signo, seu Argumentatione.

Tertio.—De Methodo sc: de ordine ponendo in operationum mentis humanae serie, ut finem in Logica praestitutum (n. 1.) veritatem sc: *sine errore*, *ordinate* ac *facile* assequi possimus.

CAPUT I.

DE RATIOCINIO IN SE SPECTATO.

Tria quaerenda veniunt:

Primum.—Quid sit Ratiocinium?

Secundum.—Quibusnam *principiis* innitatur?

Tertium.—Quotuplex sit Ratiocinium?

Respondeo.

Dico I.—*Ratiocinium est: "actus, quo mens, instituta comparatione duarum notionum cum una eademque tertia, earum ad invicem identitatem, vel diversitatem objectivam cognoscit."*—

205. Declaratur assertio.—Saepenumero contingit (ut experientia quotidiana nos edocet) quod mens comparans duas notiones *ad invicem*, earum convenientiam, vel discrepantiam *objectivam immediate* non videat. Inde fit, ut anceps et suspensa maneat. Ab hoc autem suspensionis statu aliter se eximere nequit, nisi ad *tertiam* notionem, vel ultro oblatam, vel inquisitam, recurrendo, cum qua praecedentes duas notiones comparare possit.

Jam age, in hac comparatione duarum notionum (quas *A* et *B* appello) cum illa tertia notione (quam *S* appello), tres hypotheses fingi queunt. Vel enim Mens videt

Primo:—quod nec *A*, nec *B*, conveniat cum *S*.

Secundo:—quod *A* conveniat, *B* vero non conveniat cum *S*.

Tertio:—quod et *A*, et *B*, conveniant cum *S*.

In prima hypothesi.—Non possum dicere, nec *a*)—quod *A* conveniat *objective* cum *B*: nec *b*)—quod *A* non conveniat *objective*

cum *B*. Non *a*)—quia et *A* et *B* sunt *objective* diversa cum ϑ: quamobrem jus mihi non erit affirmandi, quod *A* sit *objective* identicum cum *B*. Non *b*)—quia, tametsi *A* et *B* non conveniant cum ϑ, potest tamen fieri, ut conveniant cum alia notione *x*, quam ego hic et nunc ignoro, atque ideo conveniant inter se. Quamobrem in hac prima hypothesi sc:

I. { ϑ non est *B* / *A* non est ϑ } *Nulla conclusio.*

Exinde deducitur regula Syllogismi (de qua suo loco):

"*Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.*"

In secunda hypothesi.—Mens perspiciens notionem *A* convenire cum ϑ, notionem vero *B* ab illa discrepare, vi *principii discrepantiae* sc: "*Ea, quorum unum identicum est cum tertio, alterum ab eo diversum, sunt diversa inter se;*" judicium *mediatum* negativum pronunciabit sc:

II. { ϑ non est *B* / *A* est ϑ / *A* non est *B* } *conclusio negativa.*

Exinde dimanat regula Syllogismi (saltem *partialiter*):

"*Pejorem sequitur semper conclusio partem.*"

sc; si una praemissarum est negativa, conclusio negativa sit necessum est.

In tertia hypothesi.—Perspiciens mens duas notiones *A* et *B* convenire cum ϑ, vi *principii identitatis* sc: "*ea, quae sunt identica uni tertio, sunt identica inter se;*" judicium *mediatum* ponet *affirmativum* sc:

III. { ϑ est *B* / *A* est ϑ / *A* est *B* } *conclusio affirmativa.*

Exinde desumitur regula Syllogismi:

"*Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.*"

Quamobrem, duabus notionibus cum una eademque tertia comparatis, *Ratiocinium* habetur, quo mens vel illas duas notiones ad invicem separat, vel conjungit, prout illas cum tertia, vel *objective* convenire, aut discrepare perspexerit. Est igitur Ratiocinium "actus, quo mens instituta *comparatione* duarum notionum cum *una eademque tertia*, earum *ad invicem* convenientiam, vel discrepantiam *objectivam* cognoscit."—

206. Quae hucusque diximus, exemplis illustrantur.

Primo.—Fingesis mentem ignorare: utrum *animus humanus* sit *immortalis?* recurret fortasse cogitationi notio *plantae*, quae

nec *animae* nec *immortalitatis* notioni convenit: nihil profecto mens colligere poterit.

Secundo.—Verum fac, ut stante eadem dubitatione, occurat cogitationi notio *spiritualitatis*: mens profecto videt eam cum duabus prioribus notionibus convenire, proindeque ratiocinium ponet *affirmativum.*

Omne *Ens spirituale* est immortale:
Anima rationalis est *Ens spirituale*:
Anima rationalis est Ens immortale.

Tertio.—Simili modo fac mentem ignorare an: "*Ens contingens* sit *infinite perfectum?* atque ad id dignoscendum notionem *mutabilitatis* assumere: facta comparatione, comperiet *Ens contingens esse essentialiter mutabile:* notionem autem *mutabilitatis* cum *infinita perfectione* consistere haudquaquam posse. Quocirca ratiocinium ponet *negativum.*

Nullum ens *essentialiter mutabile* est infinite perfectum:
Omne ens contingens est *essentialiter mutabile*:
Nullum ens contingens est infinite perfectum.

Stat igitur assertio.—

Ut, quae hucusque dicta sunt, breviter resumamus, cum menti relationem identitatis, aut discrepantiae inter duas notiones inquirenti, *tertia aliqua notio* affulget;

a)—Apprehendit ipsa imprimis convenientiam, vel discrepantiam *objectivam,* quam illae duae notiones habent cum tertia.

b)—In hac autem *duplici relatione* duarum illarum notionum cum tertia, mens percipit *inclusam* et *ex ea dimanantem* illarum ad invicem notionum *relationem,* quam quaerebat.

c)—Hinc fit, ut si priores illas duas relationes judicando ratas habet, eam quoque, quae inter duas notiones propositas intercedit, ratam habeat necessum est. Secus enim *idem* affirmaret *simul* et negaret; quod repugnat.

Corollarium I.—In Ratiocinio duplex est *actus apprehensivus,* quorum unus ab altero dependet, tamquam *effectus* a sua *causa.* Primus est apprehensio relationis convenientiae, vel discrepantiae *objectivae,* quae intercedit inter notionem mediam et duas alias notiones. Secundus est apprehensio convenientiae, vel discrepantiae *objectivae* inter has duas notiones, *quatenus in prioribus* illis relationibus continetur *ab iisque,* mente inspectante, *descendit.* Hujus convenientiae, vel discrepantiae ex illis relationibus descensus, Ratiocinii *Consequentia* dicitur et *formam* ipsius constituit.

Corollarium II.—In Ratiocinio *tria* sunt *judicia*, ut ex dictis constat. Horum ultimum judicium *mediatum*, *deductum*, aut *consequens* nuncupatur, et est potius *effectus necessarius*, quam pars Ratiocinii.—

Corollarium III.—Non est confundenda *Consequentia*, vel cum *apprehensione ipsius*, vel cum *consequenti*. *Consequentia* enim est ipsa notionum ad invicem relatio ex relationibus ipsarum cum tertia dimanans: unde *objectiva* est. *Apprehensio* vero *consequentiae* est actus mentis hanc relationem percipiens: unde *subjectiva* est. *Consequens* demum judicium est, quod hanc apprehensionem consequitur; unde *subjectivum* et ipsum est.—

Dico II.—*Ratiocinatio omnis Principio Identitatis, aut Discrepantiae plus minusve remote, ultimato autem Principio Contradictionis innititur.*—

207. Prior assertionis pars colligitur ex dictis.—Hic tantum declarare sufficiet duo illa principia.

Principium *Identitatis* sic exprimitur: "*Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:*" i. e. "Datis tribus notionibus, si *res*, quam exprimit 3., est *eadem cum re*, quam exprimit 1., et *cum re*, quam exprimit 2., profecto *res*, quam exprimit 1., *eadem* est ac *res*, quam exprimit 2." Principium vero *Discrepantiae* sic exprimitur: "*Si ex duobus unum sit identicum cum tertio, alterum vero ab eo diversum, sunt diversa inter se:*" nimirum respectu notionum: "si *res*, quam exprimit notio 3., est *eadem cum re*, quam exprimit 1; et *diversa cum re*, quam exprimit 2., profecto *res*, quam exprimit 2., *non est eadem cum illa*, quam exprimit 1."

Haec duo principia, prout ad duplicem illam formam Ratiocinii, de qua supra (n. 205.) egimus, et ad quam ceterae Ratiocinandi formae revocari possunt, *applicantur*, dici solent etiam *Dictum de omni*: et *Dictum de nullo:* et sic exprimi possunt:

Dictum de omni.—"Quicquid *universaliter distributive* affirmatur de aliquo subjecto, debet affirmari de omni *contento* (sc: inferiori) sub eo."

Dictum de nullo.—"Quicquid *universaliter distributive* negatur de aliquo subjecto, debet negari de quolibet *contento* sub eo."

Ratio autem haec est: quia secus idem affirmaretur simul et negaretur; aut vicissim idem simul negaretur et affirmaretur:

atque ideo "idem simul esset et non esset;" quod est, duo contradictoria esse simul (n. 183.). Exinde consequitur

Posterior assertionis pars, sc: Principium contradictionis

"Non potest idem simul esse et non esse"

ultimum illud exhibere, in quod ultimo ratiocinatio omnis resolvitur.

208. Corollarium.—Cum processus in infinitum repugnet, si datur Ratiocinium, necesse est, ut dentur judicia quaedam *immediata*, quae circa veritates *per se* notas versentur. Veritates autem *per se* notae illae dicuntur, quae, intellectis terminis, statim perspiciuntur, vel quae experientia ipsa manifestantur. De his opportuniori loco recurret sermo. Interim Cf. Auctorem (nn. 75. 76.).

Dico III.—*Ratiocinium est vel a priori, seu analyticum; vel a posteriori, seu syntheticum; vel mixtum.*—

209. Probatur assertio.—Ratiocinium omne tribus judiciis continetur, quorum *tertium* ex duobus *deducitur*. Jamvero haec duo judicia, ex quibus tertium deducitur, vel sunt *a*)—ambo *analytica* (n. 138.): vel *b*)—sunt ambo *synthetica* (n. 138.): vel *c*)—unum est *analyticum*, *syntheticum* alterum. Si contingit *a*)—judicium *deductum*, seu *mediatum*, erit analyticum, proindeque Ratiocinium erit et dicetur *analyticum*, seu *a priori*. Si *b*)—judicium *mediatum*, et per consequens *Ratiocinium* erit ac dicetur *syntheticum*. Si *c*)—Ratiocinium *mixtum* habebitur, et judicium *deductum* medio quodam modo inter analyticum et syntheticum se habens. Exempla sint.

a)—Ratiocinii *analytici;*

Omnis *figura plana* habet numerum laterum aequalem numero angulorum;
Atqui Triangulum est *figura plana;*
Ergo Triangulum habet numerum laterum aequalem numero angulorum.

b)—Ratiocinii *synthetici;*

Ignis admotus stipulae, eam comburet:
Atqui hic et nunc *ignis admovetur* huic *stipulae;*
Ergo illam comburet.

c)—Ratiocinii *Mixti;*

Entis *contingentis existentia* exigit existentiam Entis necessarii;
Atqui ens *contingens existit;*
Ergo Ens necessarium existit.

Jam age consequens prioris ratiocinii, *absolutam* habet necessitatem; posterioris, contingens est; tertii, *hypotheticam* necessitatem habet, saltem *quoad nos.* Dico *quoad nos,* quia si propositio illa, quae hujusmodi judicium exprimit, sc:

"Ens necessarium est existens:"

in se consideretur, non *hypothetica,* sed *absoluta* prorsus gaudet necessitate: est enim existentia de essentia, imo ipsa *essentia* Entis necessarii, quod ita *essentialiter* existit, ut repugnet ipsum non existere. Verum, quoniam humana mens nequit hanc existentiam *realem* Entis necessarii colligere nisi ex his, quae experientiae subjecta sunt, (non enim nisi ope experientiae sive *internae,* sive *externae,* existentiam nostram ceterarumque, quae nos circumstant, rerum attingimus): consequenter propositio illa deducta,

"Ergo Ens necessarium existit"

Si *quatenus deducta* consideretur, nec pure analytica censenda est, nec pure synthetica, et hypothetica gaudet necessitate *quoad nos:* nimirum est hujusmodi, ut vi principii analytici:

"Entis contingentis existentia exigit existentiam Entis necessarii;"

repugnet oppositum, *facta tamen hypothesi* quod sc:

"Entia contingentia existant."

Dices. Ergo necessitas existentiae Entis necessarii est hypothetica!

Respondeo. Nego prorsus. Aliud enim est necessitas existentiae Entis necessarii, aliud necessitas conclusionis, in qua affirmatur haec existentia: haec *hypothetice* necessaria est, non tamen affirmat Ens necessarium *hypothetice* existere, sed *absolute* existere. Cf. S. Thomam 1. p. q. 2. a. 1.

CAPUT II.

DE RATIOCINII SIGNO.

210. Ratiocinii *signum*, seu exterior expressio, *argumentatione* continetur. Argumentatio autem ex *argumento* nomen deduxit, diciturque *argumenti explicatio*. Sed, ut vim vocis reique naturam recte intelligas, Argumentatio sic definiri poterit, ut dicatur esse: "Oratio, qua ex argumento explicato, altera quaestionis pars deducitur."

Dicitur I.—*Oratio:* quae vox locum obtinet generis: ceterae voces locum differentiae tenent.

Dicitur II.—Qua *ex argumento explicato.*—Est *argumentum* inventum quid ad fidem faciendam, seu medium ad aliquid probandum assumptum: *explicari* autem dicitur, quum sic oratione evolvitur, ut ad institutam quaestionem solvendam aptum evadat.

Dicitur III.—*Altera quaestionis pars deducitur.*—*Quaestio* est "enunciatio, quae in dubitationem adducitur ad eamque solvendam argumentatio instituitur;" eaque duplicem contradictionis partem, affirmationem sc: negationemque complectitur, diciturque *Thesis*, si vel universalis sit, vel particularis; *Hypothesis* vero, si sit singularis v. g.

"Sitne omnis anima rationalis spiritualis, an non?" } *theses*
"Sitne aliqua virtus sectanda, an non?" }
"Sitne Sortes pater Leucippi, an non?" *hypothesis*

Exemplo declaremus rem.—Supponamus quod, proposita hac quaestione:

"An Principium Intellectivum sit spirituale, nec ne?"

velis *affirmativam* partem argumentando deducere. Necessum imprimis est, ut medium, ad id efficiendum aptum, inquiras. Quod, si natura principii intellectivi considerata, inveneris medium sc: "*principium intellectivum ex sua natura esse independens a corpore;*" et simul intellexeris: "*omne, quod est a corpore independens, esse spirituale;*" jam eo ipso habebis argumentum *explicatum* et ad quaestionem propositam *affirmative* solvendam accomodatum. Proinde haec exurget argumentatio

{ Principium intellectivum est *independens a corpore:*
{ Quod autem *independens est a corpore* est spirituale;
{ Principium ergo intellectivum est spirituale.

Est igitur argumentatio: "oratio, qua ex argumento explicato altera quaestionis pars deducitur."

211.—Ex data definitione colliges I.—Argumentatio omnis duplici parte constat. Una dicitur *antecedens*, et duas complectitur enunciationes (tametsi non semper ambae *explicite* exprimantur) et est: "id ex quo alia enunciatio consequitur." Altera vero pars dicitur *consequens*, et est: "enunciatio, quae ex prioribus deducitur, seu consequitur."

Colliges II.—Argumentatio semper *medium* habet. Quamobrem argumentationes nec sunt, nec dici merentur illationes illae *immediatae*, quibus; vel *a*)—enunciatio aliqua sive *ex seipsa*, sive *ex aequipollente*, sive *ex conversa*, sive *ex opposita* legitime consequitur (n. 119.): vel *b*)—unum praedicatum ex alio deducitur (n. 120.): vel *c*)—ex una *suppositione* ad aliam; vel *d*)—*ab esse ad posse*, aut vicissim, fit transitus (nn. 201. 202.). Quum enim hujusmodi consequentiae *medium* non assumant ad aliquid concludendum, argumento careant necessum est; unde argumentationes dici nequeunt.

Colliges III.—Consequentia magis patet, quam argumentatio. Est autem consequentia; "oratio, in qua ex aliquo aliquid colligitur:" et esse potest vel *mediata*, vel *immediata*. *Immediatae* consequentiae illae sunt, de quibus supra egimus (nn. 119—102.): *mediata* vero illa est, qua aliquid ex alio deducitur *vi medii*, ad id praestandum inventi. Hujusmodi est argumentatio, cujus antecedens semper continet argumentum, seu medium, quod in consequente (quod vi illius infertur) non continetur.

212. Argumentatio *dupliciter* spectari potest, *materialiter* sc: et *formaliter*, prout in ipsa vel propositiones, quae antecedens et consequens componunt, vel formam seu illationem, *qua talem*, consideremus. De ipsa sub utroque respectu considerata agendum nobis erit. Quoniam vero argumentatio consequentia quaedam est (ad ipsam namque, *tamquam species ad genus*, comparatur); prius de consequentia tractandum est, eo vel maxime, quod ea, quae de consequentia dicturi sumus, lucem non minimam afferent his, quae de argumentatione dicenda erunt. Quamobrem triplici quaestione caput hoc absolvemus.

Quaestio 1.—De Consequentia.

Quaestio 2.—De Argumentatione *formaliter* spectata.

Quaestio 3.—De Argumentatione *materialiter* inspecta.

QUAESTIO I.

DE CONSEQUENTIA.

213. *Consequentia* ut supra diximus (n. 211.) est: "oratio, in qua aliquid ex aliquo colligitur;" et potissimum in consequutione *consequentis* ab *antecedente* cernitur, exprimiturque per particulas *ergo*, *igitur*, vel aequivalentes. Erit *bona*, si aliquid ex aliquo *vere* colligitur: si secus, erit *vitiosa*. De ipsa tria ex ordine quaeri possunt.

Primo.—Quibusnam indiciis dignosci possit *bonitas* consequentiae?

Secundo.—Quid sit consequentia *formalis* et *materialis*, *necessaria* et *probabilis*: et quid requiratur ut, *mutata materia*, eadem servetur consequentiae forma?

Tertio.—Quaenam sint consequentiarum *generales leges?*

Respondeo.

Dico I.—*Duo suppetunt indicia ad bonitatem consequentiae internoscendam:* a)—*Si ex veritate antecedentis, saltem ex hypothesi data, consequens verum esse deprehendatur;* b)—*Si id, quod contradicit consequenti, repugnet quoque antecedenti; repugnantium vero nomine intelligo ea, quae simul vera esse non possunt.*—

214. Declaratur assertio.—Supposita bona consequentia, consequens in antecedenti continetur, atque ideo ab illo descendit. Quocirca *a*)—Si *ex veritate antecedentis* sequitur *veritas consequentis*, *bona* et apta existimanda erit *consequentia:* sin minus, vitiosa et inepta censeri debet. *b*)—Si *oppositum consequentis contradicit antecedenti*, prior consequentia *bona* erat: nam secus duo opposita evaderent simul vera, quod ex supra demonstratis fieri nullatenus potest. Exemplis res fiet clarior.

a)—Quia ex veritate hujus enunciationis: "Sortes est animal;" deprehendimus hanc esse *veram:* "Sortes est substantia;" ideo dicimus hanc consequentiam sc;

"Sortes est animal:" *ergo* "Sortes est substantia:"

bonam esse. Consimili ratione dicimus, has consequentias:

"Si Sortes haberet alas, volare posset:"
"Si Sortes esset lapis, non esset rationalis:"

legitimas et *bonas* esse: nam, supposita veritate utriusque antecedentis, ut ut conficta, consequens verum esse deprehenditur.

E converso *vitiosas* censemus has consequentias:

"Sortes est homo;" *ergo* "Sortes est doctus:"
"Sortes est animal;" *ergo* "Arbores sunt substantiae:"

Nam, in priori, antecedens est *verum*, consequens autem potest esse *falsum:* in posteriori autem, etsi antecedens et consequens sint *vera*, non ideo tamen deprehenditur verum esse consequens, quia antecedens est verum: siquidem ex antecedente existente vero, posset consequens, si nihil obstaret, esse falsum. Exinde colliges *ad bonitatem* consequentiae, non modo *non sufficere* antecedentis vel consequentis *veritatem*, sed *ne requiri* quidem: nam *ex utroque vero* consequentia *vitiosa; ex utroque* autem *falso*, consequentia sive *bona*, sive *vitiosa*, constare potest.

b)—Quum dico:

"Sortes est animal;" *ergo* "aliquod animal est Sortes:

bona est consequentia: nam *contradictoria* consequentis, sc: "nullum animal est Sortes:" *contradicit* antecedenti, qua asserueram quod: "Sortes sit aliquod animal." Quum vero dico:

"Sortes est homo;" *ergo* "Sortes est monoculus."

pessima est consequentia, nam supposito quod: "Sortes non sit monoculus;" non ideo sequitur, "quod Sortes non sit homo." Item *pessima* est consequentia hujusmodi:

"Homo est animal:" *ergo* "mundus est existens."

nam "supposita non existentia mundi," non ideo "homo cessaret esse animal." (n. 196′).

DICO II.—*Bona Consequentia est vel formalis, vel materialis: prior necessaria est: posterior quandoque necessaria, quandoque probabilis esse potest. Ut autem, mutata materia, eadem consequentia formalis existat, necessum est:* a)—*ut eadem dispositio seu ordo verborum, in quibus vis consequutionis cernitur, retineatur:* b)—*ut eadem vocum acceptio, eadem enunciationum quantitas, eademque partium, saltem principalium, qualitas servetur:* c)—*ut nexus et conjunctiones principalium partium consequutionis non mutentur.*

215. Declaratur prior assertionis pars.—*Consequentia* dicitur *formalis*, vel materialis, prout vel *vi formae*, vel *vi solius materiae*, concludere censetur.—Illa vero *vi formae* concludere censebitur, cujus formam modumque concludendi, si retinueris, *in materia quavis*, ut ut impossibili, *apte* concludet.—Ea vero *vi materiae solius* concludere censebitur, quae vi quidem formae nil colligit, tamen hujusmodi est, ut, *consimili assumpta materia*, semper in eadem forma *apte* concludat. Formalem consequentiam habes in hoc exemplo:

Omnis *virtus* est laudanda;
Omnis temperantia est *virtus;*
Omnis temperantia est laudanda.

Nam, *mutata materia*, semper *apte* concludat, etiamsi materia impossibilis ponatur, sic:

Omnis *bos* est planta,
Omne marmor est *bos*;
Omne marmor est planta.

Item *formalis* est consequentia isthaec: "Necesse est *hominem* esse *animal:*" *ergo* "necesse est *aliquod animal* esse *hominem:*" nam, mutata materia, sic: "necesse est omnem *lapidem* esse *plantam:*" *apte* concluditur; *ergo* "necesse est *aliquam plantam* esse *lapidem.*"

Materialis vero consequentia habetur in hac oratione v. g.

"Homo est animal:" *ergo* "est sensitivus;"

quia propter *solam materiam* i. e. rerum significatarum inter se affectionem (omne enim animal est sensitivum) *apte* concludit. Quod autem non concludat *vi formae*, ex eo patebit, quod si, eadem retenta forma, *materiam mutaveris* v. g.

"Cedrus est arbor" *ergo* "est sensitiva;"

inepta habebitur consequentia. Item, *vi solius materiae*, concludunt istae:

"Homo est animal:" *ergo* "homo non est sensus expers."

"Cedrus est planta:" *ergo* "Cedrus non est sensitiva;"

et aequivalentes.

Consequentia *necessaria* illa dicitur, in qua consequens necessario colligitur ex antecedente v. g. "homo est animal:" *ergo* "homo est substantia." *Probabilis* vero consequentia illa dicitur, in qua consequens, tametsi ex antecedenti colligatur, tamen non necessario, sed maxima ex parte; ut est v. g. hujusmodi:

"Agricola sulcis credit aratis"
"Semina, quae magno foenore reddet ager:"

non enim semper ac necessario hoc sequitur, ut experientia docet.

Jam age omnes *formales* consequentiae sunt *necessariae;* siquidem earum natura est, ut posito antecedente, sequatur consequens; *materiales* vero non item, sed quandoque sunt necessariae, quandoque probabiles, ut illas percurrenti fiet manifestum. Nam v. g in illis consequentiis, quae *eodem ordine* eadem praecise verba, tum in antecedente, tum in consequenti continent, et tamen non sunt *eaedem*, nec *aequipollentes*, haec vi materiae est *necessaria:* "Homo est animal:" *ergo* "omnis homo est animal:" haec vero *probabilis:* "Mater diligit filios:" ergo "mater x diligit filios." In his autem, quae concludunt *ordine inverso*, haec est *necessaria:* "Omnis homo est animal rationale:" *ergo* "omne animal rationale est homo" etc: haec vero *probabilis:* "qui diligenter studet, fit doctus:" *ergo* "qui fit doctus, diligenter studet." Eamdem varietatem invenire est in inductionibus, exemplis etc; pendet enim ex varietate materiae. (n. 165.). Cf. Fonseca (Ins. Dial. l. 6. cc. 3. 4.)

216. Declaratur posterior assertionis pars.—Ut autem eadem consequentiae forma retineatur, *mutata materia*, requiritur;

a) Ut *eadem dispositio* verborum, in quibus *vis inferendi* inest, retineatur: nam in hac dispositione *vis formae* consistit. Quocirca mutatur forma in his duabus argumentationibus:

1.	Omnis *virtus* est habitus, Omnis justitia est *virtus;* Omnis justitia est habitus.	2.	Omnis cedrus est *substantia,* Omnis leo est *substantia:* Omnis leo est cedrus.

Nam in (1.) *subjectum* enunciationis prioris est *praedicatum* secundae; in (2.) vero est *bis praedicatum.*

Debet servari *eadem acceptio vocabulorum*, ut per se patet; item, *eadem quantitas.* Hinc fit, ut defectu prioris, in his consequentiis eadem forma non habeatur:

"Homo deambulat:" *ergo* "aliquis homo deambulat."
"Homo est species:" *ergo* "aliquis homo est species."

Nam in priori *homo* supponitur *realiter*; in posteriori *logice.* Pariter hae duae illationes: "Homo vigilat: *ergo* non dormit;" et "Homo vigilabat:" *ergo* "non dormiebat:" eadem forma carent: quia *status* mutatur. Quod de *suppositione* et *statu* diximus, de aliis terminorum proprietatibus *proportionaliter* dicatur.—

Defectu posterioris, hae consequentiae;

"Omne animal est sensus particeps:" *ergo* "homo est sensus particeps"

"Quoddam animal est rationis expers:" *ergo* "homo est rationis expers."

non sunt *ejusdem formae*, quia non servatur *eadem* enunciationum quantitas.

Debet insuper *eadem essentialis qualitas* enunciationum *principalium* retineri. Hinc fit, ut hae consequentiae,

"Homo est animal:" *ergo* "est sensus particeps:.

"Homo *non* est animal - *ergo* "est sensus particeps:

eamdem non habeant formam: quum prioris antecedens sit affirmativum, posterioris autem negativum. Dixi *principalium;* nam, mutata qualitate essentiali quorumdam incidentium, quae in praedicato vel subjecto aliquo continentur, non ideo semper mutabitur forma; ut v. g. cum dicis:

"Omnis homo, *qui est justus*, est prudens: *ergo* "hic homo est prudens:"

"Omnis homo, *qui non est prudens*, est imprudens: *ergo* "hic homo est imprudens.

hae consequentiae eadem forma gaudent.

Denique necessum est, ut eaedem junctiones et nexus *principalium partium consequutionis* serventur. Quamobrem eamdem non servant formam hae consequentiae, sc:

"Si dies est, sol lucet:—"Quia dies est, Sol lucet.

Quae hucusque diximus minuta nimis videri possunt; sunt tamen necessario servanda, ut forma consequentiae retineatur, et sophismatibus occurratur.

DICO III.—*Generales consequentiarum leges his, quae sequuntur, pronunciatis continentur.*—

217. Primum.—*Ex Vero non nisi Verum:—Verum autem tum ex vero, tum ex falso colligitur.*

2. Prior. 2.—1. Post. 6.

Ratio prioris partis est.—Si falsum unquam ex vero colligeretur, quoniam *falsum in vero* contineri nequeat, necessaaio dicendum esset, non *bonam* fuisse consequentiam (n. 214.).

Posteriorem partem confirmant haec exempla:

Omnis *virtus* est amanda,	Omne *vitium* est amandum,
Omnis justitia est *virtus;*	Omnis justitia est *vitium;*
Omnis justitia est amanda.	Omnis justitia est amanda.

Hae argumentationes recte concludunt; sunt enim *formales* consequentiae; tamen *verum* sequitur, in priori, ex antecedente *vero;* in posteriori, ex antecedente *falso.*

218. Secundum.—*Ex falso et falsum et verum:—Falsum autem nonnisi ex falso, concluditur.*—

ll. cc.—8. Topicorum 4. 5.

Prior pars his confirmatur exemplis:

Omne *animal* est album,	Omne *animal* est nigrum,
Omnis corvus est *animal;*	Omnis corvus est *animal;*
Omnis corvus est albus.	Omnis corvus est niger.

Utraque argumentatio recta est: sed prior *ex falso falsum:* posterior *ex falso verum* concludit.

Posterior pars ex eo innotescit, quod si unquam ex vero falsum colligeretur, tunc daretur in *recta* et *bona consequentia* antecedens *verum* et consequens *falsum,* quod est absurdum.

219. Quoniam vero *Necessarium* semper est verum, *Impossibile* semper est falsum, *Contingens* autem et verum et falsum esse potest; (nn. 164. 165.) hinc colliges:

Corollarium I.—Ex *necessario* nonnisi *necessarium: necessarium* vero *ex quolibet* (sc: vel ex necessario, vel ex contingenti, vel ex impossibili) *colligitur.* 1. Poster. 6.

Corollarium II.—Ex *contingenti* numquam colligitur *impossibile,* sed vel contingens, vel necessarium. *Contingens* autem numquam *ex necessario,* sed vel ex contingenti, vel ex impossibili concluditur. 1. Prior. 12.—8. Phy. 5.—6. Metap. 4.

Corollarium III.—Ex *impossibili* sequitur *quodlibet; impossibile* autem non nisi *ex impossibili* colligitur.—9. Metap. 4.

Exempla.

Omne *animal* est substantia,	
Homo est *animal:*	Ex ant. *necessario,*
Homo est substantia.	Consequens *necessarium.*
Omnis *homo* movetur loco,	
Deambulans est *homo:*	Ex ant. *contingenti,*
Deambulans movetur loco.	Consequens *necessarium.*
Omnis *lapis* per se subsistit,	
Homo est *lapis;*	Ex ant. *impossibili,*
Homo per se subsistit.	Consequens *necessarium.*

Omnis *lapis* loquitur,
Homo est *lapis*:
Homo loquitur.

Ex antec. *impossibili*,
Consequens *contingens*.

Omnis *lapis* est sensitivus,
Marmor est *lapis*:
Marmor est sensitivum.

Ex antec. *impossibili*,
Consequens *impossibile*.

220. Tertium.—*Quicquid stat cum antecedente stat cum consequente:—non tamen quicquid stat cum consequente stat cum antecedente.*—

Hujus pronunciati hic est sensus.—Quicquid verum esse potest *cum antecedente*, potest etiam esse verum *cum consequente;* non tamen e converso.—Prima pars ex eo fit manifesta, quod secus in *bona* consequentia daretur consequens *falsum* ex antecedente *vero*, quod fieri nequit. Quocirca, cum dico:

Quod *hominem perficit* est illa bonum,
Virtus *hominem perficit;*
Virtus est illi bona.

Ex eo quod verum sit, *virtutem esse habitum*, aut esse *difficilem*, nec majoris, vel minoris (sc: *antecedentis*) veritas destruitur: neque etiam *consequentis* veritas destruetur: quippe virtus, tametsi sit *habitus*, aut *difficilis*, non ideo tamen cessat esse *homini bona*.

Secunda pars satis confirmata relinquitur hoc uno exemplo:

"Planta est *animal*:" *ergo* "Planta est *organis instructa*"

ex eo quod verum sit, plantam *non esse sensitivum*, non idcirco monstratur falsum eam esse *organis instructam* (quod *in consequente* affirmatur): nihilominus falsum monstratur *eam esse animal* (quod *in antecedente* affirmatur).

Ratio autem a priori hujus pronunciati est haec.—Antecedens se habet ad consequens, tamquam *inferius* ad *superius:* jamvero inferiora *in sua comprehensione* includunt superiora: at non e converso. (n. 50.)

221. Quartum.—*Quicquid repugnat consequenti repugnat antecedenti:—at non e converso.*—

1. Prior. 28.

Probatur prima pars.—Si aliquid, quod repugnat *consequenti*, non repugnaret quoque *antecedenti*, daretur eo ipso aliquid, quod evertendo *consequens*, non ideo tamen everteret *antecedens:* atque ita *in bona consequentia*, daretur antecedens *verum*, et consequens *falsum*, quod fieri unquam nequit. Exinde colligitur illud effa-

tum, quo supra usi sumus et in posterum utemur: "*ex contradictorio consequentis infertur contradictorium antecedentis, quotiescumque bona est consequentia*:" 1. Prior. 42.—2. Prior. 2. 4.

Posterior pars satis ex dictis demonstrata manet: nam consequens verum ex falso antecedenti quandoque haberi potest, tametsi non *per se*, sed *per accidens* tantummodo: v. g.

Omne *corpus* movetur,
Terra est *corpus*;
Terra movetur.

Antecedens falsum est: quia "*corpora quaedam quiescunt*:" tamen *consequens* est *verum*.—

222. Quintum.—*Ex quocumque sequitur antecedens, sequitur consequens: et quicquid sequitur ex consequente sequitur ex antecedente.*—(1. Prior. 28. 33.)

Exempli causa.—Si haec est apta consequentia: "x est animal;" *ergo* "x est substantia," quoniam homo v. g. est *animal*; ex homine utique sequetur et concludetur *substantia*. Ideo autem hic concludendi modus aptus censendus est, quia ad tres, ut minimum, propositiones conditionales reduci potest: v. g.

"Si x est homo, est animal;"
"Si autem est animal est substantia;"
"Si ergo est homo, est substantia."

Et duarum priorum propositionum veritate admissa, numquam tertia falsa esse poterit, ut ex demonstratis supra innotescit et inductione ostendi potest: nam, assumpta quacumque materia, semper extrema propositio (*consequens*) erit et manebit vera, dummodo priores (quae *antecedens* componunt) ponantur verae, sive hae sint duae, sive multo plures: ut v. g. cum dico: "Si Sortes est *homo*, est animal;" "si *animal*, est vivens;" "si *vivens* est corpus;" "si *corpus*, est substantia." Ergo

"Si Sortes est animal est *substantia*."

Ratio autem est: quia quicquid in superiori continetur, in inferiori quoque continetur: quamobrem *ab inferiori ad superius* valet illatio: antecedens autem ad consequens, tamquam *inferius ad superius*, se habet. (n. 50.).

QUAESTIO II.

DE ARGUMENTATIONE FORMALITER SPECTATA.

Plures enumerari solent argumentandi formae, quae plus minusve *accidentaliter* differunt inter se. Praecipuae sunt *Syllogismus, Enthymema, Sorites, Dilemma, Inductio.*

223. *Syllogismus*, qui a latinis Ratiocinatio simpliciter denominatur, est: "Argumentatio tribus constans propositionibus ita ad invicem connexis, ut prioribus duabus (quae *praemissae* dicuntur) *positis*, seu concessis, *necessum* est *tertiam poni.*" 1. Prior. 1.

v. g. { Omnis *virtus* est amanda,
Omnis justitia est *virtus:*
Omnis justitia est amanda.

224. *Enthymema*, qui et imperfectus Syllogismus ab Aristotele dicitur, recte a Boethio (2. de diff. Top.) definitur: "Oratio in qua non omnibus antea propositionibus constitutis, *festinata* infertur conclusio:" v. g.

{ Virtus est, *qua nemo male uti potest:*
Ergo virtus est simpliciter bona.

Vel etiam

{ Id, *quo nemo male uti potest*, est simpliciter bonum:
Ergo virtus est simpliciter bona.

225. *Sorites*, qui a Tullio *acervalis* dicitur (De Divin. l. 2. c. 4), est: "argumentatio pluribus coalescens propositionibus ita ad invicem coordinatis, ut semper *praedicatum praecedentis* fiat *subjectum subsequentis*, donec formetur conclusio in qua *praedicatum ultimae* cum *subjecto primae* propositionis copuletur." v. g.

{ Qui cupiditates suas non coercet multa desiderat;
Qui *multa desiderat* multis eget;
Qui *multis eget* inquietus vivit;
Qui *inquietus vivit* est miser;
Qui cupiditates suas non coercet est miser.

vel inverso modo:

Ille miser est, qui *vivit inquietus*:
Ille inquietus vivit, *qui multis eget;*
Ille multis eget, qui *multa desiderat;*
Ille multa desiderat, qui cupiditates suas non coercet;
Qui cupiditates suas non coercet est miser.

226. *Dilemma* est: "argumentatio composita, in qua duabus propositionibus *disjunctive* propositis adversario, ostenditur ex unoquoque membro aliquid contra ipsum concludi: unde infertur, hoc ipsum esse *absolute* concludendum." Hujusmodi est pulcherrimum illud Tertulliani dilemma. Cum enim Trajanus imperator christianos inquiri prohibuisset, si autem quis illos detulisset, poenam eis irrogabat; sic Tertullianus imperatorem redarguit.

Vel christiani sunt *nocentes*, vel *innocentes;*
Si nocentes; *cur inquiri prohibes?*
Si innocentes; *cur delatis poenam irrogas?*

In utroque casu, injustus Trajanus esse ostenditur.

227. *Inductio* est: "argumentatio, qua concludimus de subjecto aliquo *universali* id, quod de inferioribus ejus *singillatim* affirmandum, vel negandum esse *cognovimus, experientia docente.*" Ex qua definitione colliges inductionem, de qua est hic sermo, non esse confundendam cum illo *transitu*, quo mens a *notione* aliqua particulari ad *universalem notionem* ascendit; vel ab una *propositione* singulari ad *universalem* graditur *per modum abstractionis*, quod locum habet in judiciis analyticis, saltem in his, quae non sunt omnibus nota, quatenus mens primitus in aliquo singulari apprehendit terminos terminorumque *identitatem*, et deinde universalitatem *absolutam* principii cognoscit. Quo in casu singularia se habent per modum *occasionis* requisitae, *ut termini intelligantur* et fiat *reflexio*, quae ad efformandum judicium est necessaria, sed non requiruntur, *ut veritas principii demonstretur;* siquidem haec, intellectis terminis, fit menti manifesta (n. 208.). Quamobrem *Inductio*, de qua hic loquimur, est *transitus* a singulari ad universalem propositionem *per modum argumentationis*, et locum habet tantummodo *in judiciis syntheticis* efformandis.—

Jam age hic *transitus*, haec *inductio* potest esse vel *completa*, vel *incompleta*. Erit *completa* "cum de subjecto universali concludimus id, quod de *omnibus* ejus inferioribus affirmandum, vel negandum esse cognovimus:" ut v. g. cum dico:

"Planeta *a* mutuatur lumen a sole; planeta *b* mutuatur lumen a sole; item *c. d. e. f.* g. . . . ."

"Ergo omnes planetae mutuantur lumen a Sole."

Inductio autem erit *incompleta*, "cum de subjecto universali concludimus id, quod de *multis* ejus inferioribus *singillatim* affirmandum, vel negandum esse cognovimus:" ut v. g.

"Corpus *a* est grave; item *b. c. d.*"

"Ergo omne corpus est grave."

Cf. Tongiorgi l. IV. c. 2. a. 6.

Quoniam omnes hae argumentationes ad syllogismum revocantur, ut mox dicam, hinc de syllogismo nobis loquendum erit, de quo inquirimus, distinctis articulis;

Primo.—An sit praestantissima argumentandi forma?

Secundo.—Quomodo componatur?

Tertio.—Quotuplex sit?

Quarto.—Quibusnam subjiciatur legibus?

Quinto.—Quaenam et quot sint Syllogismi figurae, et quas habeant leges: Quinam et quot sint possibiles syllogismi modi; quinam ex his sint utiles ad concludendum.

ARTICULUS I.

DE PRAESTANTIA SYLLOGISMI.

Fuit singularis sententia Baconi a Verulamio (viri ceteroquin eximii) syllogismum eliminandum esse a scientiis, inductione loco ipsius suffecta. Tracy autem existimavit unicam ratiocinandi formam, ad quam ipse syllogismus revocari debet, Sorite contineri. Contra hos

DICO.—*Syllogismus est perfectissima argumentationis forma.*

Probatur 1.—Argumentatio, quae adamussim exprimit Ratiocinium, est perfectissima. Atqui Sollogismus adamussim exprimit Ratiocinium. Ergo Syllogismus est perfectissima argumentatio.

228. Prima propositio est evidens. Secunda ex definitione Ratiocinii et Syllogismi innotescit. Ratiocinium enim tribus constat judiciis, quorum terti[illegible]m ideo pro[illegible]rtur, quia duae notiones, quibus componitur, com[illegible]e cum una eademque tertia

cum hac *objective* identicae, vel diversae inventae sunt. Jamvero hoc idipsum exterius exprimit Syllogismus, cujus haec est natura: ut duo illationis termini conjungantur, aut separentur; quia in praemissis *comparati* cum uno eodemque termino, inventi sunt cum eo convenire, vel secus. Ergo Syllogismus adamussim exprimit ratiocinium.

II.—Illa argumentatio, ad quam ceterae omnes reducuntur, est perfectissima argumentandi forma. Atqui Syllogismus est argumentatio, ad quam ceterae omnes argumentationes reducuntur. Ergo Syllogismus est perfectissima argumentandi forma.

Probatur secunda propositio, nam prima est evidens (illud enim in aliquo genere censeri debet nobilius, ad quod omnia sub illo genere, vel quasi genere, contenta revocantur).

Revera *argumentationis formae*, ut ex dictis constat, sunt *Enthymema, Sorites, Dilemma, Inductio.* Jam age.

229. Primo.—*Enthymema* non est, nisi obtruncatus Syllogismus, in quo sc: deest vel major, vel minor propositio, prout in ipso deest propositio, quae continet praedicatum, vel subjectum conclusionis. Supple quod deest exterius; habebis syllogismum.

230. Secundo.—*Sorites* autem est syllogismorum *coacervatio* et nonnisi *accidentaliter* differt a syllogismo ad ipsumque revocabitur, si, quae sequuntur, prae oculos habeas; sc: in Sorite;

a)—omnes *minores* syllogismorum, quibus componitur, *excepta minori primi syllogismi;* item omnes *conclusiones, excepta conclusione ultimi syllogismi*, reticentur.—

b)—*minor primi syllogismi* ponitur primo loco; secundo vero loco ponitur *major ejusdem;* tertio, quarto etc. loco, ponuntur *majores* subsequentium syllogismorum.—

c)—singula praemissarum *subjecta, excepto subjecto primae*, munere *medii termini* funguntur.—

Hisce praenotatis, facillime Sorites ad formam syllogisticam reducitur. Sic v. g. Sorites (n. 225.) in tres resolvitur syllogismos:

Qui *multa desiderat* multis eget,
Qui cupiditates suas non coercet, *multa desiderat;*
Qui cupiditates suas non coercet, multis eget.

Qui *multis eget* inquietus vivit,
Qui cupiditates suas non coercet, *multis eget;*
Qui cupiditates suas non coercet inquietus vivit.

Qui *inquietus vivit* est miser,
Qui cupiditates suas non coercet *inquietus vivit;*
Qui cupiditates suas non coercet est miser.

Formula generalis haec est: sit x subjectum, y praedicatum conclusionis: sint ϑ ϑ' ϑ'' etc: medii termini.

Soritis

Expressio	*Reductio*
$$\left\{\begin{array}{l} x = \vartheta \\ \\ \vartheta = \vartheta' \\ \\ \vartheta' = \vartheta'' \\ \\ \vartheta'' = y \\ \\ x = y \end{array}\right.$$	$$\left\{\begin{array}{l} \vartheta = \vartheta' \\ x = \vartheta \\ x = \vartheta' \\ \\ \vartheta' = \vartheta'' \\ x = \vartheta' \\ x = \vartheta'' \\ \\ \vartheta'' = y \\ x = \vartheta'' \\ x = y \end{array}\right.$$

231. Tertio.—*Dilemma* est syllogismi species. Est namque Syllogismus, qui ex propositione *disjunctiva bipartita* arguit; et quatuor constat enunciationibus, quarum I.—est *disjunctiva:* "*vel christiani sunt innocentes vel nocentes:*" II.—est *conditionata—causalis,* quae assumit unum disjunctivae membrum, ex eoque concludit contra adversarium, rationem conclusionis afferendo.
"*Si innocentes; ergo injustus es; quia illis delatis poenam irrogas.*"
III.—item *conditionata-causalis,* quae idipsum exequitur quoad alterum disjunctionis membrum:

"*Si nocentes: ergo injustus es; quia illos inquiri prohibes.*"

IV.—est *categorica,* in qua sc: id quod *hypothetice* conclusum est in duobus membris simpliciter et *absolute* concluditur.

"*Ergo tu, O Trajane, es injustus.*"

Si propositio disjunctiva plura, quam duo, continet membra, habebitur *Trilemma, Quadrilemma* etc. et totidem erunt propositiones *conditionatae-causales,* quot disjunctionis membra.

Haec autem argumentandi forma Syllogistica est; ut ex ipsius reductione fit manifestum. Sit enim O conclusio adversarii; a, b, c, etc. disjunctionis membra exprimant, habebitur dilemmatis, aut trilemmatis etc. forma sic expressa.

Si O est vera, verificaretur vel stante a, vel stante b, vel stante c, vel etc.

Atqui nec stante a, nec stante b, ∴ . . . . c, verificatur.

Ergo O non est vera.

232. Quarto.—Inductio, ut (n. 227.) diximus, est vel *completa*, vel *incompleta*. Jamvero

a)—Inductio *completa* enthymemate continetur, nec a syllogismo differt, nisi *ratione materiae* tantum, quatenus sc: *Syllogismus*, ut ait Aristoteles (11. Priorum c. 29.—et 1, Post. c. 1.) ad probandas conclusiones, *quarum est medium*, inductio vero (int: completa) ad eas, *quarum non est medium*, probandas adhibetur. Nimirum in inductione completa subjectum conclusionis et medius terminus unus idemque conceptus sunt, diversimode tamen expressus: bis enim *universaliter* exprimitur et bis *per subjectivarum partium enumerationem*. Caeterum, ad *formam* quod attinet, nullatenus ipsa a syllogismo differt. En formula,

Et *a*, et *b*, et *c*, ... et *x* sunt P;
Atqui omne S vel est *a*, vel est *b*, vel est *c*, vel est *x*:
Ergo omne S est P.

b)—Inductio vero *incompleta*, nec ratione *materiae*, nec ratione *formae* differt a syllogismo.

Ad cujus rei evidentiam considerandum est inductionem incompletam fundari *proxime* in experimentis habitis circa *plura* individua. Postquam vero hujusmodi experientia facta est, ubi certo constiterit quoddam phoenomenum *constanter* et *uniformiter* rem aliquam comitari, utcumque individua, de quibus experientia instituitur, sive quoad *numerum*, sive quoad *locum* ceterasve *qualitates determinationesque* varientur; profecto patebit illius phoenomeni *causam*, neque peculiares illas determinationes, neque fortuitas circumstantias esse posse. Nam "*effectus constants et uniformis causam exigit constantem et uniformem*:" illa autem adjuncta nec constantiam habent et pro varietate individuorum mutantur.—Hinc mens *vi* illius *principii* (quod *causalitatis* principium nuncupatur) ad hanc exquirendam causam assurgit: neque aliam inveniet, nisi vel *naturam ipsam* individuorum, vel *legem ab Auctore naturae constabilitam*: his enim tantummodo constantiae et uniformitatis characteres competere possunt.—Verum enimvero *Natura omnibus inest*, etiam his, de quibus nondum instituta est experientia: *leges autem naturae*, utpote a Sapientissimo ordinatore positae et constabilitae, *stabiles* sunt. Quamobrem *phoenomenon*, quod hinc ducit originem verificari debet non solum in his individuis, de quibus facta est experientia, sed etiam in caeteris, quae

nondum explorata sunt: dummodo, vel *eamdam naturam* habeant, vel *eodem ordine* contineantur.

Quae cum ita sint, jam vides inductionem in syllogismos resolvi. Tres enim continet syllogismos, per quos gradatim a singularibus ad conclusionem universalem pervenimus; in quorum

Primo.—Ex *constantia* et *uniformitate* effectus *constantiam* et *uniformitatem* causae inferimus.

Secundo.—Ex constantia et uniformitate causae *identitatem naturae* vel *legis* a Deo auctore naturae constabilitae deducimus.

Tertio.—Ex identitate naturae *universalitatem effectus* regrediendo constabilimus. Cf. Auct. (nn. 95.—97.—et nn. 219. 220.)

En argumentatio ad formam redacta.

I.—Effectus *constans* et *uniformis* a causa constanti et uniformi pendet:
Atqui effectus observatus est *constans* et *uniformis*;
Ergo effectus observatus pendet a causa constanti et uniformi.

II.—Quod *a causa uniformi et constanti procedit* reduci debet vel ad naturam individuorum, vel ad legem stabilem ab Auctore naturae positam:
Atqui effectus observatus *a causa constanti et uniformi procedit*:
Ergo effectus observatus debet reduci etc. . . . .

III.—Quod *a natura*, vel *lege naturae procedit* debet verificari in *omnibus* individuis, quae vel *eamdem naturam* participant, vel *eidem legi* subjiciuntur:
Atqui effectus observatus *procedit a natura* . . . .
Ergo in omnibus individuis, quae . . . . . verificari debet.

233. Corollarium.—Quoniam igitur omnes argumentandi formae vel ad syllogismum revocantur, vel si quidpiam concludant, ad syllogismum revocari debent; consequenter erravit *a*) Baconius, qui inductione unice innixus, syllogismum repudiandum esse censuit. *b*)—Tracy, qui syllogismum omnemque ratiocinationem ad Soritis formam revocari debere autumavit. Hi profecto et quotquot ipsorum auctoritati plus aequo fulciuntur, neque inductionis, neque soritis, neque syllogismi, neque demum ratiocinationis ipsius analysim se umquam ex animo instituisse putandi sunt. Est enim processus syllogismi apprime naturalis, quippe naturae humanae mentis respondens, cujus hoc est proprium: "ut in inveniendo principia communia applicet ad determinatas materias, et inde procedat in aliquas particulares conclusiones et ex his in ali-

as." qq. Disp. q. de Magistro a. 1. Quamobrem mirum videri nequit si omnes argumentandi formae ad Syllogismum revocari debeant.

ARTICULUS II.

DE SYLLOGISMI STRUCTURA.

342. Ad syllogismi compositionem *duae partes* concurrunt (n. 145.) quarum una se habet, respectu Syllogismi, tamquam *materiam;* altera vero, tamquam *formam.* Porro materia Syllogismi duplex est; *remota* sc: et *proxima.* Materia *remota* sunt termini, quibus propositiones constant; hae autem sunt materia *proxima.* *Forma* autem Syllogismi *consequentia* continetur et duplex est, *Figura* sc: et *Modus.* *Figura* est: "apta *medii termini cum extremis* ad concludendum dispositio." *Modus* vero est: "praemissarum ad concludendum apta *secundum quantitatem* et *qualitatem* dispositio." De his suo loco.

Termini, qui materiam Syllogismi *remotam* constituunt, sunt tres, sc: *a*)—Praedicatum conclusionis,diciturque *majus extremum;* quia nobilius est et magis universale: *b*)—Subjectum conclusionis, diciturque ob contrariam rationem *minus extremum; c*)—*Medius terminus,* qui est utriusque vinculum.—Propositiones, quae materiam syllogismi *proximam* conflant, sunt pariter tres; *Propositio major, minor, conclusio.* *a*)—*Propositio major* illa est, "qua medius terminus comparatur cum majori extremo:" diciturque simpliciter et antonomastice *Propositio;* quia ad aliquod concludendum *proponitur.* *b'*)—*Minor* vero est: "enunciatio illa, in qua extremum minus cum medio termino comparatur," et nuncupatur *assumptio,* quia principium universale (quod per propositionem generatim exprimitur) *assumit,* et declarat subjectum conclusionis sub illo contineri, vel secus. *c'*)—*Conclusio* demum (quae consequenti et consequentia constat) est:" enunciatio deducta, in qua duo extrema uniuntur, vel separantur," prout inventa sunt *objective* identica, vel diversa cum medio termino in *propositione* et *assumptione* (quae ideo etiam *praemissae* Syllogismi nuncupantur). Quae diximus in hoc schemate, quod *generalem formulam* Syllogismi exprimit, videri possunt.

"$\theta = P$"	"θ non $= P$"	M„ *Propositio*	*Praem.*
"$S = \theta$"	"$S = \theta$"	m„ *Assumptio*	
Ergo "$S = P$"	*Ergo* "S non $= P$"	C„ *Conclusio*	

sc: exprimitur in

M„ "*θ continetur* (vel *non continetur*) in P."

m„ "*S continetur* in θ."

C„ consequenter "*S continetur* (vel *non continetur*) in P."

Cf. exempla (nn. 206.)

Ex dictis colliges:

Primo.—In Syllogismo non posse dari, nisi *tres terminos*, et *tres propositiones.*

Secundo.—Medium terminum *bis repeti* in praemissis, *semel* in Propositione, *semel* in assumptione; *numquam* vero inveniri, aut inveniri posse in conclusione: *Subjectum* vero et *Praedicatum* conclusionis *bis* quoque *repeti, semel* in praemissis, *semel* in conclusione.

Tertio.—Cur enunciationes illae, quae praemissas (sc: antecedens) et consequens exprimunt, et termini multifariam denominentur. Quod si penitiorem et ex ipsa rei natura desumptam causam harum denominationum quaesieris, hanc accipe ex S. Thoma, (De syllogismo Op. 44.) Quem locum, ut ut longiorem, tamen propter declarationem eorum, quae hic diximus, et eorum, quae supra (n. 149.) innuimus, referre iuvabit. Sic igitur S. Doctor.

235. "Ad sciendum autem causas dictorum nominum, sciendum quod homo sit *rationalis.* Dicitur autem *rationalis* et non *intellectualis:* quia *intellectus* apprehendit sine discursu: *ratio* vero licet non sit alia potentia ab intellectu, tamen dicitur *ratio,* quia quicquid apprehendit, apprehendit cum discursu: non ergo venit ad *perfectam* apprehensionem alicujus rei, nisi discurrat a *magis* noto ad *minus* notum. Verbi gratia, ad cognoscendum perfecte quid sit *homo*, primo intelligimus, quod sit *ens;* deinde quod sit *substantia;* deinde quod sit *corpus;* deinde quod sit *animatum corpus;* deinde *animal;* deinde *rationalis;* et sic veniemus in cognitionem hominis discurrendo. Sive autem talis discursus fiat *sine complexione* sc: intelligendo *ens, substantiam, corpus,* etc. non ponendo ibi "*est*" ut sc: non dicamus "*hæc est homo:*" vel fiat *cum complexione,* nihil ad propositum: sufficit quod discurrendo intelligamus, et talis discursus est a *magis* noto ad *minus* notum."

"*Magis* autem *nota nobis* sunt *magis universalia* .... quia sunt *magis confusa.* Discursus ergo noster in nostra cognitione est *a magis universalibus* ad *minus universalia.* Unde *magis* et *prius* cognoscimus *ens,* quam substantiam; et *substantiam,* quam corpus; et *corpus,* quam animatum corpus; et *animatum corpus,* quam animal; et *animal,* quam hominem."

"De tali autem discursu est *Syllogismus,* qui nihil aliud est, quam oratio seu congregatio orationum (ut Boetius dicit) in qua est talis discursus. Et licet in tali discursu multa possint esse *media,* et multae *praemissae* ad unam conclusionem ..... tamen quia *medium* semper duarum *extremitatum* est medium, in tali discursu multos comprehendimus syllogismos. Unus ergo est syllogismus unius *medii* et duarum *extremitatum.*

"Et quia in praedicto discursu *terminorum primus,* qui universalior est et per consequens magis notus, primo intellectui occurrit dicitur *major extremitas: extremitas* enim dicitur: quia primo occurrit intellectui; et *major:* quia universalior et magis nota. *Secundus* autem *terminus,* qui intellectui occurrit, est qui non est ita universalis, tamen secundum locum tenet post primum in universalitate, ut est *corpus* post *substantiam.* Huic autem secundo termino jam scimus inesse primum terminum, et haec dicitur *major propositio;* quia prior cognitione. Sed quia nondum scimus secundum inesse alicui minus universali termino, discurrit adhuc ratio, et cognoscit *corpus* inesse *animali,* ubi sistit, et haec (dicitur) est *minor propositio*; et statim cognoscit *substantiam* inesse *animali,* et haec est *conclusio.* Certe in istis terminis *medium* fuit *corpus,* et ipsum fuit *causa,* quod nos sciremus *substantiam* inesse *animali.* Ultimus autem terminus in praedicto discursu fuit *animal,* ubi stetit ratio, et propter hoc dicitur *minor extremitas; extremitas* dicitur: quia ibi stetit discursus rationis; *minor* vero dicitur: quia minus universalis et per consequens minus nota nobis. Habemus ergo causas dictorum nominum, et rationes *terminorum* et *praemissarum* et *conclusionis.*"

"Ex dictis potest patere, quod dicit Philosophus 1. Poster. quod *major propositio* est *prius* nota conclusione *natura* et *tempore: natura;* quia termini ejus sunt magis universales, ut dictum est: *tempore* vero; quia in discursu rationis prius scivi substantiam inesse corpori, quam inesse animali.—*Minor* autem *propositio* est prius nota *natura,* non autem *tempore. Natura;* quia causa prior

est causato; *propositiones* autem *sunt causa conclusionis;* et quia etiam iste fuit prior discursus rationis de medio sc: ad minorem extremitatem. Non tamen est prius nota *tempore.* Quia enim sciebam *substantiam* inesse *corpori,* in eo instanti in quo scivi *corpus* inesse *animali,* scivi *substantiam* inesse *animali.*"

"Et sic patet de partibus syllogismi et nominibus earum." S. Thomas Op. 44. De Syllogismo c. 4.

ARTICULUS III.

DE SYLLOGISMO SIMPLICI ET COMPOSITO.

236. Propositio, quae ad aliquid probandum assumitur, potest esse vel *simplex,* vel *composita* (haec autem vel *copulativa,* vel *adversativa,* vel *causalis,* vel *relativa,* val *exponibilis,* vel *hypothetica*). Quamobrem Syllogismus esse potest vel *simplex,* vel *compositus.* De syllogismo simplici nihil speciale dicendum occurrit. Inter syllogismos vero *compositos* specialem considerationem merentur hi, qui ex propositione *hypothetica* arguunt: deque his agam, postquam unum, vel alterum quoad caeteros compositos syllogismos, adnotaverim. Itaque

Primum est.—Quando in syllogismo propositio est *exclusiva* (idem dic si *exceptiva* sit) regula generalis ad extimandum *de conclusionis rectitudine* haec sit: "resolvatur exclusiva, et *loco majoris* ponatur illa *exponens,* in qua tota vis argumenti struitur; quae quidem *exponens,* quando exclusiva *copulative* exponitur, est semper *negativa*: hoc peracto, habebitur syllogismus simplex." Sic v. g. iste Syllogismus:

Solus Deus est immutabilis,
Atqui mundus non est Deus:
Ergo mundus non est immutabilis

aequivalet huic simplici syllogismo:

Quod est a Deo diversum non est immutabile,
Mundus est *aliquid a Deo diversum:*
Mundus non est immutabilis.

Quando autem exclusiva est *praedicati exclusi,* quandoque videtur syllogismus quatuor terminis constare v. g. cum dico:

Triangulum habet solum tres angulos;
Parallelogrammum habet quatuor angulos;
Parallelogrammum non est triangulum.

at illico cessabit difficultas, ut observaveris *propositionem* hanc esse sc:

"Triangulum non habet quatuor angulos."

Secundum est.—Quoad ceteros vero syllogismos prae oculis, habeantur, quae supra, agentes de propositionibus (nn. 167—170.), docuimus. Cf. inter caeteros Fonseca (Ins. Dial. Lib. l. cc. 30.)—et Tongiorgi (Dial. l. 3. c. 3. aa. 1. et 6.).

Venio nunc ad syllogismos *hypotheticos.* Syllogismus *hypotheticus* ille dicitur; "cujus antecedens propositionem *hypotheticam* continet, ex eaque conclusionem *categoricam* deducit." In ipso partes hypotheticae enunciationis hoc ordine distribuuntur: posita *loco propositionis* enunciatione hypothetica, una vel plures hujus partes, *loco assumptionis,* assumuntur; quae vero remanent, *in conclusione* deducuntur *affirmative,* vel *negativae.* Pars, quae in assumptione est, *munere medii termini* fungitur, idque natura ipsa enunciationis hypotheticae exigit: quippe in ea nihil *absolute* affirmatur, vel negatur; sed tantummodo *unius ab altera affirmationis, vel negationis dependentia* exprimitur.

Syllogismus hypotheticus dicetur *conditionalis, disjunctivus, conjunctivus,* prout ex propositione vel *conditionali,* vel *disjunctiva,* vel *conjunctiva* arguit. Breviter aliquid de singulis.

237. I.—Syllogismus *Conditionalis* est

a)—Rectus, quando vel

α)—ex *veritate,* seu *positione conditionis* (antecedentis), arguit ad *veritatem,* seu *positionem conditionati* (consequentis).

β)—ex *falsitate,* seu *remotione conditionati,* arguit ad *falsitatem,* seu *remotionem conditionis.*—

v. g.

α)— Si *Deus est justus,* punietur impius:
Atqui *Deus est justus;*
Ergo punietur impius.

β)— Si Ecclesia errat, *Deus mentitur;*
Atqui *Deus non mentitur;*
Ergo Ecclesia non errat.

b)—Vitiosus, quando vel

{ α')—A *Veritate conditionati* ad *veritatem conditionis* arguit:
vel
{ β')—A *Falsitate conditionis* ad *falsitatem conditionati* arguit:

v. g.

α')— { Si Sortes ambulat, *vivus est;*
Atqui Sortes *vivus est;*
Ergo Sortes ambulat.

β')— { Si *Sortes ambulat*, vivus est:
Atqui *Sortes non ambulat;*
Ergo Sortes vivus non est.

Ratio harum ex hoc duplici principio desumitur sc: quando bona est consequentia,

Primum.—Ex *vero antecedente* semper sequitur *consequens verum* atque idcirco, si *consequens est falsum, antecedens sit falsum* necesse est (n. 217.)

Secundum.—Ex *falso antecedente per se* sequitur *consequens falsum*; *per accidens* autem quandoque *verum*. Quocirca si *consequens est verum* non ideo sequitur *antecedens esse verum* (n. 218.)—

Adverte tamen, quando *conditio*, sub qua conditionatum verificari potest, est *unica*, licere utraque forma (b) uti: nam, in illa hypothesi, propositio conditionalis erit insuper *exclusiva* his duabus aequivalens:

"Si est *a* est *b*:"—"Si non est *a*, non est *b*."

unde legitime arguere possum:

{ "Atqui est *b*," "Ergo est *a*." } { "Atqui non est *a*," "Ergo non est *b*." }

Demum observa *a*)—syllogismos triplici propositione conditionali constantes, videri *hypotheticos*, attamen esse *pure categoricos:* concludunt enim, supposito hoc principio; "1. *est conditio* 2:" "2. *est conditio* 3:" *Ergo* '1. *est conditio* 3:'—*b*)Quandoque *conclusionem conditionalem* esse, quod tunc praecipue fit, quando quis vult adversario ostendere *consequentiae rectitudinem*, praescindendo a veritate praemissarum: tamen et iste syllogismus *simplex* revera est.—

238. II.—Syllogismus *Disjunctivus*. Quando propositio *proprie* disjunctiva habet

a)—Duo membra:

Duplex erit arguendi *modus*, uterque legitimus:

{ *a*)—*Negato uno* in minori, *affirmatur alterum* in conclusione:
{ *β*)—*Affirmato uno* in minori, *negatur alterum* in conclusione.

b)—Plura membra:

Triplex erit legitimus arguendi *modus:*

| *α'*)—*Negato uno* in minori, *affirmantur caetera* in conclusione *disjunctive.*
| *β'*)—*Negatis omnibus* in minori, *praeter unum*, *hoc* in conclusione *affirmatur.*
| *γ'*)—*affirmato uno* in minori, *negantur caetera* in conclusione *copulative.*

Has arguendi rationes *legitimas* esse ipsa *natura disjunctivae* enunciationis ostendit, cujus membra nequeunt esse vel *simul vera*, vel *simul falsa* (n. 172.). Quod si disjunctiva est *impropria*, unus tantum erit arguendi modus legitimus, quo sc: *negata* una parte in minori, concluditur altera *affirmative:* nam si in ipsa una *saltem* pars verificari debet, profecto negata una, altera affirmetur necessum erit: at opposita deductio fieri nequit.

239. III.—Syllogismus *Conjunctivus* unicam habet arguendi rationem legitimam, qua sc: *affirmato uno membro* in minori, *alterum negando concludit* v. g.

{ Nemo potest Deo servire et mammonae,
{ Atqui multi serviunt mammonae:
{ Ergo multi non serviunt Deo.

Non tamen mihi licet arguere

{ Atqui multi non serviunt mammonae
{ Ergo serviunt Deo.

Nam quamvis in conjunctiva statuamus duo non posse esse *simul vera*, non tamen ex aequo statuimus non posse esse *simul falsa*. Sic in citato exemplo, etsi multi non serviant mammonae poterunt tamen servire aliis rebus, et non Deo.

Adverte tamen, quod quando conjunctiva convertitur in disjunctivam (quod tunc fiet, quum membra, quae in conjunctiva enumerantur, sunt omnia, quae locum habent in illa re) syllogismus conjunctivus eodem modo concludere potest ac disjunctivus, cui aequivalet.

Atque haec de syllogismo composito dicta sufficiant. Equidem fuisset mihi in animo penitius hanc quaestionem evolvere modumque tradere quo syllogismus hypotheticus ad categoricum revocetur, et de Syllogismis *modalibus*, praesertim quando propositio

est *contingens*, agere: sed quoniam necessitas finiendi urget, ab ulteriori explanatione aut tractatione peragenda supersedeo. Cf. si volueris S. Th. Op. 44. De syllogismo cc. 13. 14.

ARTICULUS IV.

DE LEGIBUS SYLLOGISMI.

Ex natura syllogismi derivantur leges ipsius. Harum quaedam respiciunt *materiam remotam*, aliae vero respiciunt *materiam proximam* syllogismi (234.). De singulis breviter agendum.

Dico I.—*Si materia remota syllogismi consideretur:* a)—*non nisi tres termini sive materialiter, sive formaliter, in ipso inveniantur:* *ac proinde:* b)—*medius numquam conclusionem ingrediatur;* c)—*in praemissis saltem una vice distribuatur complete:* d)—*extrema non magis pateant in conclusione, quam in praemissis.*—

240. Ratio istarum legum ex ipsa natura Ratiocinii et Syllogismi desumitur, ut videre est in auctore, quem confer n. 18. Hae leges his continentur versibus:

"Tum *re*, tum sensu, *triplex* modo terminus esto."
"Aeque ac praemissae *extendat* conclusio voces."
"Numquam *contineat medium* conclusio oportet."
"Aut *semel* aut *iterum* medius *generaliter* esto."

Dico II.—*Materia Syllogismi proxima spectata, praemissae ne sint ambae* a)—*negativae;* vel b)—*particulares*—*Quod* si c)—*utraque sit affirmativa, conclusio quoque erit affirmativa:* si d)—*alterutra sit negativa*, vel *particularis, conclusio quoque negativa*, vel *particularis, sit oportet.*—

241. Probatur.—Et primo quidem praemissae *ne sint ambae* a)—*negativae;* vel b)—*particulares.*—Nam:

Si a)—*sunt ambae negativae,* nihil profecto sive *affirmative*, sive *negative*, colligi poterit, ut supra ostendimus (n. 205. 206.). Idem incommodum incurritur:

Si b)—*Sunt ambae particulares.*—Si enim hujuscemodi supponantur, tunc duae hypotheses fingi possunt. Nam hae duae praemissae *particulares*, vel α)—*ambae affirmativae:* vel β)—*una affirmativa altera vero negativa* ponuntur.

Si α)—nulla omnino conclusio haberi potest. Ut enim conclusio habeatur, *medius terminus* debet, saltem una vice, supponi *distributive* in praemissis. Atqui in his praemissis, quae *particulares* et *affirmativae* supponuntur, *medius terminus* numquam habere potest sedem *termini universalis:* nam *subjectum* propositionis *particularis* est terminus *particularis* (n. 167.) et *praedicatum* propositionis *affirmativae* est terminus *particularis* (n. 158.). Ergo si ambae propositiones *particulares* et *affirmativae* supponuntur, nulla conclusio haberi poterit. Hoc idipsum continget;

Si β)—*alterutra praemissarum negativa* supponitur. In hac enim hypothesi, conclusio necessario erit *negativa* (n. 205.) et ideo *majus extremum universale* (n. 159.). Jam age in praemissis *una* tantum *sedes* est pro termino universali (sc: *praedicatum* propositionis *negativae*). Haec autem sedes vel occupabitur a *medio termino*, vel a *majori extremo:* si *primum;* ergo majus extremum *magis patebit* in conclusione, quam in praemissis: si *secundum;* ergo medius terminus numquam *distributive* sumeretur in praemissis. In utroque igitur casu *nulla conclusio* colligi poterit. Ergo praemissae *ne sint ambae particulares.*—

Secundo.—Si c)—praemissae sunt *ambae affirmativae, conclusio* erit etiam *affirmativa;* idque ex principio *Identitatis* colligitur (nn. 205. 206.).—Si d)—*alterutra* est *negativa, conclusio* quoque erit *negativa;* idque vi principii *Discrepantiae* evincitur (l. c.).—Si demum d′)—*alterutra* est *particularis, conclusio* quoque *particularis* sit oportet. Etenim in contraria hypothesi, vel medius terminus numquam *universaliter* supponeretur in praemissis, vel utrumque, aut alterutrum saltem, extremorum *magis pateret* in conclusione, quam in praemissis.—Quod sic patet.

Supponamus parumper *universalem* esse conclusionem deductam ex praemissis, quarum una est *particularis: subjectum conclusionis* erit consequenter *universale.* Age jam, vel utraque praemissa supponitur α′)–affirmativa; vel β′)–una *affirmativa, negativa* altera.

Si α)′—*una* tantum *sedes* erit in praemissis pro termino *universali* (sc: *subjecti* praemissae *universalis*): hujusmodi vero sedes

occupari debet *a medio termino*; proinde minus extremum *magis patet* in conclusione, quam in praemissis.

Si β')—*Duplex* erit *sedes* pro termino *universali*: nam *subjectum* praemissae *universalis* est *universale*; *praedicatum* vero praemissae *negativae* est *universale*. Una sumetur *a medio termino*; remanebit altera. Inspice modo conclusionem. In ea *minus extremum* est *universale* (quia universalis); *majus* vero *extremum* est *universale* (quia negativa): in praemissis autem remanet una tantum sedes pro termino universali. Ergo in hac etiam hypothesi conclusio *magis patebit*, quam praemissae.

Quod si quis vitare volens scyllam, in utraque hypothesi sumeret extrema conclusionis *universaliter* in praemissis, incideret necessario in charybdim: nam medius terminus numquam *distributive* supponeretur. Ergo stat regula. Hae regulae his continentur versiculis.

a)—"Utraque si praemissa neget, *nil inde sequetur*."
b)—"Nil sequitur *geminis* ex *particularibus* umquam."
c)—"Ambae affirmantes nequeunt generare negantem."
d)—"*Pejorem* sequitur *semper* conclusio partem."

Dico III.—Regula autem generalis ex ipsa natura Ratiocinii deducta ad syllogismi rectitudinem internoscendam hoc axiomate continetur: "*in Syllogismo legitima habetur consequentia, quotiescumque Propositioconclusionem continet, assumptio vero conclusionem in propositione contineri declarat.*—

242. Declaratur.—In *Propositione* nil aliud affirmamus, nisi medium terminum esse *objective* identicum, vel diversum cum majori extremo. Si ergo medius terminus esset identicus *objective* cum minori extremo, jam eo ipso in Propositione assereretur *implicite* majus extremum esse *objective* identicum, vel diversum cum minori extremo. Nihil igitur faciendum restat, nisi ut *declaretur* medium terminum et extremum—minus esse *objective* identica. Atqui hoc idipsum est quod facit *Assumptio*. Ergo quotiescumque in syllogismo Propositio *continet* conclusionem, assumptio vero ipsam in illa contineri *declarat*, recta existimanda erit forma Syllogismi. Cf. De Arte Cogitandi P. 3. c. 10.

Dico IV.—Quoniam vero Dilemma et Sorites ad Syllogismum reducuntur, ipsius sequuntur leges. Quamobrem ut.
a)—*Sorites* recte procedat: *α)—ne inter affirmativas negativa ulla propositio subrepat, nisi forte penultima, quo in casu,* conclusio erit negativa: *β)—ne ulla propositio sit particularis, nisi forte prima; quo in casu conclusio erit particularis.*
b)—Dilemma autem rectum erit, quando *α')—divisio, quae fit in disjunctiva, est adaequata;* et *β')—ita adversarium utrinque ferit, ut nequeat contra injicientem retorqueri.*—

243. Cf. Auctorem Cap. 111. a. 8. et a. 9. nec non n. 220, ubi Inductionis leges invenies.

ARTICULUS V.

DE FIGURIS ET MODIS.

Ut Syllogismi atque ideo Ratiocinii *analysim* absolvamus, explicanda remanet pulcherrima et numquam satis celebrata ac denuo celebranda doctrina, quam Philosophus tradidit de figuris et modis Syllogismi, Prior. Analyticorum L. 1. cc. 6. seqq. In hac enim, quasi *universali mathesi*, vel, ut alii inquiunt, *Ratiocinii algebra*, scite observat Leybnitius: "ars quaedam infallibilitatis continetur, si tamen quis et sciat, et possit illa recte uti, quod utique non semper licet." Essais sur l' ent. hum. l. 4. c. 17. mihi autem illam copiose tradere volenti ac me traditurum verbis pollicenti tempus non suppetit, nec varia, quibus circumdor, adjuncta id facere, ac pollicita, quo promiseram modo, praestare amplius permittunt. Quamobrem quaecumque in hac re scitu sunt necessaria imo et utilia, qua maxima poterq brevitate ac claritate expediam. Sic fiet, ut vos in pulcherrima hac doctrina novi ac jejuni non maneatis, ac longa, ut ut bona, tractatio animis vestris fastidium non ingeret. Itaque

Dico I.—*Syllogismi figurae sunt tres, quarum prima, tum directe, tum indirecte, concludere potest.*—

244. Probatur.—Tot sunt figurae, *quot dispossituras* potest assumere *medius* terminus cum *extremis* conclusionis: (n. 234) hae autem sunt tres: sc: *medius* potest esse 1.—subjectum in *propositione*, praedicatum in *assumptione:* 2.—*bis praedicatum;* 3.—*bis subjectum* in praemissis. Si contingit 1: habebitur prima figura (*Sub. Prae.* Prima); si 2: habebitur secunda figura (sed altera *bis Prae*); si 3: habebitur tertia figura (Tertia *bis Sub*).

Dices.—Quid, si medius terminus est *praedicatum* in propositione, *subjectum* in assumptione?

Respondeo I.—Alii putant tunc haberi *quartam* figuram distinctam a caeteris; adeoque *quatuor esse figuras.* Alii vero existimant hanc non esse nisi *primam* figuram *indirecte* concludentem. Alii demum et *priorem admittunt* et *posteriorem sententiam non respuunt.* Quid igitur censendum?—

Respondeo II.—Quaestio non est magni momenti. Qui quartam figuram a prima distinctam retinere voluerit, retineat: tantum onus ipsi probandi manebit, propositionem, quae prima fronte minor videtur, esse revera minorem: id autem ex extremis conclusionis dijudicandum erit. Cf. De Arte cogitandi P. 3. c. 4.

En figurarum schemata.

I. Figura	II. Figura	III. Figura
$\vartheta = P$	$P = \vartheta$	$\vartheta = P$
$S = \vartheta$	$S = \vartheta$	$\vartheta = S$
$S = P$	$S = P$	$S = P$

i. e.

I. Figura
- ϑ est (vel non est) in *P*.
- *S* est in ϑ;
- *S* est (vel non est) in P.

II. Figura
- *P* non est in ϑ; *S* est in ϑ; *S* non est in *P*.
- vel: *P* est in ϑ; *S* non est in ϑ; *S* non est in *P*.

III. Figura
- ϑ est (vel non est) in *P:*
- ϑ est in *S*;
- Aliquod *S* est (vel non est) in *P*.

Dico II.—In 1. figura: sit a)—*minor affirmativa:* b)—*Major vero generalis.*—In 2. figura: a′)—*una negans esto; nec* b′)—*Major sit specialis.*—In 3. figura; sit a″)—*minor affirmans;* b″)—*conclusio particularis.*—

245. Probatur assertio.—Et primo quidem sit schema primae figurae.

(*Sub. Prae.* Prima) $\begin{cases} \vartheta = P & P. \\ S = \vartheta & A. \\ S = P & C. \end{cases}$

a)—*Minor* (sc: *A*) debet necessario esse *affirmativa.*—Nam si negativa esset, conclusio (sc: *C*) esset quoque negativa: et consequenter *majus extremum* conclusionis esset terminus universalis. Quo posito, sic arguo: vel majus extremum est etiam universale in *propositione* (*P;*) vel particulare. Si primum: ergo totus syllogismus constaret *negativis:* si secundum: ergo conclusio *magis pateret,* quam praemissae. In utroque casu nulla conclusio.

b)—*Major vero sit generalis.*—Etenim *medius terminus* (ϑ) debet sumi saltem una vice *universaliter.* Atqui non potest sumi universaliter *in minori* (nam haec, utpote *affirmativa,* praedicatum habet particulare). Ergo sumi debet universaliter *in majori.* Atqui in hac tenet. *locum subjecti,* et quotiescumque subjectum propositionis est universale, enunciatio est universalis (n. 168.). Ergo *Major* erit universalis.

Secundo.—Sit Schema II. Figurae:

(Sed altera *bis Prae:*) $\begin{cases} P = \vartheta; & P. \\ S = \vartheta; & A. \\ S = P. & C. \end{cases}$

a')—*Una negans esto.*—Etenim *medius terminus* est bis praedicatum; aliunde certum est non nisi praedicatum propositionis *negativae* esse *per se* universale: medius autem terminus saltem una vice *universaliter* sumi debet. Ergo una praemissarum *negativa* sit oportet.

b')—*Major sit universalis.*—Nam conclusio in hac figura est necessario *negativa;* consequenter *majus extremum* erit *universale:* debet autem sumi etiam *universaliter* in majori, in qua *locum* tenet *subjecti;* ergo propositio major habebit subjectum *universale;* et idcirco erit ipsa *universalis.*—

Tertio.—Sit Schema III. Figurae:

(Tertia *bis Sub:*) $\begin{cases} \vartheta = P; & P. \\ \vartheta = S; & A. \\ S = P. & C. \end{cases}$

a'')—*Minor sit affirmativa.*—Eadem ratione (a)

b'')—*Conclusio Particularis.*—Nam *S* in minori est terminus

particularis: et aliunde certum est extrema conclusionis non debere *magis* in conclusione *patere*, quam in praemissis.

N. B.—Pro quarta figura, cujus hoc est schema :

$$\begin{array}{lll} P = \vartheta & & A. \\ \vartheta = S & & P. \\ S = P & & C. \end{array}$$

Hae dantur regulae :

I.—Quando *major* est *arffimativa, minor* est semper *universalis.*

II.—Quando *minor* est *affirmativa, conclusio* erit *semper particularis.*

III.—In *modis negativis major* erit semper *universalis.* Ratio manifesta fiet inspicienti schema propositum.

DICO III.—*Sexaginta quatuor possibiles sunt Syllogismorum Modi.*—

346. Probatur assertio.—Primo.—*Modus* Syllogismi resultat *ex diversa praemissarum dispositione,* quoad ipsarum *qualitatem* et *quantitatem* (n. 234.). Quo posito sic arguo. Tot sunt *possibiles modi,* quot *praemissarum dispositiones* fieri possunt in ratione *qualitatis* et *quantitatis.* Atqui *sexaginta quatuor* fieri possunt *dispositiones* hujusmodi. Ergo *sexaginta quatuor* extare possunt *syllogismorum modi.*

Prob. minor.—Nam si sola attenditur *qualitas,* in unaquaque figura quatuor haberi possunt modi (vel enim utraque praemissa est *affirmativa;* vel utraque *negativa;* vel major *affirmativa,* minor vero *negativa;* vel e converso minor *affirmativa,* major vero *negativa*).—Sin autem ratio habeatur *quantitatis,* unusquisque istorum modorum quater variari potest (vel enim utraque praemissa est *universalis;* vel utraque *particularis:* vel major *universalis,* minor vero *particularis;* vel e converso major *particularis,* minor vero *universalis*). Ergo in unaquaque figura *sedecim modi* existent. Atqui *figurae* sunt *tres,* et *prima* concludere potest vel *directe,* vel *indirecte.* Ergo sedecim debet quater sumi. Atqui $16 \times 4 = 64$. Ergo etc.

Secundo.—Ad eamdem conclusionem devenies, si facta abstractione a figuris, *combinationes ternarias,* quae ex quatuor litteris (quae propositionum *quantitatem* ac *qualitatem* exhibent) oriri possunt, consideraveris. Porro hujusmodi combinationes *sexaginta quatuor* numero sunt, ut in subjecto schemate videre poteris.

TABELLA MODORUM.

Propositio . . . . A				
assumptio	*a*	*e*	*i*	*o*
conclusio	a, e, i, o,	a, e, i, o,	a, e, i, o,	a, e, i, o,
Propositio . . . . E				
assumptio	*a*	*e*	*i*	*o*
conclusio	a, e, i, o,	a, e, i, o,	a, e, i, o,	a, e, i, o,
Propositio I				
assumptio	*a*	*e*	*i*	*o*
conclusio	a, e, i, o,	a, e, i, o,	a, e, i, o,	a, e, i, o,
Propositio . . . . O				
assumptio	*a*	*e*	*i*	*o*
conclusio	a, e, i, o,	a, e, i, o,	a, e, i, o,	a, e, i, o,

DICO IV.—*Ex his sexaginta quatuor modis, novemdecim tantum legitimam formam servant.*

247. Probatur.—Primo.—Nam *ex sedecim* cujusque figurae debent excludi omnes modi, qui *figurarum leges* (nn. 240. 241.) non servant. Hisce exclusis, manent *novemdecim*, ut in subjecta tabella videre est.

Sub. Prae. Prima.

aa	ee	ae	*ea*
ii	oo	io	oi
ai	eo	ao	*ei*
ia	oe	ie	oa

Sit minor affirmans :
Major vero generalis.

aai	ee	*aeo*	*eae*
ii	oo	io	oi
aii	eo	ao	ei
ia	oe	*ieo*	oa

Sed altera bis Prae.

aa	ee	*ae*	*ea*
ii	oo	io	oi
ai	eo	*ao*	*ei*
ia	oe	ie	oa

Una negans esto :
Nec major sit specialis.

Tertia bis Sub.

aai	ee	ae	*eao*
ii	oo	io	oi
aii	eo	*aoo*	*eio*
iai	oe	ie	oa

Sit minor affirmans :
Conclusio particularis.

248. Secundo.—Si, independenter a figuris, considerare velis *sexaginta* quatuor combinationes ternarias, videbis profecto innumeras earum exprimere modos, in quibus *leges* syllogismi *generales* violantur. His itaque subtractis, manebunt *decem*, ut videre est in subjecta tabella.

Regulae

Terminus esto triplex: medium conclusio vitet;
Hoc ex praemissis altera distribuat.
Si praemissa simul fuit utraque particularis;
Aut utrinque negans, nulla sequela venit.
Particulare praeit? sequitur conclusio talis:
Ponitur ante negans? clausula talis erit.

Asserit *a*, Negat *e*, verum *generaliter* ambo
Asserit *i*, Negat *o*, verum *specialiter*

aaa	aia	eaa	eia	iaa	iia	oaa	oia
aae	aie	*eae*	eie	iae	iie	oae	oie
aai	*aii*	eai	eii	*iai*	iii	oai	oii
aao	aio	*eao*	*eio*	iao	iio	*oao*	oio
aea	aoa	eea	eoa	iea	ioa	oea	ooa
aee	aoe	eee	eoe	iee	ioe	oee	ooe
aei	aoi	eei	eoi	iei	ioi	oei	ooi
aeo *	*aoo*	eeo	eoo	ieo **	ioo	oeo	ooo

Itaque ex sexaginta quatuor combinationibus ternariis, *decem* tantum remanent exprimentes modos, in quibus regulae *generales* Syllogismi servantur. Sunt autem :

aaa, aii, aai, iai:—eae, eao, eio, oao, aee, aoo.

quorum quatuor sunt *affirmativi*, sex *negativi*. Duo vero modi sc: *aeo*, et *ieo* non adnumerantur : siquidem *aeo*, utpote particularis, continetur in universali *aee*, vel si ut *indirectus* consideratur, idem est ac *eio;* modus vero *ieo* per se non concludit, quia ipsius conclusio magis patet, quam praemissae; et eatenus admitti potest, quatenus conclusio ipsius est *indirecta*, quo in casu hic modus idem est ac modus *eio*.

Quamobrem si quaelibet figura hos omnes modos admitteret, haberemus *quadraginta* modos. Verum enimvero *Regulae cujusque figurae* prohibent, quominus omnes in unaquaque locum obtineant. Etenim

Prima figura respuit omnes modos, quorum vel *minor est negativa ;* vel *major est particularis :* atque ideo nonnisi *quatuor* admittit sc :

aaa, eae, aii, eio.
Barbara, Celarent, Darii, Ferio

qui modi quinque alios *indirectos* admittunt, sc :

aai, eae, aii, aeo, ieo.
Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesmo

Secunda figura omnes modos *affirmativos* respuit, ex *negativis* vero, nonnisi illos admittit, quorum *Major est universalis*, sc :

eae, aee, eio, aoo,
Cesare, Camestres Festino, Baroco.

Tertia figura modos illos respuit, quorum vel *minor* non est *affirmativa*, vel *conclusio* est *universalis :* quibus omissis, sex remanent, tres *affirmativi*, tres *negativi*.

aai, eao, iai, aii, oao, eio.
Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Quarta demum *figura*, ut distincta a prima, quinque modos admittit sc :

aai, aee, iai, eao, eio.
Bramantip, Camenes, Dimaris, Fesapo, Fresiso.

At hi modi non videntur esse, nisi modi *primae figurae indirecte* concludentis.

Quocirca omnes modi legitimi non sunt nisi *novemdecim*, qui, memoriae juvandae gratia, his versiculis continentur.

> *Barbara, Celarent, Darii, Ferio,* dato primae ;
> *Cesare, Camestres, Festino, Baroco,* secundae ;
> Tertia *Darapti, Disamis, Datisi, Felapton,*
> *Brocardo, Feriso* habet : quarta insuper addit
> *Bramantip, Camenes, Dimaris, Fesapo, Fresison.*

Exempla.

I. FIGURA.

Barbara
- Omne *bonum* est amandum ;
- Omnis virtus est *bona* :
- Omnis virtus est amanda.

vel etiam :

Baral*ip* Aliquod amandum est virtus.

Celarent
- Nullum bonum *limitatum* satiat appetitum rationalem ;
- Omnia bona mundana sunt *limitata* ;
- Nullum bonum mundanum satiat appetitum rationalem.

vel etiam :

Celant*es* Nihil, quod satiat appetitum rationalem, est bonum mundanum.

Darii
- Qui *Deum non diligit* manet in morte ;
- Multi *Deum non diligunt ;*
- Multi manent in morte.

vel etiam :

Dabit*is* Qui manent in morte, sunt multi.

Ferio
- *Quod non est duraturum* non facit beatam animam ;
- Aliqua bona mundana *non sunt duratura :*
- Aliqua bona mundana non faciunt beatam animam.

vel etiam :

Friseemo
- Aliqua bona mundana sunt *bona non duratura ;*
- *Quod non est duraturnm* non reddit animam beatam :
- Aliqua bona mundana non reddunt animam beatam.

Fapesmo
Omnia bona mundana sunt *limitata;*
Nullum *bonum limitatum* satiat voluntatem:
Aliquod, quod satiat voluntatem, non est bonum mundanum.

II. FIGURA.

Cesare
Nullum opus a virtute profectum est *odio habendum;*
Omne mendacium est *odio habendum:*
Nullum mendacium est opus a virtute profectum.

Camestres
Qui diligit iniquitatem *odit animam suam;*
Nullus justus *odit animam suam;*
Nullus justus diligit iniquitatem.

Festino
Nullum per se lucens est *opacum;*
Aliquod astrum est *opacum:*
Aliquod astrum non est per se lucens.

Boroco
Omnis vir prudens *prospicit futura;*
Aliqui viri docti non *prospiciunt futura:*
Aliqui viri docti non sunt prudentes.

III. FIGURA.

Darapti
Omnes *martyres* diliguntur a Deo;
Omnes *martyres* spernunt vitam temporalem:
Aliqui, qui spernunt vitam temporalem, diliguntur a Deo.

Felapton
Nullus *impius* est tranquillus;
Omnis *impius* sibi pacem promittit:
Aliquis, qui sibi pacem promittit, non est tranquillus.

Disamis
Aliqui *scelesti* sunt potentes;
Omnes *scelesti* sunt miserrimi:
Aliqui miserrimi sunt potentes.

Datisi
Omnis *avarus* est miserrimus;
Aliquis *avarus* est dives;
Aliquis dives est miserrimus.

	Aliquis *avarus* non est pauper;
Bocardo	Omnis *avarus* multa desiderat:
	Aliquis, qui multa desiderat, non est pauper.
	Nullus *sapiens* est miser;
Ferison	Aliquis *sapiens* est pauper:
	Aliquis pauper non est miser.

IV. FIGURA.

Bramantip	Omnis homo est *animal*; Omne *animal* est vivens: Aliquod vivens est homo.	*Baralip*	Omne animal est vivens: Omnis homo est *animal*: Ergo . . . .
Camenes	Omne brutum est *animal*; Nullum *animal* est lapis: Nullus lapis est brutum.	*Celantes*	Nullum *animal* est lapis; Omne brutum est *animal*: Ergo . . . .
Dimaris	Aliquod bonum est virtus: Omnis *virtus* est amanda; Aliquod amandum est bonum.	*Dabitis*	Omnis *virtus* est amanda Aliquod bonum est *virtus* Ergo . . . .
Fesapo	Nullum corpus est *anima*; Omnis *anima* est substan. Quaedam substantia non est corpus.	*Fapesmo*	Omnis *anima* est substan. Nullum corpus est *anima*: Ergo . . . .
Fresison	Nullum animal est *arbor*; Quaedam *arbor* est vivens; Quoddam vivens non est animal.	*Fresisom*	Quaedam *arbor* est vivens Nullum animal est *arbor*. Ergo etc. . . . .

DICO V.—*Hi autem novemdecim modi evidenter concludunt.*—

Haec assertio multiplici ratione probari potest. Primo *directe* vi sc: principiorum, quibus hi modi innituntur. Secundo *indirecte*, sive *reducendo* modos imperfectos ad perfectos; sive *per demonstrationem ad absurdum*; sive demum *per expositionem*. Ut autem clare et ordinate procedamus, distinctis paragraphis, de his variis probandi rationibus agemus.

§ I.

DE FIGURARUM PRINCIPIIS.

250. Unaquaeque figura Syllogismi *propria* habet *principia*, vi quorum manifeste concludit. Ad cujus rei evidentiam considerandum est *medium terminum* dupliciter spectari posse. Potest enim primo considerari, quatenus est *res* quaedam; et tunc semper est vel *objective* identicus cum utroque extremorum Syllogismi, vel cum uno *objective* identicus, cum altero vero *objective* diversus (n. 205.).—Potest secundo considerari, quatenus est *notio* quaedam, quae *sub extensione sua* continet inferiora: et tunc adhuc dupliciter spectari potest. Vel enim ipsius *extensio* est *major*, quam *extensio extremorum*, quibus conjungitur, vel est *minor*. Quamobrem vel *continet* objectum illarum; vel aliquid exhibet *contentum* ab illis: item potest respici, vel ut *excludens* extremum, a quo separatur; vel ut *exclusum* ab illo.

Exinde evenit, quod *medius terminus* quandoque tenet in praemissis *locum praedicati*; quandoque vero *locum subjecti*. *Praedicatur*, quotiescumque *continet* unum extremum, vel respicitur, ut *excludens*: *subjicitur* e contra quotiescumque *continetur* ab illo, vel respicitur, ut *exclusus*. Quocirca varia *medii termini* collocatio in praemissis pendet a varia habitudine *continentis* vel *contenti*, *excludentis* vel *exclusi*.—Inde enascitur *a*)—*varietas figurarum*: et *b*)—*modorum verietas*, qui totidem erunt, quot possibiles sunt relationes *continentis* et *contenti*, *excludentis* et *exclusi*.—

Hisce in antecessum notatis, modo ad principia cujusque figurae stabilienda accedamus. Exprimat S subjectum, P Praedicatum conclusionis, ϑ medium terminum.

a)—Syllogismi *affirmativi* primae figurae sc: *aaa* et *aii* continentur *hac formula*:

$$1.—\left\{\begin{array}{l} aaa \\ aii \end{array}\right. \left\{\begin{array}{l} \vartheta \text{ est in } P; \\ S \text{ est in } \vartheta: \\ \cdot S \text{ est in } P. \end{array}\right.$$

sc; P includit S: quia includit ϑ, in quo continetur S. Hinc deducitur *principium*, quod hos modos moderatur: sc:

"*Id, quod includit continens, includit et contentum in eo.*"

b)—Modi negativi *eae*, *eio* ejusdem figurae *hac formula* continentur:

$$2.\text{---}\left\{\begin{array}{l} eae \\ eio \end{array}\right. \left\{\begin{array}{l} \vartheta \text{ non est in } P: \\ S \quad\ \text{ est in } \vartheta: \\ S \text{ non est in } P. \end{array}\right.$$

sc: *P*, excludit *S:* quia excludit ϑ, in quo continetur *S*. Hinc dimanat *Principium:*

"*Id, quod excludit continens, excludit contentum in eo.*"

a')—Modi *secundae figurae*, in quibus major est *negativa*, sc: *eae, eio, hac formula* continentur:

$$3.\text{---}\left\{\begin{array}{l} eae \\ eio \end{array}\right. \left\{\begin{array}{l} P \text{ non est in } \vartheta: \\ S \quad\ \text{ est in } \vartheta: \\ S \text{ non est in } P. \end{array}\right.$$

Horum *Principium* est:

"*Id, quod non continetur in alio, nec continet illud, non continet inclusum in illo.*"

b')—Modi *secundae figurae*, in quibus major est *affirmativa*, sc: *aee, aoo* continentur *hac formula:*

$$4.\text{---}\left\{\begin{array}{l} aee \\ aoo \end{array}\right. \left\{\begin{array}{l} P \quad\ \text{ est in } \vartheta; \\ S \text{ non est in } \vartheta: \\ S \text{ non est in } P. \end{array}\right.$$

Horum *Principium* est:

"*Quod non continetur in alio, non continet exclusum ab illo, nec in eo continetur.*"

a'')—Modi *affirmativi* tertiae figurae *hac formula* continentur:

$$5.\text{---}\left\{\begin{array}{l} aai \\ iai \\ aii \end{array}\right. \left\{\begin{array}{r} \vartheta \text{ est in } P: \\ \vartheta \text{ est in } S: \\ \text{Aliquod } S \text{ est in } P. \end{array}\right.$$

Horum *Principium* est:

"*Quod includit in alio contentum, includit aliquam continentis partem.*"

b'')—Modi *negativi* tertiae figurae continentur *hac formula:*

$$6.\text{---}\left\{\begin{array}{l} eao \\ oao \\ eio \end{array}\right. \left\{\begin{array}{r} \vartheta \text{ non est iu } P: \\ \vartheta \quad\ \text{ est in } S: \\ \text{Aliquod } S \text{ non est in } P. \end{array}\right.$$

Horum *Principium* est:

"*Quod excludit in alio contentum, excludit aliquam continentis partem.*"

Eodem modo colligere poteris principia, quae modos *indirectos* primae figurae, vel quartae figurae, ut aliis placet, moderantur. Ut autem unico intuitu videre possis, quae huc usque diximus. accipe tabellam.

PRINCIPIA FIGURARUM

Sub. Prae. Prima.

aaa	$\vartheta = P$	*eae*
	$S = \vartheta$	
aii	$S = P$	*eio*

aai	$\vartheta = P$	*eae*
	$S = \vartheta$	*aeo*
aii	$P = S$	*ieo*

Principia 1. "*Quod includit continens, includit contentum in eo.*"
2. "*Quod excludit continens, excludit contentum in eo.*"

Sed altera bis Prae.

P non est in ϑ:
S est in ϑ:
S non est in *P*.

eae	$P = \vartheta$	*aee*
	$S = \vartheta$	
eio	$S = P$	*aoo*

P est in ϑ:
S non est in ϑ:
S non est in *P*.

Principia 3. "*Quod non continetur in alio nec continet illud, non continet inclusum in eo.*"
4. "*Quod continetur in alio, non continet exclusum ab illo neque in eo continetur.*"

Tertia bis Sub.

ϑ est in *P*:
ϑ est in *S*:
Aliquod *S* est in *P*.

aai	$\vartheta = P$	*eao*
aii	$\vartheta = S$	*oao*
iai	$S = P$	*eio*

ϑ non est in *P*:
ϑ est in *S*:
Aliquod *S* non est in *P*

Principia 5. "*Quod includit in alio contentum, includit aliquam continentis partem.*"
6. "*Quod excludit in alio contentum, excludit aliquam continentis partem.*"

251.—Ex his, quae huc usque diximus, colliges:

Primo.—Haec principia normam suppeditant *inveniendi medium terminum* ad aliquid probandum. Cf. Auctorem (c. III. a. 10.)

Secundo.—Haec principia non sunt, nisi applicatio duorum principiorum *Identitatis* sc: et *Discrepantiae* ad varias illas figuras. Sic v. g. principia illa duo, quibus modi primae figurae reguntur, sunt eadem ac duo illa principia, *Dictum de omni* et *Dictum de nullo* (n. 207.): nam *affirmari de subjecto* idem est ac *includere illud: negari* vero *de aliquo* idem est, ac *excludere illud.* Idem dic, proportione servata, de aliis principiis. Principia autem universalia, quae ex ipsa natura ratiocinii derivantur, nullo habito ad figurarum discrimen respectu, illa duo sunt principia sc: *Identitatis* et *Discrepantiae*, de quibus supra (l. c.) egimus.

Tertio.—Prima figura inter caeteras praestantissima est. Nam: *a*)—Conclusio est in ea plane evidens, nec *ullo medio demonstrari potest* illam esse necessario admittendam, positis praemissis. *b*)—Medius terminus *naturalem sedem* in ea obtinet: *continetur* namque in uno extremorum et alterum *continet* (nn. 40. 235.). *c*)—*Omnis conclusio* potest per aliquem modum primae figurae probari; cum per secundam nonnisi *negativae*, per tertiam vero nonnisi *particulares* demonstrari possunt. Quamobrem modi primae figurae jure meritoque *perfecti* ac *per se evidentes*; ceteri vero *imperfecti* jure meritoque a veteribus nuncupantur. Inter perfectos vero modi duo priores *Barbara* sc: et *Celarent* primatum obtinent: tum quia clarissimi sunt et structuram Syllogismi simplicis referunt; tum quia demonstratio, sive affirmativa, sive negativa per illos fit. Cf. S. Thomam (De Syllogismo Demonstrativo cc. 9. et 10.—)

§ II.

REDUCTIO MODORUM ALIARUM FIGURARUM AD MODOS

I. Figurae.

252. Cum omnes modi cujusque figurae propriis ac evidentibus principiis innitantur, ulteriori ac *indirecta* dimonstratione non indigent: nequit enim non legitime concludere id, quod *vi talium principiorum* concludit. Verum, cum Aristoteles non nisi primae figurae *principia* assignaverit, ceterorumque modorum ad 2. et 3.

figuram spectantium, rectam concludendi rationem *per reductionem* illorum ad modos perfectos primae figurae probaverit, et triplicem ad id praestandum methodum proposuerit, probationis sc: *ostensivae, indirectae* seu *ad impossibile*, et *expositivae*, juverit de his probationum generibus aliquid dicere, eo vel maxime, quod pulcherrima continent theoremata et eorum, quae supra de propositionum conversione docuimus, fructuosam applicationem praebent.

De Reductione Ostensiva.

253. Modi *secundae* et *tertiae figurae* legitime concludunt, si plane identificantur cum *modis perfectis* 1. *figurae.* Atqui modi omnes *secundae* et *tertiae figurae* plane *identificantur* cum modis *primae figurae.* Quod sic probo.

Si sumatur modus imperfectus et ipsius propositionum conversio *legitima* fiat, habebitur profecto modus primae figurae. Exemplis rem illustremus:

I.—Sit modus *Camestres.*

Qui diligit iniquitatem *odit animam suam;*
Nullus justus *odit animam suam:*
Nullus justus diligit iniquitatem.

Si convertas *simpliciter minorem* et *conclusionem*, habebis sequentem syllogismum:

Qui diligit iniquitatem *odit animam suam:*
Nullus, qui *odit animam suam*, est justus:
Nullus, qui diligit iniquitatem, est justus.

et ponendo *propositionem* loco suo:

Nullus, *qui odit animam suam*, est justus;
Omnis, qui diligit iniquitatem, *odit animam suam:*
Nullus, qui diligit iniquitatem, est justus.

Qui modus est modus perfectus *Celarent* primae figurae. Ergo *Camestres* plane *identificatur* cum *Celarent.* Ubi observa in hoc modo nonnisi hanc conversionem *simplicem minoris* et *conclusionis* esse legitimam: nam, quacumque alia facta conversione, vel prodibit modus *illegitimus*, vel modus *indirecte concludens* in prima figura. Quod hic dicimus, de aliis modis dictum puta, ut per te ipsum experiri potes.

II.—Sit modus *Baroco* (*Fakoro*):

Omnis virtus est *prudens;*
Aliquis zelus non est *prudens:*
Aliquis zelus non est virtus.

Fac conversionem *majoris* per contrapositionem "omne non prudens est non virtus;" serva in *minori* medium terminum, translata negatione ad praedicatum;

> Omne *non-prudens* non est virtus;
> Aliquis zelus est *non-prudens:*
> Aliquis zelus non est virtus.

aliis verbis:

> Quicquid *imprudens* est non est virtus;
> Aliquis zelus est *imprudens:*
> Aliquis zelus non est virtus.

Qui modus idem est ac *Ferio.*

III.—Sit modus tertiae figurae in *Disamis:*

> Aliqui *scelesti* sunt potentes;
> Omnes *scelesti* sunt miserrimi:
> Aliqui miserrimi sunt potentes.

Legitimus modus habebitur, si convertatur Major et Conclusio et praemissae proprio ponantur loco sc:

> Omnes *scelesti* sunt miserrimi;
> Aliqui potentes sunt *scelesti;*
> Aliqui potentes sunt miserrimi.

qui modus idem est ac modus *Darii.* Ergo etc.

IV.—Sit modus *Bocardo* (*Dokamo*):

> Quaedam *ira* non est peccatum;
> Omnis *ira* est passio animi:
> Quaedam passio animi non est peccatum.

facta conversione majoris, habebis:

> Aliquod non-peccatum non est non-ira;
> Omnis ira est passio animi;
> Quaedam passio animi est, quae non est peccatum.

vel breviter:

> Omnis *ira* est passio animi:
> Aliquid, quod non est peccatum, est *ira;*
> Aliquid, quod non est peccatum, est passio animi.

qui modus idem est ac modus *Darii.*

Eodem processu intelliges modos *Cesare* reduci ad *Celarent; Darapti, Datisi,* ad *Darii; Festino, Felapton, Frisesmo* ad *Ferio.* Quid vero praestandum sit in hac reductione, indicatur per literas S, P, M.

{ Simpliciter verti vult S: P. vero per ac *per reductionem*
{ M vult transponi; C per impossibile d verit et triplicem.

i. e.

S.—Convertatur *simpliciter* propositio, quae praecedit S.

P.—Convertatur *per accidens* propositio, quae praecedit P.

Ratio est: quia non nisi, his conversionibus peractis, habebitur modus legitimus.

M.—*Transponantur praemissae* et quaeque suo loco ponatur.

C.—Indicat deductionem *ad impossibile*, quae quidem licet in aliis modis fieri possit, utilius tamen adhibetur in modis *Baroco* et *Bocardo*, ut mox exponam.

254.—*Probatio Indirecta.*—Probatio *indirecta*, seu *per deductionem ad impossibile*, fit cogendo adversarium ad admittendum duas *contradictorias*, vel *contrarias* esse *simul veras*, si, admissis praemissis Syllogismi, nolit admittere consequentiam. Innititur principio illo (n. 221.): "*Ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis, quotiescumque bona est consequentia.*"—Fit autem hoc modo. Si quis in dato aliquo modo (imperfecto) *neget consequentiam, admissis praemissis*, sume *contradictorium* consequentis, eique adnecte unam ex praemissis concessis, et sic per syllogismum *evidenter* concludentem *in prima figura* infer *contradictorium*, vel *contrarium* alterius praemissae concessae ab adversario, qui proinde vel admittet *duas contradictorias*, vel *contrarias esse simul veras*: vel *bonitatem prioris Syllogismi* coactus fatebitur.

Hoc probandi genus in omnibus modis imperfectis locum obtinet, ut quisque per se periclitari potest, prae oculis habendo hanc regulam:

{ "*Majorem servat, variatque secunda minorem:*"
{ "*Tertia Majorem variat, servatque minorem.*"

Verum potissimum adhibetur in modis *Baroco* et *Bocardo*. Hi enim pro majori, vel minore *particularem negativam* habent. Haec autem propositio, tametsi converti queat *per contrapositionem* (quam conversionem universalis affirmativa quoque suscipere potest) atque ita modi illi ad modos perfectos, hac conversione peracta, reduci possint; fatendum tamen est hanc conversionem valde esse intricatam et non semper *cum veritate* conjungi (n. 186.'). Quamobrem pro demonstranda bonitate consequentiae in his duobus modis potissimum adhibetur reductio ad impossibile. Cf. Auctorem (n. 89.).

Fac conversionem
dens est non virtus ;

SCHEMA REDUCTIONIS.

Modi Imperfecti.	Quid Agendum.	Modi Perfecti.
Baralipton	Pone *naturalem* conclusionem	*Barbara*
Bocardo	Majorem variat ; servatque minorem	
Baroco	Majorem servat ; variatque minorem	
Cesare	Conv. *simpliciter* Majorem	*Celarent*
Camestres	Conv. *simp.* minorem et conclusionem Transpone praemissas	
Celantes	Pone *naturalem* conclusionem	
Festino	Conv. *simpliciter* majorem	Habebis *Ferio*
Felapton	„ *per accidens* minorem	
Ferison	„ *simpliciter* minorem	
Fakoro	„ per contrap. majorem	
Fapesmo	„ *per accidens* majorem ; *simp*: minorem: trans. praem.	
Frisesmo	„ *simp.* Majorem et minorem: „ transpone praemissas.	
Darapti	„ *per accidens* minorem	*Darii*
Disamis	„ *simpliciter* Majorem et con: „ transpone praemissas	
Datisi	„ *simpliciter* minorem.	
Dokamo	„ per cont. Majorem	
Dabitis	Pone conclusionem *naturalem*	

255. *Probatio per expositionem.*—Haec probatio specialiter adhibetur pro modis tertiae figurae, et duplici ratione fieri potest.

Primo.—Ex praemissis syllogismi *imperfecti* colligendo evidenter *praemissas* syllogismi *expositorii* (i. e. in quo medius terminus est *singularis*) ex iisque *conclusionem* syllogismi *imperfecti.* Nam, quoniam quicquid sequitur ex consequente, sequitur ex antecedente (n. 222.) ; conclusio deducta ex praemissis *evidenter* concludentibus (cujusmodi sunt praemissae *syllogismi expositorii*), ex praemissis etiam syllogismi imperfecti, *ex quibus illae efficiuntur,* concludi comperietur. Sic v. g. ut probes hunc syllogismum in *Darapti :*

Omne *animal* est sensitivum ;
Omne *animal* est corpus :
Aliquod corpus est sensitivum,

concludere, hoc pacto procedere poteris:

Omne *animal* est sensitivum:
Ergo *hoc animal* est sensitivum,

item:

Omne *animal* est corpus;
Ergo *hoc animal* est corpus.

Quamobrem:

Hoc *animal* est sensitivum;
Hoc *animal* est corpus:
Ergo quoddam corpus est sensitivum.

Ut perspicis ex primo antecedente necessario sequitur extremum consequens in *Darapti.* Ergo modus in *Darapti* legitimus est. Eodem pacto probari potest necessitas consequentiae in *Felapton.*

Secundo.—Alio modo fieri potest expositoria probatio, non colligendo quidem ex praemissis modi imperfecti praemissas syllogismi expositorii (nam in quatuor remanentibus modis sc: *Datisi, Disamis, Bocardo, Ferison,* colligi nequeunt: nam *ex particulari* non colligitur *singularis enunciatio*): sed sumendo *sub medio termino* aliquod *singulare* subjectum, ratione cujus vera sit particularis praemissa, et conficiendo ex hujusmodi *singulari medio* ac *iisdem extremis* similiter se habentibus, secundum *qualitatem,* syllogismum expositorium, atque ideo evidenter concludentem, cujus conclusio sit eadem, quam conclusio modi imperfecti. Ita ostendes modum illum evidenter concludere. Sic v. g. vis ostendere hunc modum:

Omnis, *qui male interiit,* perditus est;
Aliquis, *qui male interiit,* miracula fecit:
Aliquis, qui miracula fecit, perditus est.

legitime concludere? Sume intra medium terminum "*qui male interiit*" Judam, de quo praedicatur et quod *miracula fecerit,* et quod *male interiit;* habebis syllogismum *expositorium,*

Judas perditus est;
Judas miracula fecit:
Aliquis, qui miracula fecit, perditus est,

evidenter concludentem, cujus conclusio eadem est ac praecedentis syllogismi.

Dices.—*Non omnes* syllogismi *tertiae figurae* per *expositionem* probari possunt. Nam hic syllogismus;

Aliquis *oculus* est necessarius ad videndum;
Omnis *oculus* est pars capitis:
Aliqua pars capitis est necessaria ad videndum.

est in *Disamis*, et tamen probari nequit *expositione*. Nam sub *medio termino* nequit accipi aliquod *singulare*, ratione cujus, major propositio sit vera; quandoquidem nec *dexter oculus* est necessarius ad videndum, cum sinistro cernere possim; nec *sinister*, cum dextro cernere queam.

Respondeo.—Nego assumptum.—Ad probationem distinguendum est. Major propositio potest habere duplicem sensum: *disjunctivum* sc: vel *disjunctum* (n. 100.). *Disjunctivus* est: "Hic oculus est necessarius ad videndum, aut ille oculus est necessarius ad videndum." Hoc pacto exposita propositio est falsa: quia utrumque disjunctionis membrum est falsum. *Disjunctus* est: "hic oculus, vel ille est necessarius ad videndum:" et hic sensus verus est: siquidem *indifferenter* et *indeterminate* alter oculus est necessarius ad videndum. Si igitur major propositio habet sensum *disjunctivum*, ut ex ipsius forma habere judicatur, syllogismus est utique in *Disamis*, tamen quoniam ipsa falsa erit, hinc fit, ut non liceat sub subjecto ejus sumere singulare subjectum, cui conveniat praedicatum. Sin autem ipsa *disjunctum* sensum habere statuatur, propositio erit quidem vera, sed non efficiet syllogismum: nam propositio particularis, quae ab Aristotele ad efformandum syllogismum assumitur, imo quae *proprie* et *simpliciter* est *particularis*, debet habere sensum *disjunctivum*.

255'. Quoniam de syllogismo expositorio facta est mentio, juverit, pro complemento doctrinae, aliquid de ipsius natura et formis addere.

Est itaque syllogismus *expositorius* ille, qui medio termino *singulari* constat: diciturque *expositorius*, quia rem quodammodo ponit sub oculos; et quia naturale est termino singulari, ut subjiciatur, idcirco in tertia figura locum praecipue obtinet.

Si praeter *medium singularem*, utramque praemissam *singularem* habuerit, duobus modis in 1. figura; totidem in 3; tribus vero modis in 2. concludet.

In 1. *figura* (*Sub; Prae:* Prima.)

1. Modus.—Propositio *affirmans;* assumptio *affirmans.*

v. g.

Babara { *Tullius* est orator;
Hic homo est *Tullius;*
Hic homo est orator.

2. Modus.—Propositio *negativa*; assumptio *affirmativa.*

v. g.

Celarent { *Sortes* non fecit homicidium;
Hic homo est *Sortes:*
Hic homo non fecit homicidium.

In 2. *figura* (Sed altera *bis Prae.*)

1. Modus.—Propositio *affirmativa*; assumptio *affirmativa.*

v. g.

{ Tullius est *Cicero;*
Hic orator est *Cicero;*
Hic orator est Tullius.

2. Modus.—Propositio *negativa*; assumptio *affirmativa.*

v. g.

Cesare { Sortes non est *Plato;*
Hic homo est *Plato:*
Hic homo non est Sortes.

3. Modus.—Propositio *affirmativa;* assumptio negativa.

v. g.

Camestres { Alexander est *filius Philippi;*
Plato non est *filius Philippi:*
Plato non est Alexander.

In 3. *figura* (Tertia *bis Sub.*)

1. Modus.—Propositio *affirmans:* assumptio *affirmans.*

v. g.

Darapti { *Diogenes* est philosophus;
Diogenes est pauper:
Hic pauper est philosophus.

2. Modus.—Propositio *negans:* assumptio *affirmans.*

v. g.

Felapton { *Diogenes* non est orator;
Diogenes est philosophus:
Aliquis philosophus non est orator.

Quod si syllogismus *expositorius* habet tantummodo *medium singularem;* tunc in 1. figura totidem modis concludere poterit, quot modis concludit syllogismus *ex medio communi, quatuor* sc: nec ab illis differt, nisi tantum ratione majoris, quae singularis est ratione medii termini, qui *subjicitur.*—In 2. autem figura, praeter quatuor modos *negativos*, quatuor alios *affirmativos* habet, quorum

	Colligit Conclusionem
I.—ex utraque praemissa *universali*,	(*Universalem.*)
II.—ex propositione *universali* et assumptione *particulari*,	(*Particularem.*)
III.—ex propositione *particulari* et assumptione *universali*,	(*Universalem.*)
IV.—ex utraque praemissa *particulari*,	(*Particularem.*)

Exempla.

I. — Omne astrum ferens diem est *hic Sol;*
Omnis planeta ibi jacens est *hic Sol:*
Omnis planeta ibi jacens est astrum ferens diem.

II.— Omne astrum ferens diem est *hic Sol;*
Aliquis planeta est *hic Sol;*
Aliquis planeta est astrum ferens diem.

III.— Aliquod astrum ferens diem est *hic Sol;*
Omnis planeta ibi jacens est *hic Sol:*
Omnis planeta ibi jacens est astrum ferens diem.

IV.— Aliquis proditor est *Judas;*
Aliquis apostolus est *Judas:*
Aliquis apostolus est proditor.

Atque haec de Argumentatione *formaliter* spectata sint satis. Remanet, ut argumentationem *materialiter* inspectam consideremus.—

QUAESTIO III.

DE ARGUMENTATIONE MATERIALITER SPECTATA.

256. Consideravimus in quaestione praecedenti *formam Syllogismi*, ad quem ceterae *argumentandi formae* revocantur. Nunc consideranda propius venit ipsa *materia* Syllogismi, quae *praemissis* potissimum continetur.—Age jam Syllogismi praemissae *in triplici differentia* inveniri possunt.—Vel enim non continent *rationem*, seu *causam* conclusionis; vel *causam probabilem*; vel demum *causam veram* atque *evidentem* conclusionis continent. In primo casu, *falsa*; in secundo, *probabilis*; in tertio, *vera* atque *evidens* conclusio habetur.

Prior argumentatio *Sophistica*; secunda *Dialectica*, seu *probabilis*; tertia *Demonstrativa*, vel *Demonstratio* nuncupatur. Prima *errorem*. secunda *opinionem*, tertia *scientiam* parit. Qua in re considerandum est, quod egregie observat S. Thomas, 1. Poster. lec. 1. *in actibus rationis* idipsum consimili ratione contingere, quod *in productionibus naturalibus* locum habet. In *actibus* enim *naturae* triplex invenitur diversitas. In quibusdam natura *necessario* agit, ita ut nequeat deficere; in quibusdam aliis natura, *ut plurimum, bene* operatur, tametsi saepe saepius deficiat; in aliis demum natura *deficit ab eo*, quod est *sibi conveniens*, ut quando propter corruptionem alicujus *principii* ad generationem ordinati, producitur monstrum. Idipsum *proportionaliter* in *actibus rationis* verificatur. "Est enim aliquis rationis processus *necessitatem inducens*, in quo non est possibile esse veritatis defectum, et per hujus rationis processum *Scientiae certitudo* acquiritur. Est alius rationis processus, in quo, *ut in pluribus*, verum concluditur; *nec* tamen *necessitatem* habens. Tertius vero rationis processus est, in quo ratio *a vero deficit*, propter alicujus principii defectum, quod in ratiocinando erat observandum." S. Th. (Poster. Analy. lib. 1. lect. 1.). Prior processus *Demonstrativus*, posterior *Dialecticus*, tertius *Sophisticus* dicitur.

257. Porro ad Logicam tractatio de triplici hoc rationis processu pertinet. Est namque Logicae *finis*: "ordinem in actibus rationis ponere, ut mens *sine errore*, *ordinate* ac *facile* verum con-

sequi valeat." Jamvero Logica, *de argumentatione sophistica* disserens, viam tradit, qua vitari possit error: agens vero *de argumentatione dialectica*, simul fontes aperit, unde hauriendae sunt conclusiones probabiles, quibus contenti esse debemus, cum certa atque evidens conclusio haberi nequit, et quae haud raro ad conclusionem certam atque evidentem viam sternunt: tractans demum *de argumentatione Demonstrativa*, modum edocet, quo ultimatim Scientia, ad cujus acquisitionem Logica dirigitur, obtineatur. Quamobrem jure meritoque ait S. Doctor: "ad *scientiam* concurrit in sui acquisitione *expulsio contrarii*;" 11. Dist. 9. q. 1. a. 2. et alibi:" *Opinio* ex syllogismo dialectico causata est *via* ad *scientiam*, quae per *demonstrationem* acquiritur." 111. Par. q. 9. ad 2.

258. De hoc triplici rationis processu agit Aristoteles abunde et quantum humana ratio protendi potest, in Libris *Posteriorum analyticorum*, *Topicorum* et *Elenchorum*. Libri, qui de Demonstratione agunt, *Posteriorum analyticorum* nuncupantur; cujus, denominationis en ratio ex S. Thoma: "Pars logicae, quae primo (mentis processui deservit) *judicativa* dicitur, eo quod judicium est cum certitudine scientiae. Et quia *judicium certum de effectibus* haberi nequit, nisi *resolvendo in prima principia*, ideo pars haec *analytica* vocatur. Certitudo autem judicii, quae per resolutionem habetur, est vel *ex ipsa forma* Syllogismi tantum, et ad hoc ordinatur liber *Priorum analyticorum*, qui est de Syllogismo simpliciter: vel etiam *cum hoc ex materia*, quia sumuntur propositiones *per se* et *necessariae*, et ad hoc ordinatur liber *Posteriorum analyticorum*, qui est de Syllogismo demonstrativo." (1. Post. lec. 1.). Libri autem, qui de Syllogismo Dialectico agunt, *Topicorum* dicuntur, quia artem inveniendi argumenta edocent; qui demum de sophismatibus agunt, *elenchorum* nuncupantur. Conscripsit enim hos libros Aristoteles contra Sophistas, quorum secta aucta suo tempore et multiplicata magnas in variis Graeciae civitatibus turbas concivit. Hi homines ab ignara multitudine, tamquam sapientes habiti, ipsi vero sapientiae nonnisi nomen injuria praeseferentes, vana quadam disputandi libidine, vel, ut ait Tullius, "ostentationis et questus causa" permoti, novam et subdulam arguendi formam, recta ac sincera, quam majores adhibuerant, relicta, invexerant. Errorem sub veritatis specie rudi populo propinare satagentes, ut facilius et securius propositum sibi finem

obtinerent, argumentatione occulte vitiosa et contentiosa (seu sophistica) utebantur. Quod si quem sibi inopportunum adversarium invenissent, illum data opera ad *falsum* vel *paradoxum* aliquod adstruendum, vel ad *soloecismos*, aut *inanes* ejusdem verbi *repetitiones* deducebant; sed potissimum adversarium *redarguere* arrtificiosis agumentis aduitebantur sensim sine sensu eo usque illum pertrahendo, ut vel ipse negaret, quod ante concesserat, vel, quod prius concesserat, postea negaret. Est enim *redargutio* (ελενχυς) "syllogismus cum contradictione conclusionis."

De triplici hac argumentatione distinctis articulis agemus.

ARTICULUS I.

DE ARGUMENTATIONE SOPHISTICA.

259. Non quaevis argumentatio, quae recta non sit, aut falso concludit, *sophistica* nuncupatur, sed ea, quae veri quamdam *apparentiam* praesefert, et *sub veri specie* ad falsum adducit. Porro hujusmodi argumentatio duplicis est generis. Sunt enim sophismata (ab Aristotele dicuntur *syllogismi pseudographi* seu *falsarii*, aut *mendacis* descriptionis), quae ex propriis alicujus scientiae materia desumuntur, quaeque in eo continent fallaciam quod principia illius scientiae non eo, in quo sumi deberent, sensu, sed latius, quam par est, sumautur; ex quo fit, ut illa principia, alioquin vera et necessaria, tametsi hujusmodi videantur, quia tamen latiori, quo deberent, modo usurpautur, ad *falsam* et *absurdam* conclusionem adducunt. Exemplo sint principia illa "*ex nihilo nihil fit:*" quo *Rationalistae* et quotquot mundi creationem inficiantur, abutuntur; et "*Ens infinitum omnem perfectionem* atque ideo *entitatem continet:*" quo abutuntur *Pantheistae*. Est igitur Syllogismus *pseudographus*: "qui ex propria alicujus scientiae materia, non veris tamen praemissis, sed quae verae et necessariae videantur, colligit conclusionem." Harum fallaciarum detectio et refutatio ad diversas scientias pertinet, ut per se patet.

Sunt praeterea alia sophismata, quae ex quibusdam *communibus* fontibus hauriuntur et per omnem materiam serpere possunt: et quae in triplici veluti differentia inveniuntur. *a*)—Quaedam enim sunt, quae, *solius materiae ratione*, peccant; ut v. g. cum

dico: quidquid non amisisti, habes: thesaurum non amisisti: ergo habes:" major videtur vera, sed non est. *b.*)—Quaedam alia sunt, *quae concludere videntur*, non tamen concludunt: ut v. g. cum dico:" veritas odium parit: mendacium odium parit: mendacium ergo est veritas:" conclusio, ut paululum attendenti patet, non tenet. *c*)—Quaedam demum sunt, quae *ex utraque parte peccant:* ut v. g. cum dico: "Quicquid non amisisti habes: atqui hanc capsulam (scilicet cum antea amisisses, nunc invenisti) habes: ergo illam non amisisti." Quamobrem ab Aristotele describitur *Syllogismus sophisticus:* "ille, qui ex his, *quae probabilia videntur*, nec *sunt*, colligit conclusionem: aut *ex probabilibus*, iisque, quae probabilia videntur, *colligere videtur*, nec colligit." (6. Topicorum 4.—1. Top. 1.).

Age jam ad Logicam, quemadmodum supra docuimus, pertinet *fontes*, unde haec sophismata depromuntur, detegere, simulque *modum*, *quo refelli queant*, tradere. Hi *fontes tredecim* a veteribus numerabantur: *sex in vocibus*, seu *in dictione*; *septem in rebus*, seu *extra dictionem.* Hanc enumerationem *completam* esse pariterque *naturam* cujusque, et *modum*, quo resolvi possunt, quae sequuntur, aperient.

DICO I.—*Convenienter sex enumerantur fontes* (*loci sophistici*) *sophismatum in dictione: Aequivocatio sc: Ambiguitas, Accentus, Compositio, Divisio, Figura dictionis.*—

S. Th. Op. de fallaciis c. 2.

260. Declaratur.—*Locorum sophisticorum*, seu fallaciarum, ut supra diximus, quaedam sunt *in dictione*, quaedam *extra dictionem. In dictione* locus sophisticus est, quando principium motivum, seu *causa apparentiae* est ex eo quod *una vox multa significat*, quod contingit per *multiplicationem* vocum.—Est autem *multiplex* triplex: sc: *actuale, potentiale, phantasticum*—*Actuale* est, quando una vox in nullo variata multa significat; et hoc, si sit in una dictione, dicitur *aequivocatio*; si in oratione, dicitur *amphibologia.* —Multiplex *potentiale* est, quando una vox aliquo modo secundum prolationem variata multa significat; quod quidem in dictione secundum *accentum*, in oratione vero, secundum *compositionem* et *divisionem* (quatenus sc: oratio diversa significat *composite* vel *divisim* prolata) contingit.—*Phantasticum*, seu apparens, multiplex

habetur, quando una vox (dictio) secundum rei veritatem *unum* significat et videtur etiam *aliquid aliud* significare; et sic habetur *figura dictionis*, quasi dictionis similitudo. Non videtur autem quod una dictio possit multa significare aliter, quam vel *actu*, vel *potentia*, vel *apparenter*. Sunt ergo sex loci sophistici in dictione *convenienter* enumerati.—

DICO II.—*Convenienter enumerantur septem sophistici loci extra dictionem*, sc: *Accidentis; Dicti secundum quid et simpliciter; Ignorantiae elenchi; Petitionis principii; Causae non causae; Consequentis; Plurium interrogationum, per modum unius.*—
S. Th. l. c. cap. 9.

261.—Declaratur.—In fallaciis *extra dictionem* causa apparentiae est *ex parte rei;* et exinde provenit deceptio, quod aliquae res *quadamtenus* convenientes, vel diversae, accipiuntur, ut *simpliciter* eaedem, vel diversae. Jam age possumus septem entium veluti conditiones prae oculis habere, et secundum eas septem fallaciarum species distinguere.—Ens enim aliud est *per se*, aliud *per accidens*, et secundum hoc ultimum accipitur *fallacia accidentis.*—Ens autem *per se* vel est *perfectum*, vel *imperfectum*, et secundum utramque accipitur *fallacia Dicti secundum quid* et *simpliciter.*—Item ens vel consideratur ut *oppositum*, et *non oppositum;* et secundum hoc accipitur fallacia *ignorantiae elenchi:* vel secundum *idem* et *diversum;* et secundum hoc accipitur *fallacia petitionis principii:*—vel secundum *prius* et *posterius;* et sic contingit *fallacia consequentis:* —vel secundum *causa* et *causatum;* et tunc *fallacia causae non causae:*—vel secundum *unum* et *multa;* et sic *fallacia* secundum *plures interrogationes*, ut *unam*, habetur.—

Nunc aliquid de singulis.

§ I.

DE FALLACIIS IN DICTIONE.

262.—*Aequivocatio* graece ομονυμια, est: "unius ejusdemque vocis diversa significatio:" *fallacia aequivocationis* est igitur "deceptio proveniens ex eo, quod una dictio plura significet:" Principium hujus fallaciae motivum (sc: *causa apparentiae*) est:" *unitas*

ejusdem simpliciter dictionis;" principium vero defectus (seu *non existentiae*) est: "significatarum rerum *diversitas*."—

Tres aequivocationis enumerantur *species*.—Prima est, quando adhibetur vox secundum varias significationes *aeque principales*, quas habere potest: v. g. si quis adhibet hanc vocem *fides*, quae usurpari solet ad significandum vel *scientiam*, vel *firmam opinionem*, vel *conscientiam*, vel *certam fiduciam*, vel *virtutem theologalem* etc: (Cf. S. Th. 3. Dist. 23.).—Secunda species est quando fit usus unius nominis, quod unam rem *proprie*, vel *principaliter* significat; aliam vero, seu alias *tropice*, vel *secundario*. Ad hanc speciem reducitur usus nominum *analogorum*, vel *praepositionum*, quando usurpantur secundum varia significata analogata, vel secundum varias habitudines, (puta accidentis ad subjectum, effectus ad causam) quas identidem praepositio denotare potest.—Tertia species est, quae provenit ex diversa *consignificatione*, quae quidem attenditur circa accidentia partium orationis se: secundum *tempus*, *numerum*, *genus*, *personam* et similia; ut v. g. si quis diceret: "quicumque surgebat, stat: atqui sedens surgebat; ergo sedens stat," non concluderet: quia *sedens* in minori sumitur in tempore praeterito, in conclusione autem, ut in praesenti. Quamobrem mutatur *status*. (n. 104.)—

N. II.

De Fallacia Amphibologiae.

263,—*Ambiguitas*, graece ἀμφιβολογία (quasi dubia sententia sermonis) in oratione locum habet. Est igitur *ambiguitatis fallacia*: "deceptio proveniens ex eo, quod *una* oratio *penitus eadem* plura significat:" hujus proinde principium *motivum* est: "*unitas* orationis *plura* significantis;" principium vero defectus est: "significationis *diversitas*."

Species Amphibologiae sunt tres.—Prima provenit ex eo, quod una oratio *plura principaliter* significat, manente eadem constructione, sed *diversa*, propter diversam habitudinem constructorum; ut v. g. haec oratio: *liber Aristotelis*, manente eadem constructione, *plura* significat; haec autem plura sunt *diversa*, propter diversas *habitudines*, puta *possessi* ad *possidentem*, vel *effectus* ad *causam*.—Secunda species provenit ex eo, quod una oratio *plura*

significat, propter *diversam ordinationem* partium, quatenus se: una eademque dictio construatur cum alia *transitive*, vel *intransitive*, ut si quis diceret v. g. "Quicquid videt aliquis, *hoc* videt: atqui columnam vides: ergo columna videt" aut etiam "istae arbores sunt *Episcopi*: *Episcopi* autem sunt sacerdotes: ergo istae arbores sunt sacerdotes. Qua in re "attendendum est, ait S. Thomas, quod *diversitas casuum* pertinet ad fallaciam *amphibologiae*, quia casus accidunt dictioni, secundum quod *construitur cum alia dictione*; *diversitas* vero *aliorum accidentium* pertinet ad *aequivocationem*, quia alia accidentia accidunt dictioni, secundum quod *in se* consideratur."—Tertia species est, quando una oratio *principaliter* significat unum, *metaphorice* vero aliud; ut v. g. oratio haec "Littus arare," *proprie* "littoris scisuram;" *tropice*. "operam perdere" significat.—

Aequivocationis et *ambiguitatis* sophismata semper adhibuerunt et passim adhibent haeretici, praesertim cum propria sua dogmata SS. Scripturarum et Patrum testimoniis per summum nefas fulcire conantur; at irrito plane conatu. Ut enim sapienter observat Augustinus; "Rarissime et difficillime potest inveniri ambiguitas in *propriis* verbis, quantum ad libros divinarum Scripturarum spectat, quam non aut *circumstantia ipsa sermonis*, qua cognoscitur scriptoris intentio, aut *interpretum collatio*, aut *praecedentis linguae* solvat *inspectio*," 3. Doc. Chris.

N. III.

Fallacia Compositionis et Divisionis.

264. Provenit haec deceptio ex *potentiali multiplici* unius orationis. Dicitur autem una oratio *potentialiter* multiplex ex eo, quod diversae dictiones illam componentes diversimode componi, aut distingui possunt ad invicem. Et quia oratio per constitutionem partium constituitur, et ipsae partes se habent ad orationem, sicut *materia*, compositio vero sicut *forma*, consequenter ubi sunt eaedem partes, sed non eadem compositio, est oratio eadem multiplex *potentialiter* et *materialiter*, sed non *formaliter* et *actualiter*. Et propter hoc est multiplex potentiale, quia oratio, quae est una *formaliter*, *potentialiter* plura significat.—Differunt autem hae duae fallaciae *compositionis* et *divisionis* in eo, quod tunc *fallacia*

compositionis habetur, quando ipsa *in sensu composito* est falsa; quando vero est falsa *in sensu diviso*, tunc *fallacia divisionis* contingit: oratio autem tunc composita censetur, cum partes magis debito ordinantur, et tunc divisa censetur, cum minus, quam deberent, ordinantur. In his fallaciis *causa apparentiae* est: "unitas *potentialis* orationis plura significantis:" *causa* vero *non existentiae* est: "diversitas significationis, secundum quod intelligitur composita, vel divisa."—

Fallaciae sensus compositi et divisi locum habent: *a*)—In enunciationibus *modalibus*. *b*)—in propositionibus *copulativis*, vel *disjunctivis*. *c*)—in iis, in quibus aliqua vox cum diversis vocibus conjungi potest.

a)—In modalibus habetur *sensus compositus*, quando praedicatum *Dicti* refertur ad *formale* significatum subjecti; *sensus* vero *divisus*, quando refertur ad *materiale* significatum subjecti (n. 110.). In iis potest quandoque sensus *compositus* esse verus, *divisus* autem falsus: ut v. g. cum dico: "impossibile est vigilantem dormire:" quandoque e converso sensus divisus potest esse verus, compositus falsus, ut cum dico: "possibile est vigilantem dormire."

b)—Enunciationes, quarum unum extremorum pluribus constat partibus particula *et*, *vel*, connexis, explicari possunt descensu vel *copulativo*, vel *copulato* (n. 100.). Quotiescumque igitur hujusmodi enunciationes *copulativo descensu* explicantur, sumuntur secundum *sensum divisum:* secundum *sensum compositum* vero, quando *descensu copulato* explicantur. Jam age in his propositionibus fieri potest, ut quaedam verae sint in sensu *composito*, falsae in *diviso;* v. g. cum dico: "Quinque sunt duo et tria:" vel e converso, ut cum dico: "non omnis numerus est par, vel impar," quae vera est in sensu *diviso:* "non omnis numerus est par, nec omnis numerus est impar;" falsa vero in sensu *composito:* "non omni numero praedicatum *par*, vel *impar* disjunctim convenit."

c)—In propositionibus, in quibus una vox cum aliis conjungi potest, si haec intelligatur conjuncta cum ea voce, cui conjuncta apparet, vel magis apta est conjungi, oratio dicitur *composita;* secus *divisa*. Sic v. g. cum dicis: "Qui nunc est mortuus, vivebat heri;" si particulam *nunc* cum participio conjunctam intelligis, habes sensum *compositum* et *verum;* si cum verbo, sensum *divisum* et *falsum* habes.

Ex triplici hac enunciationum specie eruitur fallacia *compositionis* et *divisionis;* fallacia nimirum *compositionis*, cum a sensu diviso vero fit transitus ad sensum compositum falsum; fallacia vero *divisionis*, cum a sensu composito vero fit transitus ad sensum divisum falsum. Exempla sunt nota. Cf. si volueris, S. Th. op. c. cap. VI.

N. IV.

De Fallacia Accentus.

265. *Accentus* est modus pronunciandi aliquam dictionem; quique potest variari vel *a*)—secundum *diversos sonos;* et sic est gravis, acutus, circumflexus: vel *b*)—secundum *diversa tempora;* et sic potest produci per syllabam langam, et corripi per brevem: vel *c*)—secundum *diversitatem spiritus*, qui quidem diversificatur secundum asperum, vel lene: vel *d*) secundum quod aliquid pronunciari potest, tamquam *una dictio*, vel tamquam *plures* v. g. *qui-es.* Est itaque *fallacia accentus:* "deceptio proveniens ex eo quod aliqua dictio, *diversimode* pronunciata, *diversa* significat. Principium motivum, seu *Causa apparentiae* in hac fallacia est: "*materialis unitas* orationis:" *causa* vero *non existentiae* est: "*diversitas* significationis, seu dictionis diversimode pronunciatae."—*Quadruplex* hujus fallaciae est *species*, ut ex dictis colligere poteris.

In quovis idiomate hujus fallaciae prostant exempla. Nec ab his sophismatibus abhorrent haeretici. Exemplo sit Nestorius, qui suam haeresim subdule sub accentus variatione occultans, scribebat ad S. Coelestinum BB. Virginem dici posse θεότοκον, accentu in antipenultima posito, hoc modo significare volens BB. Virginem denominari θεότοκον, propter natam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non autem quia vere esset Mater Dei. Constat enim hanc vocem, si proferatur cum accentu in antipenultima significare *ex Deo genitum;* si cum accentu in penultima, significare *Deiparam.* Idem peragunt Luterani in verbis consecrationis *hoc* et *hic:* sed de his Theologi: hic tantum subindicasse sufficit.

N. V.

Fallacia Figurae Dictionis.

266. *Figura dictionis,* prout hic sumitur, est: "similitudo unius dictionis ad alteram:" quemadmodum id, quod alteri est simile, dicitur esse ad figuram illius factum. Unde figurae dictionis fallacia est: "deceptio proveniens ex eo, quod aliqua dictio alteri dictioni similis videtur habere eumdem significandi modum, quem tamen non habet." *Causa* proinde *apparentiae* est: "similitudo;" *causa* vero non *existentiae* est: "diversus significandi modus."—

Sunt autem *tres* hujus fallaciae *modi.*—Primus modus provenit ex eo, quod diversis vocabulis, quia similia videntur, eadem grammatica affectio tribuatur v. g. si quis putet *frontem* et *pontem* esse foeminini generis, *abeo* et *habeo* esse secundae conjugationis. —Secundus modus provenit ex eo, quod aliqua dictio, quae significat per modum unius praedicamenti, potest videri significare per modum alterius, ut si quis diceret v. g. "Quantumcumque emisti, comedisti: carnes *crudas* emisti: carnes *crudas* comedisti."—Tertius modus ex eo provenit, quod dictio, quae *rem universalem* significat, videtur significare *hoc aliquid,* seu *rem singularem*; vel e converso: et hoc, vel quia vocabula rei singularis et universalis *eodem modo desinunt*; vel quia saepe *pro eadem re accipiuntur.* Omnia sophismata ex mutata terminorum *suppositione* huc revocantur. Atque haec de fallaciis in dictione sufficiant.—

§ II.

DE FALLACIIS EXTRA DICTIONEM.

In fallaciis extra dictionem deceptio se tenet *ex parte rei* ex eoque provenit, quod res quadamtenus convenientes, vel diversae, accipiuntur, *ut simpliciter* eaedem, vel diversae. Sunt autem septem, de quibus modo agendum est.

N. I.

Fallacia Accidentis.

267. Nomine *accidentis* hic venit quicquid distinguitur contra *per se*. Illud autem dicitur inesse alicui *per se*, quod illi inest secundum naturam propriae definitionis; *praeter hoc* quicquid inest alicui, dicitur inesse *per accidens*. Age jam *tripliciter* aliquid potest se habere ad hoc, quod est *inesse per se*, aut *per accidens*.—Quaedam enim sunt, quae *omni modo* sunt eadem secundum *substantiae rationem*, ut v. g. vestis et indumentum*;* et in his est solummodo *per se*, et nullo modo *per accidens*.—Quaedam sunt, quorum unum ad alterius rationem *aliquo modo* pertinet, licet non sint *omnino eadem* secundum *definitionem:* et sic se habent *superius* et *inferius* (genus et species) *species* et *proprium;* et in his est quodammodo *per se*, qua parte conveniunt, et quodammodo *per accidens*, qua parte differunt.—Sunt demum quaedam, quorum unum est *omnino extraneam* a ratione alterius, ut v. g. album respectu hominis; et in his est solummodo *per accidens* et nullo modo *per se*. In his itaque, quae primo modo se habent, necesse est, ut quicquid verum sit de uno et de altero verificetur, unde in his *fallacia accidentis* contingere nequit; sed in omnibus aliis, non est necessarium, ut illud, quod verificatur de uno, verificetur de alio; et ideo si ex hoc, quod aliquid sit verum de uno, concludatur illud esse, aut debere esse verum de altero, est *fallacia accidentis*.—

Est igitur *fallacia accidentis;* "deceptio proveniens ex eo, quod aliquid significatur simile utrique eorum, quae sunt aliqualiter *per accidens* unum." *Causa apparentiae* in hac fallacia est: "unitas quaedam et identitas eorum, quae *per accidens* quodammodo conjunguntur;" *causa* vero *non existentiae* est: "eorumdem diversitas:" ait namque Philosophus 1. elench. fallaciam accidentis ex eo contingere, quod aliquis non valeat judicare *idem* et *diversum*, *unum* et *multa*.

Hujus fallaciae *tres* enumerantur *species*. Prima incurritur cum *ab accidente* fit transitus *ad subjectum*, vel e converso: sic peccant qui damna, ex rerum abusu provenientia, ipsis rebus tribuunt.—Secunda locum habet, quum id, quod convenit *superiori*

concluditur *de inferiori*, aut vicissim: ut v. g. si quis diceret: Homo est animal: animal est genus; homo est genus:" vel etiam "Triangulus est figura: proprietas trianguli est habere tres angulos: ergo proprietas figurae est habere tres angulos."—Tertia habetur quotiescumque fit transitus *a specie ad proprium*, vel e converso.—

Unaquaeque autem istarum specierum octo formas colligendi sub se continet. Vel enim *a*)—quicquid *affirmatur* de praedicato, creditur eo ipso *affirmandum* esse de subjecto: vel *b*)—quicquid *negatur* de praedicato, creditur *negari* debere de subjecto: vel *c*) —quicquid *affirmatur*, aut *negatur* de subjecto, creditur *affirmandum*, aut *negandum* esse de praedicato: vel *b*)—de quocumque *affirmatur*, aut *negatur* praedicatum, videtur *affirmandum*, aut *negandum* esse subjectum: vel *e*)—e converso. Hujusmodi fallacia est frequentissima et periculosissima: ipsi enim viri sapientes identidem ea capiuntur. 1. Elenchorum 5.

N. II.

De Dicto simpliciter et secundum quid.

268. Illud dicitur *simpliciter*, quod nullo addito *minuente* et *coarctante* dicitur, v. g. "Socrates currit:" *secundum quid* dicitur, quod *cum aliquo addito* dicitur v. g. "Aethiops est albus, quoad dentes" (n. 109.). Hoc autem *additum* dupliciter se habere potest ad illud, cui additur. Potest enim quandoque *diminuere* de ratione ejus, cui additur; quandoque vero potest *nihil minuere*. In primo, non item in secundo casu, contingere potest fallacia hujusmodi, seu "deceptio proveniens ex eo, quod *dictum secundum quid* accipiatur ac si esset *dictum simpliciter*, aut e converso." *Causa apparentiae* est: "convenientia utriusque:" *causa* vero *non existentiae* est: "diversitas eorumdem."

Sunt autem *quinque modi* hujus fallaciae.—Primus modus est, quando determinatio addita habet oppositionem ad illud, cui additur, v. g. cum dicis: "Cadaver est homo *mortuus*: ergo est homo." —Secundus modus provenit ex eo, quod determinatio addita pertinet ad animae actum: v. g. "Chimaera est animal opinabile: ergo est animal."—Tertius modus est, quando determinatio significat aliquid esse in potentia: v. g. "Ovum potentialiter est animal: ergo est animal."—Quartus est quando determinatio

addita significat partem (dummodo haec non sit nata ad denominandum totum v. g. *crispus* etc.).—Quintus modus est, quando determinatio addita cogit terminum, cui additur, stare *materialiter* v. g. "Sapiens vult *amittere* malum: ergo *vult* malum:" non sequitur; nam *amittere* malum non dicit *malum simpliciter*, sed *secundum quid*.—

Sophismata hujus generis saepissime occurunt: his usi sunt Eunomiani, qui contendentes Patrem in Divinis natura majorem esse Filio, vocabulum *majoris*, quod particulariter de sola causa dicimus relata ad effectum, universalius ad naturam trahebant. "Pater major me est" inquit Dominus. Jo 14. 28. utique secundum naturam humanam; non item secundum naturam divinam, ut inferebant Eunomiani. Hos haereticos pulcherrime redarguens Nazianzenus: "Haud scio, inquit, seipsos ne potius, aut eos cum quibus disputant, captiosa hac argumentatione circumveniant. Neque enim simpliciter quaecumque de aliquo dicuntur, etiam de eo, quod ipsi subjectum est, dicuntur, sed perspicuum est de quonam et quaenam dicantur . . . . . ab eo quod, *secundum rationem quamdam* dicitur, ad id, quod *simpliciter* dicitur, captiose progreditur haec argumentatio." Orat, 35. Sic pariter Protestantes ex eo, quod Ecclesia prohibet, ne S. Scriptura in vernacula lingua et sine probatorum doctorum interpretatione legatur, inferunt ab Ecclesia prohiberi SS. librorum lectionem. Nullus pariter est locus magis idoneus, quo Doemon ad capiendos homines utatur frequentius et cum successu. Sic v. g. ex eo, quod bona haec temporalia et caduca a quibusdam existimantur, concludit, illa esse *simpliciter* bona et omnino expetenda: hujusmodi sophismata nemo eludet, nisi qui in futuram aeternitatem prospiciens, quaecumque ad illam non ducunt, invicto ac constanti animo, despexerit.

N. III.

De Fallacia ignorationis Elenchi.

269. *Elenchus* generatim est: "syllogismus certae alicujus enunciationis contradictoriam colligens:" et potest esse (quemadmodum syllogismus) *demonstrativus*, *dialecticus*, *sophisticus*. Est igitur de ratione elenchi *syllogismus* et *contradictio*. Quamobrem quicquid est contra utriusque definitionem erit, eo ipso contra

definitionem elenchi: atque idcirco omnis fallacia reducitur *ad ignorationem elenchi*, tamquam *ad generale principium.* Speciatim tamen omissio eorum, quae *ad contradictionem* pertinent, constituit *ignorantiam elenchi*, quatenus *specialis* quaedam *fallacia* est: ponitur namque in definitione elenchi *contradictio*, tamquam differentia. Jam age, quoniam fallacia esse non potest si *apparentia* desit, oportet ad hoc, quod circa contradictionem sit fallacia, ut sit *apparens contradictio*, et cum hoc aliquid ad veritatem contradictionis desit: Apparens autem contradictio esse non potest, nisi sit *unius* et *ejusdem.* Unde ex defectu aliquorum, quae ad contradictionem requiruntur, fit fallacia.

Est autem contradictio: "oppositio unius et ejusdem, non rei tantum, sed rei et nominis simul, secundum idem, ad idem, similiter et in eodem tempore" (S. Th. op. c. c. 12). Haec autem contradictionis definitio parum vel nihil differt ab ea, quam Recentiores tradunt et nos supra (n. 28.) dedimus. Erit igitur *fallacia secundum ignorantiam elenchi;* "deceptio proveniens ex eo, quod non observantur ea, quae sunt necessaria ad elenchum, potissimum *ex parte contradictionis*, i. e. quia ignoratur definitio contradictionis." *Causa apparentiae* in hac fallacia est: "similitudo apparens contradictionis deficientis ad contradictionem perfectam:" *causa non existentiae* est: "utriusque diversitas."

Hujus fallaciae *modi* sunt quatuor. Nam quatuor sunt conditiones ad contradictionem perfectam: ut sit sc: *ad idem; secundum idem; similiter; et eodem tempore.*—Secundum quod unaquaeque istarum conditionum omittitur, quadruplex ignorationis elenchi *species* habetur.

Ignorant elenchum haeretici et quotquot vel dolo, vel fraude, ne dent victas manus, ad id, quod non impugnatur, respondent, et illud, quod extra controversiam est positum, impugnant. Cf. S. Aug. (6. c. Julianum c. 5.—1. cont. Coeles. c. 23.) Ignorant elenchum hi quoque, qui denegant Dominum Nostrum Jesum Christum esse verum Deum, aut verum hominem *ratione attributorum*, quae de Ipso praedicantur: haec enim attributa, quae prima fronte opposita videntur, opposita tamen non sunt: conveniunt namque uni eidemque Personae (Verbi sc:) *ratione diversarum naturarum* Divinae sc: et humanae, quae in eodem Supposito Divino subsistunt. Ignorant Elenchum nostri temporis haeretici, qui ut probent inutilem esse Confessionem Sacramentalem, aiunt

solum Deum remittere peccata: at hi vehementer falluntur: equidem Sacerdotes non eodem modo ac Deus remittunt peccata: Deus remittit, ut auctor gratiae; Sacerdos vero, ut minister ipsius. Inspectis demum temporibus multae, quae in SS. libris videntur antilogiae, facile evanescent.

N. IV.

Fallacia Petitionis Principii.

270. Ille *petit Principium*, qui petit, sub aliis verbis, sibi concedi principale propositum, quod probare deberet. Fallacia ergo *petitionis Principii* est: "deceptio proveniens ex eo, quod idem assumitur ad probationem sui ipsius *sub alio vocabulo.*" *Causa apparentiae* in hac fallacia est: "apparens diversitas:" *causa* vero *non existentiae* est: "identitas eorumdem."—

Modi hujus fallaciae sunt *quinque.*—Primus modus est, quando *synonimum* sumitur ad *confirmationem synonimi*, aut *definitum* ad *confirmationem definitionis*, vel e converso (n. 129.).—Secundus modus est, quando *res universalis* sumitur ad probationem *particularis*, ut si quis probaturus, "contrariorum eamdem esse scientiam:" tamquam sibi concessum sumeret: "omnium oppositorum eadem est scientia:" haec enim praemissa non est magis nota, quam conclusio.—Tertius modus est, quum petuntur *omnia particularia* ad probationem *universalis*: v. g. si quis tamquam concessam sibi sumeret istam praemissam; "*privativorum* eadem est scientia: et similiter de aliis:" ergo (concluderet) "*oppositorum* eadem est scientia."—Quartus modus est, quando petitur *divisim*, quod debet probari *conjunctim:* v. g. ut si quis volens probare: "medicinam esse scientiam sani et aegri," tamquam concessas sumeret has praemissas: "medicina est scientia sani: medicina est scientia aegri."—Quintus modus est, quando sumitur unum correlativum ad probationem alterius: v. g. debet probari quod; "x est pater τοῦ y," et sumitur, tamquam concessum, quod: "y sit filius τοῦ x."

Est tamen observandum hanc fallaciam non peccare contra *vim illativam:* nam bene sequitur conclusio, datis praemissis: sed peccare contra *probationem argumenti*; nam probatio debet esse magis manifesta. Quamobrem, si quis praemissas non aliunde demonstret, sed assumit tamquam concessas, ipsam in his conclu-

sionem, seu *principium petere* dicitur. Quod si praemissae sunt *immediate notae*, vel *alias probatae*, vel *ab adversario concessae*, tunc equidem principium non petitur, sed imponitur. Ad hanc fallaciam revocatur *circulus vitiosus* (n. 129.).

. Hac fallacia usi sunt saepissime haeretici: exemplo sit Lutherus, qui volens probare: "suam doctrinam esse de coelo;" scribebat ad Regem Angliae: "certus sum dogmata mea me habere de coelo." Item Calvinus, qui ut probet: "Pontificem esse Antichristum;" assumit, tamquam concessum: "Pontificem sibi usurpare honorem Christo debitum; nova sacramenta instituere; vel instituta corrumpere." Quomodo hoc probat? videat ipse, videant ipsius asseclae.

N. V.

De Fallacia Consequentis.

271. *Consequens*, prout hic sumitur, est id, quod sequitur ad *antecedens* in propositione conditionali. Est ergo *fallacia consequentis;* "deceptio proveniens ex eo, quod consequens existimatur *esse omnino idem* cum antecedente;" ac proinde existimatur *antecedens* effici *ex consequente;* vel *ex opposito antecedentis* effici *oppositum consequentis*; quemadmodum *consequens* efficitur *ex antecedente*; et *ex opposito consequentis* efficitur *oppositum antecedentis* (nn. 221. 237.). *Causa apparentiae* in hac fallacia est: "convenientia antecedentis et consequentis:" *causa* vero *non existentiae* est: "diversitas eorumdem."

Hujus fallaciae duo sunt modi.—Primus modus procedit ex consequutione magis communis ad minus commune (sive magis commune sit *genus*, sive *accidens*): v. g. "si quid est equus, est animal: atqui tu es animal: ergo equus;" idem ac si dicerem: "Qui dicit te esse animal, verum dicit: qui dicit equum esse animal, verum dicit; ergo qui dicit te esse equum, verum dicit:" item; "si quis est fur, errat de nocte: atqui tu erras de nocte: ergo es fur."—Secundus modus est, quando proceditur a consequentia oppositi ad similem consequentiam in alio opposito: v. g. "Si quid est generatum, habet principium: anima non est generata: ergo non habet principium: sed semper fuit."

Hic tantum notandum occurrit hanc fallaciam contineri quodammodo *sub fallacia accidentis* (1. Elench. 5.): nam quicquid

consequitur ex re aliqua v. g. animal ex homine, est ejus *accidens* (ea ratione qua n. 267. sumpsimus *accidens*); non tamen quidquid est accidens alicujus rei est ipsius consequens; v. g. album est accidens parietis, non ideo tamen ipsius consequens. Hinc fit, ut omne *sophisma consequentis*, alia ratione inspectum, sit *sophisma accidentis*, at non e converso. Cf. S. Th. op. c. cap. XIV.

N. VI.

Fallacia Causae non Causae.

272. Causa, prout hic sumitur, est *causa inferendi*, quemadmodum *praemissae* dicuntur *conclusionis causa*. Est igitur fallacia hujusmodi: "deceptio proveniens ex eo, quod conclusio inferatur ex aliqua propositione, quae ipsius causa esse videtur, causa tamen ipsius non est;" principium *apparentiae* in hac fallacia est: "*convenientia* quaedam propositionis, quae non est causa, cum iis, quae sunt revera causae;" Causa vero *non existentiae* est: "*defectus habitudinis debitae* inter propositionem inferentem et illatam."

Multis modis hoc sophisma incurri potest.—Primo; quando sumitur ut causa id, quod simpliciter *antecedit*, vel *comitatur* effectum (hoc post hoc: ergo ex hoc).—Secundo; quando sumitur pro causa, *mera occasio*, cur effectus ponatur: v. g. si quis damnat virtutem, quia odia saepenumero excitat.—Tertio; cum pro causa sumitur id, quod est simpliciter *conditio*.—Quarto; quando pro vera causa, causa *commentitia*, aut *vox*, quae nil explicat, assumitur.—

Haec sophismata passim in usu vitae sive domesticae, sive socialis occurrunt; aberrationis autem hujus radix videtur esse ex una parte *causarum ignoratio* earumque *investigandi desiderium*; ex altera *humanae mentis imbecillitas*, et *magnus* in causis investigandis *labor*, qui nos deterret: his accedit saepe saepius *perversitas* mentis, et errorem propinandi, sub mentita specie, *insania*.—Haec autem sophismata, ut bene animadvertit Fonseca, numquam *formam argumentationis* accipiunt, nisi quando Sophista ex quibusdam concessis, ducit respondentem incautum ad aliquod, quod aperte incommodum et falsum est, ex cujus eversione regreditur ad evertendam aliquam ex praemissis, tamquam *falsae consequutionis* causam, cum tamen hujus causa non sit. Exempli causa

dicet Sophista; "Si nullum tempus esset, nox non esset: si nox non esset, dies esset; si dies esset, aliquod tempus esset: ergo si tempus nullum esset, aliquod tempus esset: Atqui hoc est absurdum: ergo *prior propositio*, sc: si nullum tempus esset, nox non esset," est *absurda*. Pessima est illa consequutio; at ipsius causa non prima, sed secunda propositio censenda est, quae quidem falsa est; siquidem ante mundi constitutionem nec nox, nec dies erat; nec potest esse vera, nisi in hypothesi motus telluris circa solem. His sophismatibus passim utitur Kant in Critica Rationis purae.

N. VII.

De Fallacia secundum plures interrogationes, ut unam.

273. Sunt idem (jure merito advertit S. Thomas) secundum substantiam *enunciatio, propositio, interrogatio* et *conclusio;* sed *enunciatio* dicitur, quatenus simpliciter significat aliquid esse, vel non esse; *interrogatio*, quatenus dubitative proponitur; *propositio*, secundum quod sumitur ad alterius probationem; *conclusio*, quatenus ex aliis probatur: et ideo, quemadmodum *enunciatio* est *una*, vel *plures;* ita et *interrogatio, propositio, conclusio.*—*Enunciatio* autem est *una* vel *plures*, prout vel *unum de uno*, vel *unum de pluribus*, aut vicissim enunciatur. Observandum pariter est quod, quando plura enunciantur de uno, prout ex his fit *unum per se*, vel *per accidens*, habetur enunciatio *una*, vel *multiplex*.

Provenit ergo hujusmodi fallacia ex eo, quod ad interrogationem multiplicem detur una responsio, quippe sub uno modo interrogandi proponitur. v. g. "Putasne Sortes et equus sunt homines?" *Causa apparentiae* in hac fallacia est: "unitas ex parte modi interrogandi:" *causa non existentiae* est: "interrogationis pluralitas."—*Modi sunt duo.*—Primus: quando interrogatio est multiplex ex eo, quod unum de pluribus *in singulari* praedicatur, vel e converso.—Secundus: quando multiplex est interrogatio ex eo, quod plura subjiciuntur, vel praedicantur *in plurali numero.* Exempla sunt facillima.—

§ III.

DE SOPHISMATUM SOLUTIONE.

274. Quoniam *vera solutio*, ut ait Aristoteles, est *vitii explicatio*, ex his, quae diximus, absque nimio labore sophismatibus occurrere poteris: omnes namque sophismatum nodos enumeravimus et explicavimus. Quaedam breviter subjungam.

Primo.—Si sophismata peccent *solius materiae vitio*, ea solves negando praemissam, quae videtur probabilis, nec tamen est. Eodem pacto in sophismatibus *petitionis principii* negabis praemissam, in qua petitur Principium. Nam si judicas falsam illam quaestionis partem, quam Sophista confirmare contendit, haudquaquam admittere poteris quaecumque illi sunt propinqua.

Secundo.—Si sophismata peccent *multiplicatione* unius aut plurium vocum, vel propositionum, cujusmodi sunt fallaciae *aequivocationis, amphibologiae, compositionis, divisionis, accentus*, distinctione totius in partes suas adhibita, illa solves, prae oculis habens, quae supra de Proprietatibus terminorum et de Divisione docuimus.

Tertio.—Sophismata vero *Figurae dictionis, Accidentis, Dicti simpliciter* vel *cum addito, Causae non causae, Consequentis*, negatione consequentiae, admisso, vel transmisso antecedente, sunt diluenda. Habe insuper,quemadmodum monet Philosophus, paratam aliquam argumentationem aperte vitiosam, ad quam veluti normam, comparare possis sophismata adversarii atque illi assimilari argumentationem, quam tibi ingerit Sophista, ostende; potissimum cum ipse aliquid, quod contra illum objicias, postulaverit. (2. Elenc. 41.).

Quarto.—Sophismata demum *ignorationis elenchi*, negatione contradictionis, sophismata vero plurium interrogationum, responsione ad singulas interrogationes, eludes. Atque haec de Sophismatum natura et solutione abunde sufficiant; quod si plura volueris, Cf. S. Th. Op. 35.—Fonseca Ins. Dial. a. cap. 1. ad 18.—De arte cogitandi.

ARTICULUS II.

DE ARGUMENTATIONE PROBABILI.

275. Argumentatio *probabilis* illa est: "qua ex *utraque*, vel *alterutra* praemissa probabili, concluditur." Porro propositio *probabilis* illa dicitur, quae tametsi non excludat *omnem errandi formidinem*, nec proinde *firmat* mentis assensum (et sic a propositione certa atque evidenti differt), tamen pro se habet *motiva minime spernenda*, atque ideo assensum *viri prudentis* demereri potest. Hinc merito *probabilia* ad Aristotele (1. Topic. 1.) dicuntur, "quae videntur (vera) *omnibus*, aut *pluribus*, aut *sapientibus*, iisque vel *omnibus*, vel *pluribus*, vel *spectatissimis*;" *omnibus* inquam, ut v. g. "Obsequium amicos conciliat:" *pluribus* ut v. g. "Par pari esse referendum;" *spectatissimis*, ut v. g. "Mundum coepisse, asserit Plato." Ubi adverte, ne in errorem inducaris, quamplurima, quae ab antiquis, tamquam probabilia, habebantur, modo a nobis vel evidenti ratione, vel fide divina edoctis haberi, tamquam certa. Haec autem probabilis argumentatio *dialectica* ab Aristotele dicitur: siquidem *conclusio*, ad quam adducit, in utramque partem plus minusve disputabilis est, id quod verbum *Διαλέγεσθαι* significat.

276. Conclusio dialectica, quae ex praemissis infertur, antequam inferatur, *quaestio*, vel *problema dialecticum* nuncupatur: quia per modum interrogationis, aut dubitationis proponitur. Quoniam vero quaestio omnis, quae de aliquo subjecto agitari potest, quadruplex assignatur sc: *an sit? quid sit? cur* et *unde sit? quale sit?* ex his quaestionibus, non nisi quartam solvendam sibi sumet dialecticus: (aliae enim vel ad omnem quaestionem praesupponuntur, vel solutionem scientificam, quae sc: per causas fiat, exquirunt) inquiret nimirum ipse: "*an determinatum aliquod praedicatum alicui conveniat subjecto?*" at quoniam praedicatum omne vel est *definitio*, vel *proprium*, vel *genus*, aut *accidens* subjecti, vel ad horum aliquid revocatur; efficitur inde quaestionem omnem dialecticam esse vel *definitionis*, vel *proprii*, vel *generis*, vel *accidentis*, aut certe ad aliquod ex his quatuor modis revocari: aliis verbis inquiret Dialecticus an aliquid alicui conveniat per modum *definitionis*, vel *proprii*, vel *generis*, vel *accidentis*.

277. Ad has quaestiones solvendas necessum est, ut *principia* argumentationis et *argumentum* praesto sint (quod quidem in omni quaestione solvenda requiritur). Est autem *argumentum dialecticum*, ut Cicero in partit. ait: "*probabile inventum ad faciendum fidem*:" i. e. "*medium*, quod cum praedicato et subjecto quaestionis, aut cum alterutro eorum, *verisimiliter connectitur*, ut ejus, quod confirmandum est, *assensum* quemdam *non omnino necessarium* efficiat." Hac enim ratione argumentum *dialecticum* a *demonstrativo* differt, cujus haec est natura, ut cum praedicato et subjecto quaestionis *necessario* jungatur, et *assensum necessarium* efficiat. At quoniam illud, quod necessarium *in se* est, potest *judicio eorum, quibus proponitur*, probabile existimari; hinc est, quod omnia argumenta *demonstrativa* possint esse *probabilia*, seu *dialectica*, si cum altero saltem quaestionis termino probabiliter tantum conjungi existimentur. Est igitur Argumentum dialecticum (ut a demonstrativo distinctum) *medium probabile* judicio ejus, cui proponitur: etsi saepenumero *in se* inspectum necessarium sit et demonstrativum. Nomine vero argumenti non tantum medium, sed et praemissae, praesertim major, vel totum antecedens venit. Principia autem argumentationis (prout hic sumuntur): "propositiones illae dicuntur, quae statim ac termini cognoscuntur, absque ulteriori inquisitione, aut confirmatione probantur," quemadmodum ex dicendis fiet manifestum.

Ad argumenta invenienda *libri topicorum*, vel locorum communium, ordinantur, quibus Aristoteles methodum inveniendi non modo argumenta *dialectica*, sed et *demonstrativa* suppeditavit, quam agendi rationem et nos persequemur.

278. Est itaque *Locus*, ut Cicero illum describit: "*Argumenti sedes*." Ut enim, ipse ait, rerum, quae absconditae sunt, demonstrato et notato loco, facilis est inventio; sic, cum pervestigare volumus argumentum, locos nosse debemus. Ab Aristotele dicitur *elementum*: quia tametsi simplex *in se*, multorum tamen argumentorum origo est et initium. Definiri potest cum Boethio: "id, unde ad propositam quaestionem conveniens trahitur argumentum." Est autem duplex: *Maxima*, et *Differentia maximae*. *Maxima* est: "propositio *per se* nota fidem aliis subministrans:" potest autem esse vel *necessaria*, ut ista: "*cui non convenit definitio, nec definitum convenit*:" vel *probabilis*, ut ista; "*illud verum est de aliqua re, quod affirmatur de illa ab his, qui in ea sun periti*." Et

quoniam hae propositiones *in se* vim probativam aliarum continent, ideo *his subministrare fidem* dicuntur: sic v. g. *vi prioris* propositionis, probabis: "*nomen invidi* non convenire sapienti; quia non convenit sapienti *definitio invidi;*" *vi posterioris*, probabis: "decem esse praedicamenta: quia ita omnes philosophi censent." Dicuntur autem hujusmodi propositiones *Maximae;* quia earum quaelibet plurimas sub se continet, v. g. *prior;* "cui non convenit definitio injusti . . virtutis etc. nec nomen injusti . . virtuosi etc. convenit: —*posterior:*" quod omnes fere medici dicunt esse salubre, id salubre est . . . etc.

Differentia maximae est: "plurimarum maximarum veluti receptaculum," ut v. g. locus definitionis, locus auctoritatis etc. Siquidem *ex loco definitionis* eruimus has maximas: "Cui non convenit definitio, nec definitum;" "cui convenit definitio, et definitum" etc. . . . *Ex loco Auctoritatis* desumuntur hae maximae: "Quod dicit maxima pars eorum, qui in aliqua arte, vel scientia versantur, verum est:" et "in usu loquendi, sequenda est vulgi consuetudo." *Differentiae* autem maximarum dicuntur: non quia ipsas maximas singulatim distinguant: sed quia diversis maximarum classibus diversam tribuant appellationem.

Quaeres.—Quot enumerentur loci, et quaenam sit uniuscujusque natura et usus?—

Respondeo.—

Dico I.—*Convenienter enumerantur viginti duo loci, seu fontes communes argumentorum, quorum viginti sunt intrinseci; duo vero extrinseci.*—

279. Locorum alii argumenta *artificiosa* (a Tullio *insita* dicuntur); alii argumenta *artis expertia* (quae Tullius *remota*, vel *assumpta* vocat) continent. Porro argumenta *artificiosa* illa nuncupantur, quae arte et diligentia Philosophi, *ex ipsa natura* quaestionis solvendae, depromuntur: quae autem, non ex ipsa quaestione eruntur, sed *extrinsecus* sunt emendicata, *artis expertia* vocitantur. Jam age, loci ex quibus prioris generis argumenta sumuntur, *viginti* numero sunt: *duo* vero, ex quibus secundi generis argumenta derivantur.—Etenim:

Primo.—Argumenta *artificiosa* vel *a*)—*idipsum significant* ex quo desumuntur: vel *b*)—ea significant, quae *illud certa quadam ratione respiciunt.*—Si *a*)—habebis *Definitiones*, *Descriptiones*,

Notationes (sc: verborum interpretationes). Si *b*)—tunc vel haec (quae sc: rem, ex qua desumuntur, certa quadam ratione respiciunt), *a*)—sunt illi *conjuncta;* vel *β*)—*ab ea disjuncta.*—

Si *a*)—*conjuncta;* vel sunt *connexa* i. e. ita ad rem illam affecta, ut haec ab illis, aut vicissim, necessario dependeat (et sic se habent *conjugata* ad invicem, *partes cum toto, totum cum parte, causae cum effectis, effecta cum causis, antecedentia cum consequentibus, consequentia* cum *antecedentibus*): vel sunt *circumstantia*, i. e. ita cum re *conjuncta,* ut non necessario cum illa cohaereant (et hujusmodi sunt vel *praecurrentia*, vel *concomitantia*, vel *subsequentia:* quae omnia *adjuncta* a Tullio vocantur).

Si *β*)—ab ea *disjuncta*: tunc vel cum illa *consentanea* sunt (cujusmodi sunt *similia, majora, minora* et *paria*): vel sunt cum illa *dissentanea* (qualia sunt *dissimilia, opposita disparata*).

Secundo.—Argumenta vero *artis expertia* motivo aliquo *extrinseco* fundantur; hoc autem motivum esse nequit, nisi *Auctoritas*, quae duplex est *Divina* sc: et *Humana*.

Ergo viginti duo praesto sunt loci, quemadmodum in subjecta tabella videre est.

LOCUS	*Artificiosus*	*Ipsius rei, ex qua desumitur argumentum.*	*Definitionis.*	
			Descriptionis.	
			Notationis.	
		Eorum, quae illi conjuncta sunt.	*Conjugatorum.*	*Connexa*
			Partium.	
			Totius.	
			Causarum.	
			Effectorum.	
			Antecedentium.	
			Consequentium.	
			Praecurrentium.	*Circumstantia*
			Concomitantium.	
			Subsequentium.	
		Eorum, quae ab ea disjuncta sunt.	*Similium.*	*Consentanea*
			Majorum.	
			Minorum.	
			Parium.	
			Dissimilium.	*Dissentanea*
			Oppositorum.	
			Disparatorum.	
	Artis expers.	*Auctoritas*	*Divina*	
			Humana	

Dico II.—*Hi autem loci, quatenus communes sunt, considerantur a Dialectico.*—

280. Declaratur.—Loci *communes* (sive maximae, sive differentiae maximarum sint) *ut communes* habentur, quando ad nullum determinatum genus rerum adstringuntur, et hoc simplici modo efferuntur: "Locus *definitionis, auctoritatis* etc." Ut *proprii* vero habentur, quando ad determinatum aliquod genus adiguntur, puta: "Locus definitionis virtutis, vel naturae." etc. Porro ex *communibus* locis, ut Aristoteles observat, non major opportunitas habetur ad syllogismum de moribus, quam de natura, aut alia ulla re, quae sit aliarum artium propria: at *proprii peculiaresque* loci certis et suis cujusque generis propositionibus continentur. Sic v. g. de natura quaedam propositiones habentur, ex quibus nullum desumi potest argumentum de moribus et vicissim.

Verum loci *communes*, etsi *per se* inspecti, hominem peritum non faciant, sunt tamen sedulo pernoscendi, tum quia nequit quis *proprios* cognoscere, nisi prius *communes* teneat: tum quia tametsi *proprii* loci *materiam* disserendi suppeditant, locorum tamen communium tractatio *usum propriorum* docet. Exinde consequitur assertio supra posita. Communium locorum tractatio ad illam scientiam pertinet, quae *artem disserendi* i. e. quae communiter disserendi modos omnibus artibus exhibet. Atqui hujusmodi est *Dialectica*. Ergo communium locorum consideratio ad Dialecticam pertinet.

De his locis multa et erudite disserunt post Aristotelem, Cicero (in Partitionibus); Quintilianus (Institutiones Oratoriae); Fonseca (Dialecticae Institutiones integro libro septimo). Ex his desumam, quae praecipua mihi visa sunt, quoad uniuscujusque loci naturam et usum.

§ I.

DE LOCIS INSITIS, QUAE SIGNIFICANT IDIPSUM, EX QUO DESUMUNTUR.

281. Hujusmodi tres enumerantur, definitio sc: *essentialis*, *descriptiva*, *nominalis* (sc: notatio). Quid quaeque harum sit, supra, ubi de Definitione egimus, docuimus. Tribus modis definitione probare possumus aliquid alicui convenire, vel secus: definitione sc: *subjecti*, vel *praedicati*, vel *utriusque*. Sic v. g. probabis *philosophiam esse utilem*; vel "quia est scientia rerum per causas ultimas, naturali lumine, comparata;" vel "quia ad bonum intelligentiae comparandum refertur:" vel quia "ipsa est scientia, et maxime consentanea ad bonum, sive individuale, sive sociale, sive religiosum comparandum." Cf. Auct. prol. 2.

Ad locum definitionis revocatur *locus differentiae*, si definitio sit essentialis; et *proprietatis*, si descriptiva: ut per se est manifestum (nn. 44. 124. 126.). Ad locum *notationis* quod attinet, unum tantum velim observes, ex notatione nominum *singularium*, vel *propriorum* perpauca, eaque infirma, desumi posse argumenta, nisi haec nomina *speciali aliquo consilio*, vel *divinitus* imponantur: (Cf. S. Th. 3. p. q. 37. a. 2.): majorem vero habere vim argumenta desumpta ex notatione nominum *communium*; utpote quae saepe saepius ex proprietate aliqua peculiarique rerum, quas significant, conditione ducantur: v. g. Consul *a consulendo*: Christianus *a Christo* et sexcenta alia.

Hujus loci (Definitionis sc:) *tres* extant *Maximae*, seu pronunciata:

I. — { *Quicquid convenit definitioni, convenit Definito:*
Quicquid non convenit definitioni, non convenit Definito. }

II. — { *Cui tribuitur definitio, tribuitur Definitum;*
Cui non tribuitur definitio, non tribuitur Definitum. }

III.— { *Si definitio definitioni, et definitum definito convenit:*
Si definitio non convenit definitioni, nec definitum definito. }

§ II.

De Locis, qui desumuntur ex his, quae cum re conjuncta sunt i. e. vel connexa, vel circumstantia.

Hujusmodi loci sunt *decem* numero, de singulis agendum.

N. I.

Conjugata.

282. *Conjugata*, inquit Tulius (2. de Orat.), ea dicuntur, quae sunt ex verbis generis ejusdem; *ejusdem* autem *generis* verba sunt, quae orta *ab uno, varie* commutantur; ut *sapiens, sapienter, sapientia*. Ex hac verborum conjugatione, quemadmodum figura, ita pariter argumentum, saepe valde efficax, desumi potest; ut est v. g. illud Terentii: "homo sum; humanum nihil a me alienum puto;" et illud efficacius Apostoli 1. Cor. 15.: "Primus homo de terra terrenus; secundus homo de coelo coelestis."—*Duo* sunt *pronunciata* hujus loci:

I.—*Cum quo cohaeret unum conjugatorum, cohaerent et cetera.*

II.—*Cum quo non cohaeret unum conjugatorum non cohaerent et cetera.*

Tria sunt cavenda in ipsius usu.—Primum est; ne propter vocis solius conjunctionem pro conjugato id, quod conjugatum non est, sumatur: v. g. *officere*, pro conjugato *officii*.—Secundum est: ne in aequivocationem, quae hic saepenumero se insinuat, fiat lapsus.—Tertium est: diligenter perpende, an attributa conjugatorum recte assignentur; et a concreto ad abstractum ne transeas: v. g. "album est dulce; ergo albedo est dulcedo:" "Homo est Deus: ergo humanitas est Divinitas."—

N. II.

De Loco Partium et Totius.

283. Quid et quotuplex sit Totum (nn. 114. 119.) diximus. Ad usum vero utriusque loci quod spectat, observa, quando agitur de argumentorum inventione, nonnisi de triplici Toto *essentiali* sc: *physico*, *integrali* et *universali* fit mentio et usus. Quoniam vero ad argumentandum eadem est vis *Totius essentialis* ejusque partium, et *totius integralis* et partium integralium (quia utrumque est Totum actuale et partes reipsa distinctas habet); idcirco de duplici Toto *integrali* sc: et *universali* et de utrisque partibus tantummodo loquemur.

Porro *partium integralium* usus duobus pronunciatis continetur:

I. —*Positis omnibus partibus integralibus, ponitur Totum:*

II.—*Sublata quacumque parte integrante, tollitur Totum.*

In harum maximarum usu tria sunt observanda.—Primo:—Aliquando necesse est, ut partes *integrantes*, ex quibus Totum colligendum est, intelligantur *certo quodam ordine* dispositae.—Secundo:—sublata quavis parte integrante, tollitur Totum, quatenus *integrum* est; non vero semper ac necessario (nisi pars necessaria sit) tollitur *res, quae integra* dicitur.—Tertio:—attributa, quae de toto ex partibus concluduntur, vel refelluntur, debent esse et partibus et toti *communia;* non autem *propria* vel partium, vel Totius (n. 201.).

Totius integralis usus duobus pariter maximis continetur: sc:

I. —*Posito toto integro, ponuntur omnes partes.*

II.—*Sublato toto integro, aliqua saltem pars ejus tollitur.*

Duo priora pronunciata sunt utilissima, sive ad concludendum, vel refellendum esse Totius; sive ad colligendum, vel rejiciendum aliquod, quod ipsi tribuitur. Exempli gratia ex existentia partium, existentiam Totius, aut ex non existentia partium non existentiam Totius colliges: pariter ex eo, quod anima, et corpus perfruentur aeterna beatitudine, jure inferes hominem eadem esse fruiturum: quam conclusionem refutare poteris, ostendendo praedicatum non convenire alterutri partium.—Ex *priori pronunciato* est illud. Ps. 138. "Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? si ascendero in coelum, tu (Domine Deus) illic es: si

descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua." Ex *posteriori pronunciato* est illud apud Jo. 8. "Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?"

Secundo.—Pro usu *partium subjectarum* dantur duae maximae:

I. —*Posita quacumque parte subjecta, ponitur Totum* (*universale*)

II.—*Sublatis omnibus partibus subjectis, tollitur Totum* (*univer.*)

Pro usu vero *Totius universalis* duae pariter sunt maximae:

I. —*Posito toto universali, ponitur aliqua pars subjecta:*

II.—*Sublato toto universali, tolluntur omnes ejus partes.*

Haec pronunciata ex alibi dictis et parum attententi sunt manifesta.

N. III.

De loco Causarum et effectuum.

284. Causa, *generatim* inspecta, dicitur quicquid aliqua ratione ad effectionem alterius (quod *effectus*, vel generalius *effectum* dicitur) concurrit: definirique potest: "Principium *influxu suo* determinans aliquid *sibi insufficiens* ad existendum." Porro Causarum *quadruplex* est *genus: Finis*, seu id, propter quod, aliquid fit: *materia*, seu id, ex quo aliquid fit; *Forma* seu id, quo res in suo statu constituitur et a ceteris distinguitur; *Efficiens* demum, seu id, quae efficit, ut aliquid sit. Declarabimus primo quomodo ex causis ducere argumenta possimus, dein hujus loci usum; demum, ex utriusque quaestionis solutione, natura et usus *loci effectorum* fient manifesta.

Primo.—*Materia* triplex est, sc: *ex qua*, ut est marmor v. g. respectu statuae: *in qua*, ut est subjectum, respectu cujuscumque formae, sive substantialis, sive accidentalis: *circa quam*, cujusmodi est id, circa quod aliqua actio, vel scientia, aut ars versatur.—Jam age *ex triplici hac materia* deducere poteris argumenta. Exempli gratia *ex prima*, arguere potes: "Christum Dominum nostrum accerbissimam sustulisse passionem: quia habuit optimam corporis constitutionem:" Cf. S. Th. (3. p. q. 46. a. 6.): *ex secunda* ratiocinari poteris: "animam humanam, dissoluto composito, non interire: quia a corpore est *intrinsece* independens:" *ex tertia* tibi concludere licebit cum Psalmista; "beatus vir, cujus voluntas in

lege Domini est quique meditatur in lege ejus die ac nocte: quia lex Domini est immaculata, convertens animas, fidelis, praestansque sapientiam parvulis." Ps. 1. et 18.

285. *Forma* est, vel *essentialis*, ut Principium intellectivum, respectu hominis; figura, respectu statuae: vel *accidentaria*, ut color, respectu corporis; figura statuae, respectu marmoris, ex quo constat statua.—Porro *ex duplici hac forma* haec desumere poteris argumenta: *ex priori;* "Anima rationalis est id, quo primo vivimus, sentimus et intelligimus: ergo corpus, cui, tamquam forma, uniri apta est, debet esse organicum." Cf. S. Th. (1. p. q. 76. a. 5.): *ex posteriori*, est illud Isaiae c. 53. Christum servatorem nostrum cruci affixum, propter vulnus totiusque corporis indignissimam deturpationem, non fuisse agnitum: "quasi absconditus, ait, vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum."—Ad formam revocatur *causa exemplaris*, seu exemplar, ad cujus imitationem aliquid fit; respectu cujus, forma est non *intrinseca*, ut patet; sed *extrinseca.* Ex hac *extrinseca rei forma* ducuntur illa argumenta Gen. 9." Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo:" et illud Domini nostri "Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, Qui in coelis est, Qui solem suum oriri facit super justos et injustos." Matt. 9.—Ad *formarum locos* revocari possunt loci "*ab inesse ad denominari*" (modo illud, quod inest, simpliciter et non transeunter insit) et "*ab appositione*" (dummodo intelligatur ea rei appositio, quae capax sit ejus denominationis, quae de re, cui apponitur, concluditur).

286. Causa *efficiens* potest esse, vel *producens*, vel *conservans*, vel *perimens* rem: item esse potest vel *principalis*, vel *instrumentalis:* item vel *physica*, vel *moralis.*—Porro *ex causa producente*, est illud Moysis ad populum Israeliticum "Generatio prava et perversa (Deut. 32. vv. 5. 6. etc.): et illud Apostoli: "si delibatio sancta et massa: si radix sancta, et rami:" ex *ipsius* negatione illud Domini: "Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali:" et illud Pauli: "Quomodo audient, sine praedicante?"..."non coronabitur, nisi qui legitime certaverit."—*Ex causis conservantibus*, arguit Philosophus ostendens Regnum ceteris Rebuspublicis diuturnius esse: quia minus, quam istae, a

causis externis deletur.—*Ex causis vero interimentibus* est illud Lucae 11. "Omne regnum in se divisum desolabitur, et domus supra domum cadet;" et illud Philosophi: "maxime rempublicam dissolvi, si jus in ipsa violetur." 5. Pol. 7.—Ad *efficientium causarum* locum revocatur locus *generationum*, et *corruptionum:* argumenta autem ex his locis ducta tractantur hoc modo. "Si *generatio est bona, bonum est quod oritur; sin mala, malum.*" .... "Si *corruptio seu interitus est bonus, res, quae interit,mala est;* si *illa mala est, haec erit bona.*"—Intellige tamen interitum rei bonae, *qua talis* est, esse malum; item interitum rei malae, *qua talis* est, esse bonum: non enim inficior interitum rei bonae *ratione aliqua* posse esse bonum, et bonae malum. Sic v. g. mors Christi, *ratione salutis,* quam nobis peperit, fuit optima (Cf. S. Th. 3. p. q. 49.)

287. *Finis* dici solet *omnium causarum Causa*, utpote qui *naturae ordine* (n. 91.) ceteras causas antecedit: sublato enim fine, *efficiens* ad operandum non movetur, nec proinde *forma* in materiam inducitur, nec *materia* sustentat: Cf. S. Th. (1. p. q. 5. a. 4.). Insuper dicitur *causa mediorum ;* nam media, ratione finis, expetuntur: quamobrem *ex fine* non modo quales debeant esse *ceterae causae,* sed qualia ad finem assequendum dirigenda sint *media*, intelligemus.—

Est autem finis triplex sc: *finis qui*, i. e. bonum illud, quod ultimo expetitur: *finis cui*, i. e. subjectum, cui procuratur finis *qui*, tamquam bonum ipsius; *finis quo*, i. e. ipsa possessio, vel usus rei, quae desideratur.—Primo modo Deus est finis noster; quia velle debemus, ut Ipse Seipso fruatur et nos etiam Illo fruamur; et hoc sensu dicebat S. Aug. 1. Conf. 1. "Fecisti nos Domine ad te et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te."—Secundo modo, non solum Deus est finis noster, sed etiam alii homines et nos ipsi nobismetipsis finis sumus: nam et Deo gloriam et nobis ipsis ac consimilibus nostris salutem optare debemus: et hoc sensu ajebat Apostolus: "Omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur." 2. Tim. 2.—Tertio modo, intuitiva Dei visio est finis *supernaturalis* nobis propositus.

Porro *ex triplici hoc fine* multa desumere possumus argumenta. Sic v. g. *ex priori* colligemus; "Vis abunde metere? ne parce igitur seminee:" "vis turrim aedificare? de fundamento prius cogita" etc: *ex secundo:* "Deus omnia efficit propter se: non poterit proinde esse auctor peccati; quandoquidem peccatum in

Deum referri nequit:" *ex tertio:* "optas Deum videre? Sis ergo mundo corde."

288. Secundo.—Ad usum *loci causarum* quod attinet, observa imprimis tripliciter posse effectum aliquem ex causa colligi; vel quoad *potentiam,* seu possibilitatem; vel quoad *actum,* sive *imperfectum* i. e. in fieri, sive *perfectum* i. e. in facto esse; vel quoad aliquam *affectionem,* seu proprietatem v. g. quod bonus, vel malus sit etc.

Quoad triplicem hanc colligendi rationem, quatuor extant pronunciata, quorum primum *effectum in potentia;* secundum *effectum in actu;* duo ultima *proprietates effectus* (praecipue causae *efficientis, extensive* tamen aliarum causarum) respicit.

I.—(*Causa potens et effectus in potentia simul sunt, aut non sunt.*—2. Phy. 3.

II.—(*Causa in actu et effectus in actu simul sunt, aut non sunt.*—1. c.

III.— a)— *Quorum efficientia sunt bona, vel mala; ipsa quoque sunt bona, vel mala.*—2. Top. 3.
b)— *Quorum interimentia sunt bona, vel mala; ipsa sunt mala, vel bona.*—1. c.

1um. sic intelliges: si extat causa ad edendum effectum apta, effectus produci potest vel *proxime,* si omnia adsint requisita, vel saltem *remote.*—2um. vero sic explicabis: si causa jam *edit* effectum, jam effectus editur; si vero nulla edit effectum, nec effectus editur; et quod de praesenti dico, de praeterito pariter ac futuro dictum existima. Unum tantum observare debes, quod rite animadvertit Fonseca lib. 7. c. 23. "Ex causa *actu* edente effectum, *non semper* concluditur effectus *in actu perfecto;* i. e. non semper colligimus effectum editum esse. Quamquam enim ex *materia* et *forma* semper sic liceat argumentari:" materia et forma edit compositum: ergo compositum editum est;" in *efficientibus* tamen et *finibus* non valet, nisi editio sit ita perfecta, ut *edi* et *editum esse* idem sint. Quo pacto sic liceat concludere: "Deus creat nunc animam; ergo nunc anima perfecta est:" —"Sol lucet; ergo dies est:"—"Deus aperte videtur a beatis;

ergo amatur."—Licet quoque *ex absoluta positione causae* concludere effectum esse, in esse *perfecto* aut *imperfecto*; verum hoc non fit, nisi cum argumentamur *ex causis necessariis* i. e. necessario edentibus effecta sua, ut ex materia omnino disposita, aut ex caduca mortalique forma quacumque (nam in immortalibus non valet), aut ex quibusdam efficientibus."

Duo alia pronunciata supra explicavimus. Haec autem tametsi de efficientibus proprie sint, poterunt tamen ceteris causis accomodari nomine *boni*, vel *mali*, large usurpando non tantum bona vel mala *in moribus*, sed etiam bona et mala sive *naturae*, sive *artis*. Insuper adnota illa duo praenunciata sub se innumera alia *specialia pronunciata* continere v. g. quorum causae sunt honestae, utiles, jucundae etc. ipsa quoque sunt honesta, utilia, jucunda etc.

289. Tertio.—*Effecta* dicuntur, quae sunt orta de causa, itaque totidem eorum sunt genera, quot causarum. Quae ex ipsis sumuntur argumenta plus saepenumero habent efficaciae, quam quae ex causis eruuntur; tum quia effectus notiores nobis, quam causae, esse solent; tum quia facilius ad sensum revocantur; tum quia rectius ex effectus natura et perfectione naturam et perfectionem causae colligimus, quam e converso. Sic v. g. nequimus ex quavis causa colligere effectum esse, vel fuisse, puta ex Deo, creaturam; at ex quocumque effectu causam utique colligere possumus: item ex causae efficientis perfectione non semper datur colligi effectus perfectio; at ex effectus perfectione aequalem, vel majorem causae perfectionem deducere utique fas erit.

Hujus loci usus iisdem, ac causarum locus, *pronunciatis* continetur, nisi quod, *inverso ordine*, sumi debeant.

N. IV.

De Loco Antecedentium et Consequentium.

290. *Antecedentis* et *Consequentis* nomine hic venit res quaelibet, quae *necessario* antecedit, vel consequitur aliquid in quaestione positum. Sic v. g. proposita hac quaestione: "Sitne virtus homini naturalis, nec ne?" poteris illam affirmative solvere *ex antecedente virtutis*, hoc modo: "Justitia est homini naturalis: alioquin vita socialis, quae sine justitia consistere nequit, non esset

homini naturalis: atqui omnis justitia est virtus: ergo aliqua virtus est homini naturalis." Ad eamdem consequentiam devenies *ex consequente virtutis:* "Omne, quod est rationi consentaneum, est homini naturale: nam homo est animal rationale: atqui omnis virtus est rationi consentanea: ergo omnis virtus est homini naturalis."

Ut autem loci hujus usus intelligas, animadverte antecedentium, quemadmodum et consequentium, *duplex esse genus.* Quaedam enim antecedentia sunt, ex quibus necessario sequitur consequens, cum ordine vel *attributionis,* ut justitia respectu virtutis (virtus namque *necessario* de justitia et *universe* praedicatur); vel *temporis,* ut vulnus in corde respectu mortis, quae illud necessario et brevi intervallo consequetur: atque haec vocari possunt *antecedentia* et *consequentia simpliciter.*—Quaedam alia extant antecedentia, quae necessario danda sunt, data aliqua hypothesi, vel conditione, quemadmodum est adolescentia, respectu juventutis; et fundamentum, respectu aedificii; atque haec vocari possunt *antecedentia* (idem dic *de consequentibus*) *ex hypothesi,* seu *conditione.*

Usus antecedentium et consequentium *simpliciter,* his duobus pronunciatis (2. Top. 2. l. 13.) continetur.

I. —(*Posito Antecedente, necesse est ponatur Consequens.*

II.—(*Sublato Consequente, necesse est tollatur Antecedens.*

Exempla.—"Magnanimitas est virtus: ergo rationi consentanea."—"Prodigalitas non est rationi consentanea: ergo non est virtus."—"Habet vulnus in corde: morietur brevi."—"Non morietur brevi: ergo non habet vulnus in corde." Huc spectat argumentatio Apostoli (Rom. 8. 17.): "Si autem filii, et haeredes."... "Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest." v. 7.

Si antecedens et consequens *aequalia* sunt i. e. *convertibilia,* licebit, sublata re, quae erat *antecedens,* tollere eam, quae erat *consequens:* et posita *consequente,* ponere *antecedentem.* Sic Dominus noster Jo. 8. argumentatur: "Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis." et Jo. 14. w. 21. 23. "Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. .... Si quis diligit me, sermonem meum servabit."—

Licebit etiam ex consequente, quod *latius pateat*, posito, ponere antecedens, si consequens *universe* accipiatur, ut supra arguebamus ex consequente virtutis. Sic Apostolus Rom. 10. v. 18. "Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum:" quasi diceret: omnes gentes audierunt: ergo et gens judaeorum.

Usus vero antecedentium et consequentium *ex hypothesi* continetur pronunciatis, quae sunt praecedentibus opposita.

I. —(*Sublato antecedente, necesse est tollatur consequens.*

II.—(*Posito consequente, necesse est ponatur antecedens.*

Exempla.—"Hic infans non adolescet: ergo nec juvenis erit." —"Juvenis erit: ergo adolescet."—"Aedificanda est domus: jacienda sunt fundamenta."—Fundamenta non jacientur: ergo nec domus aedificabitur.—Huc spectat illud Apostoli (ad Rom. 10.) "Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?" cum enim *credere* sit antecedens *invocationis*, qui non credunt, consequenter nec *invocare* possunt. Illud vero Domini (Mat. 19. v. 17.): "Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:" ex consequente posito, ponit antecedens.

Dices.—Hoc argumentum est *ex loco finium.*

Respondeo.—Idem argumentum ex variis locis desumi potest, sub varia, qua tractatur ratione. Quamobrem propositum argumentum, qua ratione *ex loco finium* colligit medium, pertinet ad locum finium; qua vero ratione *ex consequenti* ponit *antecedens*, ad *locum consequentium* spectat. Est autem valde utile quod idem argumentum multis in locis reperiri possit; ut, si quando vel scrutandi labor aut quaerendi festinatio impedit, quominus id, quod quaerimus, una via invenire possimus, altera via et repetito tentamine repperiamus.

N. V.

De Locis Adjunctorum, seu Circumstantium.

291. *Circumstantia* (*adjuncta* a Cicerone vocantur), sunt: "ea, quae cum re quidem cohaerent, non tamen *necessario*, atque rem illam quadamtenus circumstant." Sunt autem in triplici differentia. Quaedam enim adjuncta rem *antecedunt*, v. g. portenta,

nobilitas majorum, dies natalis, educatio, provocatio, consuetudo etc.; atque haec *praecurrentia* dicuntur.—Alia sunt, quae quodammodo *comitantur* rem, ut sunt v. g. locus, tempus, occasio, socii, dignitas, officium etc.: et dicuntur *concomitantia*.—Alia demum sunt, quae rem *subsequuntur* v. g. laus, vituperium, etc.: et *subsequentia* nuncupantur. Huc revocantur adjuncta, quae ex *personis*, *locis*, *tempore* et *rebus* desumuntur, quaeque, memoriae juvandae causa, hoc versiculo continentur:

"*Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando.*"

Quam longe lateque pateat hic locus, percurre singula haec adjuncta in proposita aliqua quaestione; uberem materiem argumentorum invenies. Adverte tamen argumenta ex adjunctis deprompta *per se* necessaria non esse, *maximam* tamen quandoque praebere *probabilitatem*, praecipue cum coacervata sunt: plurimum demum valere ad rem *aliunde* certam augendam, vel minuendam; iisque, ut plurimum et non sine magna utilitate, utuntur Oratores.

Pro usu istius loci multa tradi possent pronunciata: omnia tamen hoc unico constringi possunt:

Qualia sunt adjuncta, talem verisimile est esse rem, quam circumstant.

Exempla—Ex *praecurrentibus* est illud Exodi 23. "Sedit populus manducare et bibere; et surrexerunt ludere." Cf. pariter (Matt. 16. w. 1. 2. 3. 4.—et ad Galatas 5. v. 15.).—Ex *comitantibus* est illud "videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, Qui in coelis est." (Matt. 18. v. 10.).—Ex *subsequentibus* est illud Eccles. 5. "Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius:" et quod ait S. Aug. in laudem S. Laurentii M. "Necesse erat ut initia bona fierent, quorum finis est optimus subsequutus; et martyres eos non solum fuisse cum passi sunt, sed etiam tunc Martyres Christi esse, cum viverent." Alia exempla passim invenies, potissimum in Oratoribus.

§ III.

De Locis Disjunctorum.

Quae ad hos locos spectant, vel sunt *consentanea*, cujusmodi sunt similia et comparata, vel *dissentanea*, ut sunt dissimilia, opposita et disparata. De singulis pauca.

N. I.

Similia.

292.—Dicuntur hoc loco *similia* non modo ea, quorum eadem est *qualitas* (n. 82.); sed "ea omnia, quibus aut unum aliquid convenit, aut certe plura, quae *analogiam* quamdam proportionemque inter se habent." Sic v. g. duo corpora alba, duae res aequales, duae plantae aut animalia ejusdem speciei dicuntur *similia:* quia in *qualitate*, vel *quantitate*, aut *essentia communi* conveniunt. Item mens et oculus, serenitas et tranquillitas *in similibus* adnumerantur: etsi enim *essentialiter* differant, habent tamen quamdam ad invicem *proportionalitatem* (n. 24.): ut enim se habet oculus ad corpus, ita mens ad animam; et quod est in aere serenitas, ita est in mari tranquillitas.

Ex rerum similitudine argumentatio desumitur, quae *Analogiae* nuncupatur, quaeque definiri potest: "argumentatio, per quam ex una proportione nobis nota, aliam antea ignotam inferimus;" eaque dupliciter uti possumus: vel enim *a*)—quod in una re verum est, in altera simili concedendum esse dicimus; v. g. video bruta, ad quorumdam objectorum praesentiam, consimiles nostris sensationes habere; infero ea facultatibus sensitivis, quae nostris sunt consimiles, pollere: vel *b*)—rei, quam tractamus, a similitudine alterius lucem inferimus; sic ex analogia inter vitam *corporalem* et *spiritualem* S. Thomas pulcherrime ostendit convenientiam *numeri septenarii* Sacramentorum. (3. p. q. 65. a. 5.)—Cf. etiam (1. 2. q. III. a. 4.). Huc etiam spectat illud Quintiliani: "Ut vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur; sic tenera puerorum ingenia grandia non statim percipiunt, quae tamen

pedetentim progrediendo facile addiscunt." Lib. 8.—Cf. etiam S. August. Gen. 1. 6.

Usus hujus loci his *pronunciatis* continetur :

I. —(*Quod in uno similium valet, valet in caeteris.*

II.—(*Quod non valet in uno, nec in ceteris.*

III.—{ *Res similes effectus similes producunt: proprietatibus similibus instruuntur: secundum similes typos conditae sunt; similes fines habent: similibus legibus gubernantur.*

Exempla ex similibus sunt plane innumera in SS. litteris, ut v. g. ex his, quae *pastori* conveniunt ea, quae conveniunt *animarum pastoribus;* ex *panis* effectibus effecta *SS. Corporis* Domini; ex *seminis* proprietatibus, proprietates *Verbi Dei;* ex variis *terrae proprietatibus*, in qua semen, aut pluvia suscipitur, variae dispositiones eorum, qui *Verbum Dei* suscipiunt etc. inferuntur. Hujus loci usu nullus prope dixerim uberior et accomodatior sive ad docendum, sive ad persuadendum, sive ad confirmandum inveniri potest: eoque frequenter utitur S. Thomas, ut ipsius opera ac praesertim Theologicam Summam legenti perspicuum erit. Ad hunc locum revocantur *exempla*, et *parabolae*, quarum usus non experientia tantum ac suavi animos audientium alliciendi ratione, sed ipsius Magistri ac Servatoris nostri Domini Jesus exemplo est commendatus.

Quae *de similibus* diximus, valent *ordine inverso de dissimilibus*. Dissimilia enim censentur, "ea quibus, qua talia sunt, nec unum aliquid commune est, nec plura quae inter se proportionem habent." Horum usus *his pronunciatis* continetur.

I. —(*Dissimilibus dissimilia conveniunt.*

II.—{ *Quod uni dissimilium, qua dissimile est, convenit, alteri non convenit.*

Exempla invenies apud Matt. (4. w. 46. 47.)—Ad Cor. (11. 6. w. 14. 15. 16.).

N. II.

De Loco Majorum, Minorum, Parium.

293. Saepenumero ad aliquam quaestionem *concludendam*, quibusdam utimur argumentis, quae vel *majorem*, vel *minorem*, vel *aequalem* probabilitatem, aut honestatem, aut convenientiam, uno verbo, vim habent, quam enunciatio, quae *concludenda*, vel *confirmanda* est. Qua in re observa id, quod rite adnotat Fonseca (Lib. 7. c. 28.) argumenta, quae ex superioribus locis desumuntur, non *ex tota quaestione*, sed vel *ex subjecto*, vel *ex praedicato* quaestionis desumi. "Aut enim sunt *definitiones*, aut *descriptiones*, aut *notationes* eorum, quae in quaestione concludenda subjiciebantur, vel praedicabantur; aut modo aliquo affecta ad ea, quae subjiciebantur, vel praedicabantur. Nunc incidimus in locos, ex quibus, quae depromuntur argumenta, affecta sunt ad totam quaestionem concludendam, hoc .est, ad ipsam totam conclusionem." Hujusmodi sunt, quae ex locis *majorum*, *minorum* et *parium* desumuntur argumenta. "Nam *majora* dicuntur ea, quae majorem habent probabilitatem, quam ea enunciatio, quae concludenda et confirmanda est; *minora*, quae minorem; *paria*, quae parem, vel aequalem."—

Exinde enascitur argumentatio *a comparatione* dicta: eaque triplex est. Prima est *a majori ad minus*, et *negative* concludit, ut v. g. cum Dominus noster ait: "Si terrena dixi vobis, et non creditis; quomodo si dixero vobis coelestia, credetis?"—Secunda est *a minori ad majus*, et concludit *affirmative:* cujusmodi est illa Moysis jamjam morituri ad populum Israeliticum: "Ego scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me, et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis, cum mortuus fuero?" Deut. 31. Huc spectat etiam illud Bernardi in haec verba Domini: "Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt:" "Quomodo, inquit, potabis, Domine, desiderantes te torrente voluptatis tuae, qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiae?"—Tertia est *a pari*, et concludit sive *affirmative*, sive *negative*, sic dicitur apud Lucam 6. v. 37.: "Nolite judicare et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini; dimittite et dimittemini; date, et dabitur vobis:" huc revocantur argumenta, quibus in SS. Literis, ex

meritis *praemia;* ex demeritis *poenae* concluduntur: etsi enim praemia coelestia sint majora meritis, et supplicia delictis inferiora, *ex Divina* tamen *largitate* et *misericordia* cernitur in eis *quaedam ratio justitiae* ac proinde *aequalitatis.*—

Ad usum hujus loci quod attinet, tria sunt, pro triplici hac argumentatione pronunciata.

I. — *Si quod magis probabile videtur, non est verum; certe neque illud, quod minus probabile est.*—2. Top.

II. — *Si id, quod minus probabile videtur, verum tamen est; certe id, quod magis est probabile, verum videri debet.* —1. c.

III. — *Si data propositio vera est, aut falsa; ea etiam, quae videtur aeque probabilis, vera erit, aut falsa.*—1. c.

N. III.

De Loco Oppositorum.

294. Inter *dissentanea,* quaedam sunt, "quibus nec unum aliquid commune est, nec plura, quae inter se *proportionantur;*" et *dissimilia* dicuntur, de quibus supra (n. 292.) diximus: quaedam alia vero sunt; "quae in *una eademque* re *simul* esse non possunt:" et dicuntur *opposita.*—Oppositorum autem quaedam dicuntur *proprie* opposita eaque sunt, "quae *uni tantum termino* et *sub certa quadam habitudine* opponuntur:" et *quadruplicis* sunt generis: *relative* sc: *contrarie, privative* et *contradictorie* opposita (n. 28.); alia demum *improprie* opposita sunt, cujusmodi sunt: "ea, quae *multis* terminis et *absque determinata lege* opponuntur:" atque haec *disparata* vocantur.

Quoniam *loci Dissimilium* pronunciata supra dedimus, remanet modo, ut pronunciata *oppositorum* tradamus. Haec autem alia sunt *generalia,* alia *specialia.*—*Generalia* sunt:

I. — *De quocumque affirmatur unum oppositorum, negatur alterum.*

Ex *ipsa natura Oppositionis* enascitur.—Non addimus autem de quocumque, alterum *negatur, affirmari* alterum: quia in contrariis

saltem mediatis, et in relativis v. g. non tenet; non enim sequitur: "Sortes non occidit Platonem: ergo illum amavit." Sortes non est magister: ergo est discipulus."

II. — { *Si alterum e duobus oppositis sequitur alterum e duobus aliis, alterum e prioribus sequetur alterum e posterioribus.—Sin autem posterius non sequitur posterius, nec prius sequitur prius.*

Sic v. g. *laudandum* et *vituperandum* sunt contraria; item *virtus* et *vitium*. Quo posito, si omnem *virtutem* sequitur *laudatio*, omne *vitium* sequetur utique *vituperatio;* quod si vitium non esset vituperandum, nec virtus pariter esset laudanda.

Ut autem facilius pronunciatum hoc intelligatur, pro quadruplici oppositorum genere, sic erit exponendum.

a)—Pro *relativis.—"Si relatum sequitur relatum, relatum prioris sequitur relatum posterioris."*

b)—Pro *contrariis.—"Si contrarium contrario inest, contrarium alterius contrario alterius inest, aut directo, aut converso ordine:" directo,* inquam, *ordine,* ut cum dico: "Omnis justitia est amanda: ergo omnis injustitia est odio habenda:" *converso* autem *ordine,* ut cum dico: "Qui fruitur *bona* corporis habitudine, sanus est: ergo qui sanus non est, *malam* habet corporis habitudinem."

c)—Pro *privativis.—"Si habitus sequitur habitum, privatio sequitur privationem: et e contra, sive directo sive converso ordine:" directo ordine* ut cum dico: "omnis visus est sensus: ergo omnis coecitas est sensus privatio:" *ordine converso,* ut cum dico: "Si quis est visu praeditus, est sensu praeditus: ergo si quis est sensu privatus, est coecus:" non enim sequitur *directo ordine;* "ergo si quis est coecus est sensu privatus" quod quidem falsum est: nam sensus magis patet, quam visus.

d)—Pro *contradictoriis.—"Si affirmatio affirmationem sequitur, negatio sequitur ordine converso negationem."* V. g. "Omnis homo est rationalis:" ergo omne non-rationale est non-homo."

295. Pronunciata specialia oppositorum:

Pro *Relativis.*— { I. — a)—*mutuo se ponunt tolluntque;*
b)—*simul cognoscuntur et ignorantur.*
(nn. 67. 70.)

Pro *contrariis.*—	II. —	*Illud non est in subjecto dato, quo inhaerente, sequitur duo contraria esse simul.* 2. Top. 3.
	III. —	*Illud non est in subjecto, cujus contrarium non potest eidem inesse.* 1. c.
Pro aliis.—	IV. —	*Ex contrariis immediatis, privative oppositis, contradictoriis, si unum dato subjecto non convenit, alterum conveniat necessum est.*—2. Top. 2.

Exempla.—Ex *primo a)*—est illud Joannis Baptistae de Christo D. N. et Ecclesia: "Qui habet sponsam, sponsus est."—Jo. 3. Cf. etiam 1. Cor. (9. vv. 1. 2.)—Ex *primo b)*—est illud Domini: "Si me cognovissetis, et Patrem meum utique cognovissetis." Jo. 14.—Ex *secundo* probabit Theologus, ex verbis Domini: *"verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu:"* non posse ullatenus inferri Christum habuisse *voluntatem* Divinae Voluntati contrariam: quandoquidem si ita esset, cum ex iisdem verbis constet, Ipsum tunc voluisse, quod Pater decreverat, necessario sequeretur, in *eadem* voluntate dari *simul* duas appetitiones *contrarias*, quod fieri nequit: Cf. S. Thomam (3. p. q. 18. a. 6.)—Ex *tertio* probabit Theologus: *Fidem* non esse *in voluntate, tamquam in subjecto:* quia error in fide, qui fidei contrariatur, nequit esse nisi in intellectu: Cf. S. Thomam (2. 2ae. q. IV. a. 3.)—Ex *quarto*, recte ratiocinaberis: "Homo ille non est aeger; ergo bene valet:" "nil videt; ergo caecus est:" "non est candidus: ergo est utique non candidus.—Hoc unum animadverte hoc ultimum pronunciatum, quum *contrariis* accomodatur, intelligi debere *de subjecto natura apto;* quum vero accomodatur *privativis*, subintelligendum praeterea esse *tempus a natura constitutum, ut forma insit*, quemadmodum (n. 28.) docuimus.—

296.—Sunt multa, quae quamvis discrepent inter se, non tamen *proprie* sunt opposita v. g. corpus, spiritus: homo, bellua: substantia, accidens; necessarium, contingens et sexcenta alia: haec a quibusdam *repugnantia* dicuntur, ab aliis melius *disparata* nuncupantur. Quoniam vero saepenumero non adeo facile est disparata ab oppositis secernere, placet cum Tullio pronunciatum quoddam omnibus repugnantibus (sive haec sint opposita, sive disparata,) *commune* statuere, quod *pro varietate eorum* est intelligendum et accomodandum. Est autem hujusmodi:

Cui convenit unum ex repugnantibus, non convenit alterum, vel reliqua.—Si repugnantia sint immediata in aliquo genere, cui non convenit alterum, vel omnia praeter unum, eidem conveniat alterum, vel reliqua necessum est.—

Exempla.—"Hoc, quod video, corpus est ac tangitur: ergo non est spiritus." Huc spectat illud Domini: "Palpate, inquit, et videte; quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere." Luc. 24.—Item "Foetus: antequam animam *rationalem* accipiat; vivit, nec tamen est planta: ergo animal." Cf. S. Thomam (1. p. q. 119. a. 2.)

Ad hunc locum revocandus videtur *locus Divisionis;* cujus hic est usus, ut sc: *enumeratis omnibus membris dividentibus*, de quacumque re affirmatur unum, *negetur* alterum, vel reliqua; de qua vero negatur alterum, vel reliquum, illud, quod remanet, *affirmetur* (n. 238.).—

In sacris literis crebra sunt ex *repugnantibus* argumenta; hujusmodi sunt v. g. "Numquid obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?" Ps. 76. Hic repugnant *Deus* et *non misereri.*—"In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis." Sap. 1.—"Nemo potest duobus Dominis servire." Mat. 6.—"Si hominibus placerem, Christi servus non essem." Ad Gal. 1., et innumera alia. Ne mireris autem me in his locis explicandis, SS. Scripturarum exemplis perpetuo usum fuisse: sunt enim haec cuique obvia, simulque efficacissima et expeditissima, ita ut ex his, locorum usus facillime a quoque intelligi et memoria retineri queat.

§ IV.

DE LOCO EXTRINSECO.

297. Superest unus *generalis* locus, quo argumenta *assumpta* (n. 279.) continentur; eaque *ab auctoritate* depromuntur. Auctoritas autem *scientia* et *veracitate* testantis constituitur; eaque est, spectata persona testantis, vel *Divina*, vel *humana*, in re vel *dogmatica*, vel *historica*. Quocirca hic Locus duplex est, *Auctoritatis* sc: *Divinae* et *humanae.* De priori agunt Theologi tum in tractatu *de Locis Theologicis*, tum in tractatu *de Fide.* De posteriori

agendum nobis erit, quum *de Auctoritatis Criterio* tractabimus; hic tantum hujus loci (auctoritatis sc: humanae) *usum* tradam, postquam unum vel alterum adnotaverim.

Itaque in Auctoritate humana duo sunt consideranda. Primum est *notitia*, quam habet testis de rebus, quas testatur (haec autem notitia vel *scientia*, si de dogmatibus, vel *experientia*, si de factis est sermo, continetur): secundum est *veracitas* testantis. Primum facit ut sciantur, vel cognoscantur, quae dicuntur: secundum vero, ut sit conformitas inter cognitionem et locutionem. Si duo haec adsunt, testis habet *auctoritatem* seu dignus est, cui assensum praestemus, sc: *credamus*.—Insuper observa maximi faciendum esse testimonium eorum, qui tametsi veritatem ac virtutem insectantur, veritate tamen ipsa coacti, verum testimonium contra seipsos ferunt.—Item argumenta ex auctoritate humana eo esse *firmiora*, quo *majori antiquitate* probata sunt: quod enim falsum est tandem aliquando proditur ac detegitur, veritas autem tempore confirmatur ac roboratur.

Ad hujus *loci usum* quod attinet, haec pronunciata praesto sunt.

I. —(*In usu Verborum, sequenda est Vulgi consuetudo.*

II.—(*In sententia ferenda, judicium sapientum.*

III.— { *In re scientifica testimonium sapientum et in arte peritorum pro rudibus norma est, cui omnino acquiescendum sit; pro doctis vero et eruditis, etsi grave habeat pondus, tamen rationi cedit.*

IV. — { *In re facti auctoritas generatim inspecta, etsi plena non sit, haberi debet, ut norma approbatione digna, quam in judicando et operando sequamur.*

298. Atque haec *de Locis topicis* sint satis. Duae aliae quaestiones solvendae heic essent sc: I.—Quomodo pronunciata huc usque exposita applicanda essent in quaestione *non absoluta*, de qua jam egimus, sed *comparata* solvenda: quaestionem *absolutam* appello illam, qua *simpliciter* quaeritur, "an praedicatum dato aliqui subjecto conveniat?" *comparatam* vero illam, qua quaeritur: "an praedicatum *magis*, vel *minus*, vel *aequaliter* alicui

subjecto, quam alteri, conveniat."—II.—De methodo *in usu istorum locorum* adhibenda. At sequens caput posterioris quaestionis solutionem continet: prior vero quaestio magnam utilitatem non mihi videtur habere, et quisque facile ex dictis illam solvere poterit et jam longa tractatio, quam hucusque habui, me admonet, ut ab his, quae necessaria non sunt, et quae aliunde comparare facile possunt, supersedeam. Cf. si velis, inter alios, Fonseca Ius. Dial. lib. 7. c. 36.—

ARTICULUS III.

DE ARGUMENTATIONE DEMONSTRATIVA.

299. Quae de argumentatione *sophistica* et *dialectica* in praecedentibus articulis docuimus, ad scientiam acquirendam viam parant: impedimenta enim, quae humanae rationis iter obstruunt, ostendimus, simulque varios fontes, unde cognitiones, quae scientiae acquisitionem faciliorem reddunt, indicavimus. Verum non nisi Argumentatio, quae per *certa* et *evidentia* principia procedit, quaeque idcirco *Demonstrativa*, vel simpliciter *Demonstratio* dicitur, hunc effectum, Scientiae sc: acquisitionem, praestare poterit. Unde jure observavimus supra (n. 257.) ex S. Th. quod tametsi "ad scientiam concurrit in sui acquisitione *expulsio contrarii; . . . .* et *opinio* ex Syllogismo dialectico sit *via ad scientiam,*" tamen haec nonnisi "per demonstrationem acquiritur." De hac igitur loquendum nobis erit; sed antea in memoriam revocanda sunt, quae supra (nn. 210. 276.) de *Praecognitis* et, *Praenotionibus* Ratiocinii innuimus, eaque fusius declaranda.

300. Priusquam mens determinatam aliquam veritatem demonstret, illam sibi, *per modum Quaestionis*, proponit, inquirendo nimirum vel *quodnam* praedicatum dato (sc: cognito) alicui subjecto conveniat; vel *rationem*, cur cognitum praedicatum Subjecto conveniat. In utroque casu id, quod *directe* et *immediate* inquirit, est *argumentum*, seu *medius terminus*, cujus ope fiat deductio, quem ubi mens invenerit et ut talem agnoverit, jam ratiocinatur, et quod quaerebat, assequitur. Quomodo autem inveniendum sit *argumentum*, quae in praecedenti articulo dicta sunt, satis manifestant, et quae mox dicturi sumus de Demonstratione ulterius declarabunt.

Verum enim vero nequit mens ad hujus medii inquisitionem accedere, nisi propositae quaestionis *terminos* et quae ad quaestionem solvendam *concurrere* debent, *aliqua ratione* prius cognoscat: nam de eo, quod penitus ignoratur, nec quaestio ulla proponi, nec ratiocinatio ulla institui potest. Quae autem necessario praecognosci debent, sunt tria sc: *Subjectum*, *Praedicatum*, quod potissimum est proprietas quaedam subjecti, quamobrem ejus *affectio*, vel *passio* dicitur; *Principia*, quae in demonstrationem influunt. Haec tria *Subjectum* sc: *Passio*, *Principia* dicuntur Ratiocinii *Praecognita*; *diversae* autem cognitiones, quae de his praehaberi debent, Ratiocinii *Praenotiones* nuncupantur. De singulis tenenda sunt, quae sequuntur,

301. Et primo quidem praenosci debet *Subjectum* et quidem *actu;* est enim id, de quo quaestio occurrit, qua de causa *datum* vel *concessum* denominatur. De ipso autem duplex datur praenotio, sc: *quia est*, vel *quod sit*: et *quid sit.*—Debet nimirum praenosci: 1.—subjecti *existentia*, vel saltem ejus *possibilitas:* "de ipso enim, quod *actu* non est, ait S. Thomas, nihil sciri potest: et dico esse *actu* tam *in se*, quam *in suis causis.*"—2.—Subjecti *definitio* vel *realis*, vel saltem *nominalis* (*quid rei*, vel *quid nominis*).—Quaenam vero ex his *necessario* praerequiratur, id *ex natura quaestionis* solvendae dijudicandum erit. Si enim fit quaestio *an sit?* praenosci debet *quid nominis;* si fit quaestio *quid sit?* praenosci debet *an sit:* si demum fit quaestio *quale sit?* praenosci insuper debet *quid rei;* nam ex essentia proprietates ex hisque aliae profluunt, puta ex natura animi humani derivatur ejus spiritualitas, ex hac libertas et capacitas merendi vel demerendi, et sic de aliis.

302. Secundo.—Praenosci debet *Praedicatum* videlicet *Quid* sit, saltem *nomine.* Porro praedicatum potest praenosci dupliciter *habitualiter* sc: vel *actualiter.* Habetur ipsius cognitio *actualis*, quum in mente vigit praesens ipsius conceptus: *habitualis* vero quum ipsius conceptus, alias habitus, latet in mente, ita tamen, ut cum primum rei mentio occurrit, reviviscere queat. Jam age *habitualis* saltem praedicati notitia est omnino necessaria: nam secus, etiamsi medius terminus menti affulgeret, inutilis evaderet; nequiret enim in memoriam reducere id, quod nec *actualiter* nec *habitualiter* cognoscitur, et consequenter ignoratur. Quod si quaeratur, num *tale* praedicatum conveniat dato subjecto, aut *cur*,

requiritur insuper *actualis*, ut patet. Praenotio autem praedicati necessario requisita, est *quid nominis* saltem: praenotio vero, *quod sit*, nulla ratione praerequiritur: secus enim conclusio, antequam inferatur, cognosceretur: "Cum enim *esse* accidentis, inquit S. Th. sit *inesse* (subjecto), praescire illam (i. e. passionem) inesse, est scire ipsius *esse actualis existentiae*: et sic antequam demonstremus eam, sciremus demonstrationem ipsius; nam demonstratio nihil aliud ostendit, nisi *passionem inesse subjecto*."

303. Tertio.—De Principiis praenoscendum est tantummodo *quod sint* vera, *habituali* saltem cognitione, quae *actualis* evadet, quum *medium* est inventum. Si enim nec *habitualiter* cognoscuntur, etiamsi occurrat menti medius terminus, cujus relationibus cum extremis principia conclusionis continentur, vel non attendetur ad ipsa, vel ut falsa et dubia rejicientur. Quaenam vero sint haec principia et quotuplicis generis, et quemadmodum in Demonstrationem influant, ex dicendis manifestum fiet. Tantum unum ex S. Thoma observo, quod si sermo sit de *primis principiis*, quae *virtute* influunt in demonstrationem, et quae, quia *prima*, *Dignitates* nuncupantur "de his, inquam, non possumus scire ante demonstrationem *quid est* de ipsis (nequeunt enim definiri); sed praescimus de ipsis *quia sunt:* debent enim credi esse vera. Ita enim sunt nota lumine naturalis rationis, quod, cognitis terminis, cognoscimus quia vera sunt: nec scimus de ipsis *propter quid*, cum sint primae animi conceptiones." Op. 44. Syl. Dem. c. 12.—Cf. etiam 1. Poster. lec. 2. et 6.—

His in antecessum praestabilitis, modo ad Demonstrationem accedentes, quae sequuntur, ex ordine quaeremus:

I. —Quid sit Demonstratio?
II. —Quotuplex sit Demonstratio?
III. —Quid specialiter Demonstratio *propter quid?*
IV. —Quaenam principia in Demonstrationem influant et quomodo?
V. —Quid *Scientia*, quae Demonstrationis est effectus?
VI. —Quotuplex sit Scientia *totalis?*
VII. —Quomodo scientiae *totales* coordinentur?
VIII.—Quatuplici via Mens Scientiam acquirat?

Respondeo

Dico I.—*Demonstratio est: "argumentatio, qua ex praemissis certis et evidentibus certa et evidens infertur conclusio."—Quamobrem praemissae, utpote causae conclusionis, priores ac notiores sunt conclusione.—*

304. Pro intelligentia assertionis adnoto.—Propositio aliqua dicitur *evidens*, cum ipsius veritas fit menti manifesta. Veritas autem propositionis tunc menti fit manifesta, cum menti innotescit, non modo rem ita se habere, quemadmodum per propositionem enunciatur, sive *affirmative*, sive *negative*, sed etiam non posse aliter se habere, nimirum ita se habere, ut ipsius oppositum repugnet (n. 165.). Quamobrem propositio erit evidens, quando menti fit manifestum objectum, quod per propositionem enunciatur, *necessario* se habere. Hujusmodi autem necessitas duplex est; *absoluta* sc: et *hypothetica*. *Absoluta* necessitas habetur, quando, facta quacumque hypothesi et antecedenter ad quamcumque hypothesim, Subjectum nequit se habere, nisi ut enunciatur per praedicatum: *hypothetica* vero necessitas habetur, quando res nequit se habere aliter ac enunciatur, nisi tantum stante, vel facta aliqua hypothesi (nn. 138. l. c.). Sic v. g. haec propositio: "*Qui currit movetur*;" est *absolute* necessaria; nam motus est *de essentia* cursus: at vero propositio, qua enuncio: "Sortem moveri;" est tantum *hypothetice* necessaria, sc: facta hypothesi, quod "ipse currat."

Quando igitur *necessitas* alicujus propositionis, sive *absoluta* ea sit, sive *hypothetica*, per legitimum usum facultatum nostrarum (sc: Intelligentiae, Sensibilitatis, Conscientiae, Rationis) *fit menti manifesta*, propositio dicitur *evidens*, atque illum statum in mente producit, qui *Certitudo* nuncupatur. Est enim Certitudo: "firmitas judicii," seu "quies mentis in possessione veritatis." Facultas autem cognoscitiva hoc ipso quod objectum proportionatum praesens habet, ei adhaeret, in eoque conquiescit, siquidem eo pervenit, quo tendebat, quemadmodum in mobili cessat motus, arrepto termino.

Hisce praenotatis *veritas* et *bonitas* definitionis traditae probatur. —Id, quod rem alicui evidentem facit, eam illi *demonstrat*. Atqui praemissae evidentes conclusionem faciunt evidentem. Ergo eam menti *demonstrant*. Major negari nequit. Probatur minor. Demonstratio est argumentatio *formaliter* recta, consequenter conclu-

sio continetur *implicite* in praemissis; hae autem evidentes supponuntur; ergo et conclusio erit eo ipso evidens. Hinc jure meritoque observat S. Thomas: "Certitudo scientiae (quae est effectus demonstrationis) tota oritur ex certitudine principiorum. Tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia" qq. DD. 11. Verit. 1. "Proprium (autem) est horum principiorum, quod non solum necesse est ea per se esse vera, sed etiam necesse est videri quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contrarium eorum." Anal. post. l. 1. lec. 19.

305. Ex dictis consequitur secunda assertionis pars.—Conclusio comparatur ad praemissas, tamquam *effectus ad causam:* ex illis namque deducitur ac veluti enascitur. Quocirca debent *prius cognosci* a mente praemissae, earumque *necessitas* debet *prius mente affulgere.* Unde sic arguo.—Causa est *prior* suo effectu *in eo ordine,* in quo *est causa:* atqui praemissae sunt *causa* Conclusionis *in ordine cognoscibilitatis* et *evidentiae:* ergo debent esse *priores* conclusione in *ordine cognoscibilitatis* et *evidentiae:* aliis verbis, debent esse *priores* in ordine *logico* et *notiores.*

Ex dictis etiam innotescit definitionem, quam dedimus, non multum discrepare ab ea, quam tradidit Aristoteles in lib. 1. Poster. "Demonstrationem sc: esse Syllogismum, qui procedit ex *veris, necessariis, ex primis* et *immediatis, ex prioribus* ac *notioribus* et *continentibus* causam conclusionis."—Cf. S. Th. Op. 44. De Syllog. Demons. a c. 1. ad 8. Fatendum tamen est hanc definitionem Demonstrationi *propter quid proprie* convenire.—

DICO II.—*Spectato modo, quo Demonstratio procedit, erit vel directa, vel indirecta.—Si autem ratio habeatur medii termini, quo Demonstratio directa utitur, erit vel a priori, vel a posteriori, prout medius terminus est ratio ontologica praedicati, vel e converso.—Item Demonstratio directa est propter quid, vel quia.—*

Assertio continet tres partes.—

306. Declaratur prima pars.—Demonstratio *directa* locum habet, quotiescumque demonstratur praedicatum convenire conclusionis subjecto *per aliquam rationem* (sc: medium terminum) desumptam ex consideratione *subjecti* vel *praedicati* (n. 281.). Sic v. g. ex *immutabilitate* Entis Necessarii, ipsius aeternitatem: et ex *spiritualitate* animae hujus immortalitatem demonstro.

Pariter ex eo quod utile dicatur id, *quod ad bonum comparandum* refertur, utilitatem philosophiae demonstro. Porro haec ratio seu medius terminus, quo Demonstratio utitur, nil est aliud quam "*necessarium* inventum ad faciendam fidem" i. e. medium, quod cum praedicato et subjecto quaestionis *necessariam* habet connexionem, atque ejus, quod probandum vel confirmandum proponitur (assumitur) *perfectam* efficit persuasionem (n. 277.). *Loci* autem, quos, qui demonstrationem aggreditur, perscrutare debet, ut *argumenta* inveniat, tres sunt potissimum. Primus locus est *effectorum*, et est proprius argumentorum, quibus Demonstratio *quia*, seu *quod sit* conficitur (n. 301.).—Secundus locus est *causarum*, eoque utitur Demonstratio *propter quid* et *quia*, secundum quod hae causae sunt *proximae*, vel *remotae*.—Tertius locus quo passim utuntur Metaphysici et Mathematici, est *locus definitionis*, ex eoque pro utroque Demonstrationis genere argumenta depromi possunt: Cum enim passiones eidem subjecto convenientes, *ordine quodam* ab ipsius profluant essentia, (ut v. g. a *principio rationali* primitus intellectus postea voluntas, et *a principio sensitivo* primo facultas apprehensiva, postea facultas appetitiva) efficitur, ut principia essentiae subjecti, quae *definitione* subjecti continentur, sint causa proxima primae passionis, haec secundae, secunda tertiae etc. Consequenter fieri potest, ut per definitionem subjecti demonstretur prima passio demonstratione *propter quid*, secunda vero demonstratione *quia* et sic de aliis. De his locis eorumque usu supra satis superque diximus (nn. 281. 284. . . . 289.) et mox iterum recurret sermo.

Demonstratio *indirecta* habetur, quando alicujus propositionis veritas ostenditur ex *absurditatibus*, quae necessario ipsius negationem consequerentur. Sic v. g. ostendo animam humanam fato corporis superstitem fore; nam secus nec virtus condignum praemium esset habitura, nec vitium, qua par esset, puniretur.

Utraque Demonstratio *Directa* sc: et *Indirecta* ad veritatem propositionis ostendendam confert: verum illa simul ostendit *rationem cur* veritas illa sit admittenda, haec autem non item: prima *suadet* affirmare, secunda *absterret* a negando: prima *docet*, secunda *cogit*.—

307. Ut secunda assertionis pars clarius innotescat, observandum est, aliquid posse esse *altero prius* dupliciter, sc: *in ordine logico* seu cognitionis; *in ordine ontologico* sive *existentiae*, sive

essentiae. In ordine logico unum altero est prius, quando hoc secundum non cognoscitur, nisi illo priori intellecto, et sub hoc respectu praemissae, utpote principia, vi quorum conclusio cognoscitur, semper ea *priores* sunt et *notiores* (n. 305.).—*In ordine* vero *ontologico* unum altero prius dicitur, quando hoc secundum a priori dependet, vel *in essendo*, vel *in existendo;* sic v. g. causa efficiens prior est suo effectu *in existendo,* item substantia prior est accidente; et essentia prior est suis proprietatibus *in essendo*; nam tametsi hae simul coexistant cum essentia, ab ea tamen, tamquam a radice, profluunt et dimanant.

Age jam, etsi veritas praemissarum, quibus Demonstratio *directa* utitur, sit semper prior *in ordine logico* veritate conclusionis, non tamen semper veritas *ontologica* praemissarum est prior veritate *ontologica* conclusionis. Sic v. g. cum ex existentia rerum creatarum existentiam Creatoris infero, tametsi existentia creaturarum sit prior *in ordine logico* et *quoad nos*, existentia tamen Creatoris prior est *in ordine ontologico* et *quoad se.* Exinde, quid nomine Demonstrationis *a priori* et *a posteriori* veniat, intelliges.

308. Itaque, Demonstratio *a priori* habetur, quotiescumque *veritas ontologica* conclusionis dependet *a veritate ontologica* praemissarum.—Demonstratio autem *a posteriori* habetur e contra, quando *veritas ontologica* praemissarum *a veritate ontologica* conclusionis dependet. Sic v. g. haec Demonstratio:

Quod a sapiente gubernatore regitur, sapienter administratur;
Atqui mundus *a sapienti gubernatore regitur;*
Ergo mundus sapienter administratur.

Est *a priori:* nam ideo mundus sapienter administratur; quia *a sapienti gubernatore regitur:* et consequenter veritas ontologica praemissarum est causa veritatis ontologicae conclusionis. Idem peragis, cum *ex causa* demonstras effectum, *ex essentia* rei ipsius proprietates, et ex his consequentes alias proprietates demonstras; uno verbo cum *ex causa* sive *in ordine metaphysico,* sive *physico,* effectus in utroque ordine deducis.

E contra isthaec Demonstratio;

Quod projicit umbram rotundam est rotundum:
Atqui terra *projicit umbram rotundam;*
Ergo terra est rotunda.

Est *a posteriori;* nam *rotunditas* terrae est *in causa* cur ipsa umbram rotundam projiciat in discum lunarem, cum fit eclypsis:

ac proinde *veritas ontologica* conclusionis est *causa veritatis ontologicae* praemissarum.

Quamobrem, ut paucis, quae huc usque diximus, colligamus, in Demonstratione *a priori* subjectum conclusionis habet id, quod significatur per praedicatum; quia *habet id*, quod exprimitur *per medium terminum*; in Demonstratione *a posteriori* e converso subjectum conclusionis habet id, quod exprimitur per medium terminum; quia *habet id*, quod exprimitur *per praedicatum*. In illa *medius terminus* est *ratio ontologica praedicati*, in ista *praedicatum* est *ratio ontologica medii termini*. Cf. S. Th. 1. Post. lec. 4.

309. Declaratur tertia pars.—Demonstratio *propter quid* illa dicitur, "quae non modo manifestat praedicatum inesse subjecto, sed etiam manifestat *causam* seu *rationem* et quidem *propriam*, *proximam* et *adaequatam*, cur praedicatum insit subjecto:" ut v. g. cum ex spiritualitate animae ipsius incorruptibilitatem ostendo. Demonstratio vero *quia* illa dicitur, "in qua, tametsi praedicatum inesse subjecto ostendatur, tamen vel non assignatur ratio, vel non proxima et immediata." Hujusmodi est demonstratio, qua ex creaturarum existentia infero existentiam Entis Necessarii, vel qua ex necessitate *Entis a se* ipsius aeternitatem infero; etsi namque necessitas sit ratio aeternitatis, non tamen est *proxima* et *immediata*, quemadmodum est immutabilitatis. Ad demonstrationem *quia* revocatur etiam illa, qua ex signo res significata infertur; vel qua ab inferiori proceditur ad superius. Cf. Toletum (1. Post. in cap. 6. qu. 1.)

Ut autem harum denominationum *propter quid* et *quia* recte intelligas, considerandum est, ait S. Thomas quod: "de re quatuor scire possumus, sc: *quid est*, *an est*, *quia est*, et *propter quid est*. Ad quae intelligenda sciendum est, quod cum scientia non sit nisi *verorum*, verum autem et esse convertuntur, de *esse* erit ergo scientia. . . . Duplex autem *esse* invenitur in rebus; sc: *esse essentiae*, et *esse actualis existentiae*. Et quia *esse essentiae* dicitur *Quidditas*, seu *quid est res;* ideo cum scimus *esse essentiae* alicujus rei, dicimur scire *quid est* de ipsa.—*Esse* autem *actualis existentiae* aliter se habet in substantia, et aliter in accidente. Quia enim accidentis *esse* est *inesse*, scire autem *esse actualis* existentiae Subjecti est solum scire quod *actu sit*, et hoc est scire de ipso *an est;* sed scire de accidente esse actualis existentiae, est scire de ipso *quia est*. Unde scire *quia est*, nihil aliud est, quam scire hoc

inesse huic.—Et quia aliquando aliquid inest alicui *propter aliquam causam*, ideo scire illam causam est scire *propter quid.*"

"Patet ergo quod scire *quia est* de aliqua re, est scire ipsam inesse alicui, ignorando causam, quare insit; scire autem *propter quid*, est scire aliquam rem inesse alicui, et scire causam quare sibi insit.—Demonstratio ergo *propter quid* est: "illa, in qua *manifestatur causa*, quare praedicatum inest subjecto conclusionis." Demonstratio vero *quia* est illa: "in qua concluditur praedicatum inesse subjecto alicui, non tamen *assignatur causa* quare sibi inest . . . vel saltem non procedit ex *causis immediatis*, sed *remotis.*" (De Syl. Dem. c. II.)—

310. Corollarium I.—Omnis demonstratio *a posteriori* est *quia*. Demonstratio vero a *priori* tunc tantum est *propter quid*, cum fit per *propriam*, *proximam* et *adaequatam* causam rei; secus ad demonstrationem *quia* revocanda est: nam, cognita causa *remota* rei, nescimus proprie *cur res sit*, nisi per alias demonstrationes ad causam usque *proximam* et *immediatam* deveniamus. Sic v. g. nescimus cur sint phases lunares, si novimus Lunam illuminari a Sole, nisi etiam noverimus Lunam esse corpus sphoericum et respectivas positiones inter Solem, Lunam et Terram variari.—

311. Corollarium II.—Demonstratio vero *a priori* tunc solum habet locum, cum *ratio ontologica* cur res sit, est etiam *prior* in ordine logico et *notior* re, cujus est ratio.

312. Corollarium III.—Demonstratio sive *a priori* sive *a posteriori* in iis solummodo est possibilis, quae necessario nexu *in ordine logico* copulantur, et ex ea solummodo parte, ex qua necessaria ad alterum connexio habetur. Sic v. g. demonstramus *existentiam Dei ex existentia mundi;* quia mundus non potest procedere, nisi a Deo: at *ex existentia Dei* non possumus inferre *existentiam mundi;* quia Deus mundum non necessario, sed libere creavit.

313. Corollarium IV.—Possumus adhibere utramque demonstrationem, quando sc: ex effectu confuse cognito arguimus causam istius effectus et ex causa bene cognita regredimur ad effectum, ut hujus pleniorem cognitionem habeamus. Hujusmodi processus dicitur *circularis*, seu demonstratio *regressiva*, quae saepenumero utilissima est ad scientificam cognitionem de natura, proprietatibus ac pulchritudine effectus adipiscendam; sic v. g. postquam ex ordine mundi divinam sapientiam Architecti demonstraverimus,

ex hac regredientes ad ordinem mundi, multo perfectius cognoscemus varietatem et unitatem, quae in mundo vigent. Sed de his, ubi de exemplarismo quaestio erit, loquemur. Cf. Tol. (1. Post. Anal. cap. 3. q. 1.)

DICO III.—*Recte definitur a Philosopho demonstratio propter quid: "Syllogismus procedens ex veris, necessariis, per se, primis, propriis, per se notis, immediatis et causis conclusionis.*

314. Quoniam haec demonstratio praecipua est deque ea saepissime loquuntur veteres et ipsa potissima est in scientiis, fusius in ea explicanda immorari placet. Sed in antecessum quaedam particulae sunt declarandae: sc: *per se, primo, proprium, immediatum, per se notum:* aliae enim ex dictis intelliguntur, et in probatione assertionis ulterius declarabuntur.

Itaque:

315. I.—*Per se* quatuor modis dicitur.—Primus modus: *per se* dicuntur de subjecto praedicata, quae sunt de *definitione quidditativa* subjecti: sic linea *per se* de triangulo dicitur, nam de ipsius definitione est, siquidem *triangulum* est: "figura plana *tribus lineis* terminata:" similiter punctum est de definitione lineae; est enim *linea:* "magnitudo, cujus extrema sunt puncta:" quamobrem ad hunc modum pertinent omnia praedicata, quae sunt vel *definitiones* subjectorum, aut *partes definitionum*, ut genera, differentiae eorumque partes.—Secundus modus est eorum, quae sic insunt subjectis, ut *de eorum definitione* sint ipsa *subjecta*, quales sunt *passiones* subjectorum, quae *per se inesse* dicuntur; quemadmodum *par* et *impar* dicuntur de numero *per se*, quippe numerus includitur in definitione ipsorum: item *curvum* et *rectum* dicuntur *per se* de linea, quia *per se insunt* lineae et per eam definiuntur, nam *rectum* est: "linea, cujus extrema non egrediuntur a medio:" *curvum* est: "linea, cujus extrema egrediuntur a medio." Ponitur autem in eorum definitione *subjectum*, non ut pars eorum essentialis, sed quia, ut ait S. Thomas: "quum *esse* accidentis dependeat a subjecto, oportet, ut definitio, quae ipsius *esse* significat, contineat in se subjectum" (De Syl. Dem. c. 2.)—Cf. etiam Toletum (in 1. Post. c. 4. q. 1.). Exinde colliges omnia praedicata, quae nec sunt de subjecti definitione, nec de quorum definitione sunt subjecta, non *per se*, sed *per accidens* dicuntur.—Tertius modus est *per*

se essendi, ita ut illa dicantur *per se*, quae non dicuntur de ullo, ut *de subjecto*, quod sit *aliud* ab ipsis: cujusmodi sunt substantiae (n. 59.): accidentia vero sunt, quae dicuntur de alio, ut *de subjecto*, quod sit *aliud* ab ipsis. Iste modus non tam *praedicandi per se*, quam *per se essendi* est, ut patet.—Quartus demum modus viget inter causam et effectum, ut illud *per se* dicatur de subjecto, quod propter ipsum convenit subjecto, sc: quod sit causa *immediata* et *necessaria* ipsius; ille enim est effectus *per se* alicujus causae, qui propter ipsam est, seu procedit. Sic v. g. dicitur *per se* quod jugulatus interiit, siquidem ideo interiit, quia jugulatus: quando autem effectus non *propter illud* est, *per accidens* ei dicitur, sic *accidit* ambulanti pluvia, non enim cadit pluvia, quia Sortes v. g. ambulat: item *accidit* fodienti terram invenire thesaurum: non enim thesauri detectio ab effossione telluris procedit. Colliges exinde *a*)—Primus, secundus et quartus modus *per se* denotant *habitudinem* causae, vel *formalis* (nam definitio significat formam et essentiam rei): vel *materialis* (nam id, cui aliquid attribuitur, est propria materia, vel subjectum proprium ipsius): vel *efficientis*, vel cujuscumque alterius. *b.*)—Quod tametsi hi modi *per se* dicantur (tertio excepto) tamen *proprie* loquendo, ita sumi possunt, ut primus sit *per se praedicandi*, secundus *per se inhaerendi*, tertius *per se essendi*, quartus *per se causandi*. Cf. S. Th. 1. Poster. lec. 10.

315. II.—Illud dicitur *de omni*, quod de singulis inferioribus *distributive* et *semper* dicitur i. e. ut ait S. Thomas, quando *nihil est* sumere *sub subjecto*, de quo non dicatur praedicatum; nec est sumere *aliquod tempus*, in quo praedicatum non conveniat tali subjecto: ita *animal*, *rationale*, *risibile*, dicuntur de homine.—*Primo* autem dicitur aliquid praedicari, quando praedicatum et subjectum ita sunt *adaequata*, ut praedicatum nequeat *extra subjectum*, nec subjectum *extra praedicatum* inveniri: sic v. g. cum dicimus: "homo est risibilis," de quocumque dicitur *homo*, dicitur *risibile* et vicissim.—Hinc colliges *a'*)—Omne, quod *primo* (sc: universaliter) praedicatur, praedicatur *per se;* non tamen e converso. Sic risibilitas praedicatur de homine *primo* et *per se;* de Socrate *per se* quidem, at *non primo*, quia de pluribus aliis praedicatur, quam de Socrate. Colliges *b'*)—Id, quod *per se* praedicatur, dicitur *de omni;* non tamen omne, quod dicitur *de omni*, dicitur *per se:* sic v. g. dicendo: "omnis lapis est coloratus:" est praedicatio *de omni*, non tamen *per se:* nam omnis lapis est colora-

tus, non tamen secundum quod lapis, sed secundum quod est aliquid superficiem habens.—S. Th. (1. Post. lec. 11. 12.).

316. III.—*Immediata* (sc: sine medio) propositio illa censetur, qua exprimitur praedicatum convenire subjecto non *propter aliud:* sic *risibile* immediate convenit *animali rationali*, quae est definitio hominis, et omnis propria passio convenit immediate definitioni proprii subjecti, et propriae suae definitioni.—E contra propositio *mediata* illa est, in qua praedicatum inest subjecto *ratione alterius praedicati* (sc: propter aliud praedicatum) quod *per prius* subjecto competit; sic risibilitas *mediate* competit Sorti, nam eatenus *Sortes* est *risibilis*, quatenus est *animal rationale.*—Differunt autem *primum* et *immediatum:* nam non omne, quod *primo* inest, dicitur *immediatum; risibile* enim *primo* inest homini, non tamen *immediate*, quia *per prius* inest definitioni hominis et suae, secus enim non esset *medium* ad concludendum *risibile* de *homine.* Similiter non omne quod *immediate* inest, *primo* inest: *homo* enim *immediate* inest *Sorti*, non tamen *primo;* quia de pluribus dicitur *homo*, quam *Sortes.* Cf. S. Th. (De Syll. Dem. c. 5.).

317. IV.—*Per se notae* dicuntur propositiones illae, in quibus praedicatum est de *definitione* subjecti, vel *causatur* immediate *ex principiis* subjecti. Est tamen considerandum ut ait S. Thomas: "quod contingit aliquid esse *per se* notum *dupliciter.* Uno modo *secundum se* et non *quoad nos:* alio modo *secundum se*, et *quoad nos.*—Ex hoc enim aliqua propositio est *per se* nota, quod praedicatum includitur *in ratione subjecti*, ut: "homo est animal;" nam *animal* est *de ratione hominis.* Si igitur notum sit omnibus de praedicato et de subjecto, *quid sit*, propositio illa erit *omnibus per se nota;* sicut patet in primis demonstrationum principiis, quorum termini sunt quaedam communia, quae nullus ignorat, ut *Ens* et *non Ens, Totum* et *pars*, et similia.—Si autem apud aliquos notum non sit de praedicato et subjecto *quid sit:* propositio quidem, quantum *in se* est, erit *per se nota*, non tamen *apud illos*, qui praedicatum, aut subjectum propositionis ignorant. . . . . Sic v. g. haec propositio, *Deus est* (quae aequivalet huic: "Ens necessarium est existens"), quantum *in se* est, *per se* nota est: quia praedicatum est idem cum subjecto: Deus enim est *suum esse.* . . . . . Sed quia nos non scimus de Deo *quid est*, non est nobis *per se* nota, sed indiget demonstrari per ea, quae sunt magis nota *quoad nos*, et minus nota *quoad naturam*, sc: per effectus." S. Th. 1. p. q. 2. a. 1.—Cf. etiam Op. 44. l. c. c. 7.—1. 2. q. 94. a. 1.

318. V.—*Proprium* dicitur dupliciter.—Primo modo, quod *extraneum* non est *proprium* dicitur. Secundo modo alicui *proprium* esse dicitur, quod pluribus ab eo diversis non convenit: quod quidem ut ad propositum nostrum applicemus, considerandum est, ad conclusionem aliquam probandam adduci posse rationes, quae in duplici sunt differentia: aliae sunt *communes*, aliae *propriae*.—*Communes* sunt, quae non per particularia principia illius subjecti procedunt, sed *per communia* i. e. aliis etiam subjectis diversis convenientia, ut si probare velis: "hominem esse risibilem," *per communia*, sic procedere poteris: "Omne proprium inest suo subjecto: atqui risibile est proprium homini: ergo inest homini;" *ratio communis* est, quia multis subjectis inest. Similiter si velis probare; "justitiam esse bonam" dices sic: "A quo removetur unum contrarium immediatum, illi inest alterum: atqui a justitia removetur malum; ergo est bona;" *ratio*, seu medium, *communis* est, quia per eam multa alia subjecta probantur. *Propriae* vero rationes illae dicuntur, quae ex ipsis *peculiaribus* subjecti *principiis* desumuntur, ut v. g. si probes hominem esse *risibilem:* quia est *animal rationale;* et justitiam esse *bonam:* quia est *habitus tribuens cuique quod suum est.*

Hisce praestabilitis, probatur bonitas traditae definitionis. Itaque Demonstratio *propter quid* debet:

319. Primo.—Procedere *ex omnino veris.*—Nam conclusio demonstranda non modo debet esse *vera*, sed insuper in praemissis debet contineri *causa cur sit vera.* Atqui causa veri non potest esse nisi verum: nam tametsi ex falso potest quandoque colligi verum (n. 218.); tamen haec veritas conclusionis non est *ex praemissis*, siquidem causa omnis debet sibi assimilare effectum. Ergo conclusio necessaria non potest colligi, nisi ex omnino veris.

320. Secundo.—Debet procedere *ex necessariis.*—Id probatur *a*)—Conclusio demonstranda debet esse *necessaria.* Ergo procedit *ex necessariis.* Probatur consequentia ex *differentia*, quae est inter demonstrantem et non demonstrantem. Qui enim non demonstrat, ex veris non necessariis potest colligere; ut si dicat v. g. "Omne ambulans est animal: omnis homo est ambulans: omnis homo est animal:" at qui demonstrat, ex necessariis procedit: imo hoc Demonstrationi cuicumque proprium est.—Confirmatur ex *signo.* Omnes enim, qui contra aliquam Demonstrationem instant eamque non esse Demonstrationem probare contendunt, id ex eo probant,

quod non sit nesesse rem ita esse, sc: quod non ex necessariis procedat conclusio; sive revera ita esse opinentur, sive orationis aut disputationis aestu id velint, semper tamen *hoc medium* assumunt, quod conclusio non sit ex necessariis.—*b*)—Quod praecipue valet pro Demonstratione *propter quid*, in qua omnino requiritur, ut ambae praemissae sint necessariae. Nam ut bene observat S. Thomas: "licet conclusio necessaria possit concludi ex praemissis contingentibus (n. 219.) vel ex alterutra ad minus; non potest tamen *sciri*, nisi ex necessariis. Quoniam enim *sciri* est "causam rei necessariam cognoscere," si *medium* contingenter se habebit ad extremitates (Subjectum sc: et Passionem) non erit ei necessarium, et per consequens poterit removeri, conclusione stante: non ergo erit *causa conclusionis*. Ad hoc ergo, quod sit *causa conclusionis*, necessario debet se habere ad ambas extremitates; et sic *ambae praemissae* erunt *necessariae*." Op. 44. l. c. c. 3.—Cf. etiam 1. Post. lec. IV.—Toletum 1. Post. in cap. IV.

321. Tertio.—Debet procedere *ex per se*.—Demonstratio procedit *ex necessariis*, ut dictum est. Atqui necessaria sunt illa, quae sunt *per se* et non *per accidens*. Ergo.—Confirmatur. In Demonstratione affirmativa *propter quid medium* est definitio subjecti simul sumpta cum definitione passionis. Unde in *Majori* passio praedicatur de definitione subjecti, in qua exprimuntur principia (materiale sc: formale et efficiens) ipsius passionis: nam subjectum comparatur ad primam passionem in ratione *causae* non modo *materialis*, sed etiam *efficientis*: quocirca definitio subjecti simul sumpta cum definitione passionis exprimit causam *immediatam* et *necessariam* ipsius passionis: hic autem est quartus modus dicendi *per se*. In *minori* autem praedicatur definitio de subjecto; et hic est primus modus dicendi *per se*. In conclusione demum praedicatur propria passio de suo subjecto, et hic est secundus modus dicendi *per se*. Ergo. Exemplo fit res clarior. Volo demonstrare quod "omnis numerus quaternarius sit par:" sic procedam. "*Omnis multitudo mensurata per unum, cujus per se non est medium*, est par: atqui omnis quaternarius est *hujusmodi multitudo*. Ergo omnis quaternarius est par." In hoc exemplo Subjectum est *quaternarius*: passio est *par*, seu *paritas*: medium vero dicit definitionem *numeri*, i. e. "*multitudo mensurata per unum*," et simul dicit definitionem *paris*, quia "*paris secundum se non est medium*." In *majori* praedicatur passio de definitione

subjecti, in qua exprimitur definitio passionis, et sic est quartus modus dicendi *per se:* in *minori* definitio subjecti praedicatur de suo subjecto, et sic est primus modus dicendi *per se:* in *conclusione* demum propria passio praedicatur de suo subjecto, et sic est secundus modus dicendi *per se.* Ergo.

322. Quarto.—Debet procedere *ex primis* et *immediatis.*—Nam in demonstratione *propter quid* praedicatur *propria passio* de subjecto in conclusione. In praemissis autem vel praedicatur *definitio* de subjecto, vel *propria passio* de definitione subjecti et sua, ut dictum est. Atqui haec omnia sunt *convertibilia;* quae autem sunt convertibilia, praedicantur *primo.* Ergo Demonstratio *propter quid* est ex *primis.*—Item debet esse ex *immediatis:* id enim natura omnis demonstrationis exquirit, ut ad immobile, a quo motus incipiat, deveniatur, ne processus *ad infinitum* admitti velit. Quamobrem, ut docet Philosophus, ea censentur *principia* in aliqua scientia, vel demonstratione, quae talis scientia, vel demonstratio, *non probat esse,* sed *supponit.* V. g. supponit Geometra esse lineas, puncta etc. et Arithmeticus unitates et numeros: haec dicuntur principia simplicia: idem judicium ferendum de principiis complexis, cujusmodi sunt *Positiones.*—Advertit tamen S. Doctor quod: "cum prima principia in demonstratione aliquando sint *mediata,* quia per aliquod medium possunt demonstrari, tamen demonstrator *accipit* ea, *ut immediata* et *indemonstrabilia:* non enim sunt demonstrabilia in illa scientia, de qua est demonstratio, sed in scientia superiori. Et ideo licet habeant medium, *accipiuntur* tamen, *ut immediata.*" Sed de hoc infra.

323. Quinto.—Debet procedere ex *per se notis.*—Constat ex dictis: est enim *per se* notum id, cujus praedicatum est de ratione subjecti, vel caussatur ex principiis subjecti. Hujusmodi autem est, quod est *per se,* ut supra explicatum est.

324. Sexto.—Debet procedere *ex propriis.*—Et primo, quod Demonstratio *propter quid* non procedat *ex extraneis,* constat ex eo, quod in *majori* passio praedicatur *per se* de medio, in quarto modo dicendi; et in *minori* praedicatur medium de subjecto, in primo modo dicendi. Quod autem est hujusmodi *proprium* est, non *extraneum.*—Secundo.—Nec procedit *ex communibus:* nam quaelibet scientia, ad cujus consequutionem dirigitur demonstratio, *proprium* habet subjectum, *proprias* passiones et *propria* principia. Dicitur autem principium proprium alicujus scientiae: "propositio,

in qua determinatur ipsius objectum et quoad sua constitutiva *essentialia* explicatur:" sic v. g. Arithmetica explicat *quid sit numerus;* Geometria *quid sit superficies:* Physica *quid sit corpus* etc. in iisque explicationibus unaquaeque scientia *propria* sua *principia* proponit: iisque utitur Demonstrator in illa scientia. Principia autem *communia,* vel non intrant *actu* in demonstrationes peculiarium scientiarum (loquor de scientiis non subalternatis) sed tantum in illas influunt *virtute,* vel eatenus illas *actu* ingrediuntur, quatenus ad peculiare subjectum illius scientiae applicantur; et tunc non amplius ut *communia,* sed ut *propria sunt* habenda. Ad rem Toletus, cum hoc dubium sibi proposuisset: "cum scientia ex propriis procedat, quomodo principia habet communia? "respondet:" scientias non uti his principiis communibus, ut *communia* sunt, sed unaquaeque scientia et demonstratio ea *limitat ad suam materiam,* ad quam eis indiget, sic Geometra dicit: "si ad aequalibus magnitudinibus aequales demas". . . . . . Arithmeticus ad numeros contrahit, et singulae demonstrationes suis terminis adaptant, nec propter hoc minor est vis illorum principiorum, cum semper sint *vera,* et *necessaria* et *immediata,* et propterea dicuntur communia secundum *analogiam:* quia ex eis unaquaeque scientia accipit pro sua materia" in cap. 8.—Cf. etiam S. Th. (1. Poster. lect. 19.)—Op. 44. De Syll. Demons. cap. 6.—Sed de his iterum recurret sermo.

325. Septimo demum.—Demonstratio debet procedere ex *causis* conclusionis.—Id autem *dupliciter* intelligi potest. Primo modo: quod praemissae sint causa cur praedicatum insit subjecto; et hoc non solum in Demonstratione, sed in quocumque syllogismo verificatur, in quo verum concluditur ex vero.—Secundo modo: quod praemissae contineant *causam* tum *praedicati,* tum *subjecti,* et sic esse *causa* convenit tantummodo Demonstrationi *propter quid.*—"Sciendum tamen est, ait S. Thomas, quod cum *scire propter quid,* sit causam rei cognoscere; *medium* autem (quod est de Demonstratione, quae est syllogismus faciens scire) sit *definitio* subjecti et passionis; omnis autem bona *definitio* detur per aliquam *causam:* consequenter *medium,* quod stat in praemissis, est *causa* subjecti et passionis; aliter tamen *subjecti,* et aliter *passionis.*"

Qua in re notandum est, quod cum "quatuor sunt causae sc: *Materialis, Formalis, Efficiens, Finalis;* a qualibet earum sumi potest definitio. Verbi gratia, dicendo:" Domus est cooperimentum cum

lapidibus, coemento, lignis etc: "est *definitio* per causam *materialem.* Si vero dicatur: "Domus est cooperimentum quadratum, longum, altum:" erit *definitio* per causam *formalem.* Si vero dicatur: "Domus est cooperimentum factum ab artifice cum martellis, tegulis et plumbo:" erit *definitio* per causam *efficientem.* Si demum dicatur: "Domus est cooperimentum prohibens nos a pluviis, frigore et calore: "erit *definitio* per causam *finalem.*—Cum ergo subjectum per tot causas possit definiri, *medium,* quod est ipsius *definitio,* se habebit ad illud in habitudine tot causarum."

"Respectu vero *Passionis* habet se medium in habitudine duarum causarum, sc: *Materialis* et *Efficientis:* comparatur enim subjectum ad propriam passionem et ut *subjectum,* et ut *efficiens:* et eodem modo se habet definitio subjecti, respectu passionis."

Est autem considerandum, "quod causae habent ordinem ad invicem et ex una sumitur ratio alterius. Nam *ex forma* sumitur *ratio materiae:* quia talem oportet esse materiam, qualem forma requirit. *Efficiens* est *ratio formae:* quia enim omne agens agit sibi simile, oportet quod secundum modum agentis, sit modus formae, quae ex actione consequitur. *Ex fine* vero sumitur *ratio efficientis;* quia omne agens agit propter finem. Consequenter oportet quod definitio, quae sumitur *ex fine,* sit ratio et causa probativa aliarum definitionum, quae ex aliis causis sumuntur, et quae sumitur *ab agente,* aliarum duarum; et quae sumitur *a forma,* ejus, quae sumitur a materia: et ideo definitio quae sumitur a materia, potest demonstrari per causam *finalem,* et sic de aliis."

Propterea "dicit Philosophus (1. Poster.) quod *Definitio* vel est *conclusio demonstrationis* (sc: quando est per talem causam, quae concludi possit ex demonstratione, quae fiat per aliam causam): vel est *principium demonstrationis* (sc: quando e converso est ex causa, quae sit ratio et causa probativa alterius): vel est *demonstratio sola positione* seu ordinatione differens (sc: quando tales duas causas comprehendit)." S. Th. Op. cit. cap. 8.—Conf. etiam (1. Poster. lect. 18. seq.)

326. Ex dictis colligere poteris illud, quod supra (n. 251.) innuimus, Demonstrationem *propter quid,* ad formam quod attinet, non esse nisi in prima figura, et quidem in primo modo sc: *Barbara,* si affirmativa, in secundo modo sc: *Celarent,* si negativa sit. Cf. S. Th. (de Syllogismo Demons. cap. 9. 10.)—Item Toletum 1. Pos t cap. II. "Primam figuram maxime scientiae esse accommodatam."

Dico IV.—***Principia Demonstrationis alia sunt communia, alia propria; haec Demonstrationem actu ingrediuntur, illa, si ut communia accipiuntur, nonnisi virtute in illam influunt.***—

1. Poster. c. 2. et 8.

Hic uberius explicanda veniunt, quae (nn. 322. 324.) innuimus. Sed in antecessum, quid principii nomine veniat, declarandum erit.

327. Itaque, non quodcumque *initium*, quod vel ratione *ordinis*, aut *dignitatis*, aut *successionis*, aut quavis alia *extrinseca* ratione, alterum praecedit, principium *proprie* dictum importat; sed illud dumtaxat "unde aliquid (quod *principiatum* dicitur) procedit." Quamobrem Principium, praeter *prioritatem*, vel *temporis*, vel *naturae* saltem, respectu illius, cujus est Principium, dicit insuper *connexionem intrinsecam* cum suo principiato. Haec autem *intrinseca connexio* esse potest, vel in ordine *ontologico*, sive *existentiae*, sive *essentiae*; vel in ordine *logico*, seu cognitionis. In ordine *ontològico existentiae* dicitur *Principium* Causa quaevis *efficiens*, a qua aliquid accipit existentiàm. In ordine *ontologico essentiae*, dicitur *Principium*, quidquid concurrit ad essentiam alicujus entis constituendam, tamquam *pars essentialis* ipsius: hujusmodi sunt causa *materialis* et *formalis*.—In ordine autem *logico*, *Principium* venit:" id, ex cujus cognitione in cognitionem alterius devenitur." Quamobrem jure meritoque Aristoteles definit *adaequate* Principium: "*id, unde aliquid* vel *fit*, vel *est*, vel *cognoscitur*."—Duobus prioribus (de quibus Metaphysica disserit) relictis, heic tantum de principiis *in ordine logico* sermo est.

328. Porro *Principium* in ordine *logico*, duplex est: *complexum* sc: et *incomplexum*. Principium *complexum* (quod simpliciter *principium* nuncupatur) est: "veritas omnis, seu enunciatio omnis, quae, fundamenti loco, ad demonstrandum assumitur," et quoniam ex ea, veluti ex fonte, conclusionis scientia procedit, jure meritoque *Principium* denominatur. Principia autem *incomplexa* sunt partes, quibus ipsa constat, cujusmodi sunt *Subjectum*, *passio*, *medium*, *definitiones*, ut ex dicendis luculentius ostendetur. Principium vero *complexum* erit *mediatum*, vel *immediatum*.—*Immediatum* dicitur, si eo non est aliud prius, saltem in eodem demonstrationis genere: quod si secus, dicitur *mediatum*.

329. Jam age, Principium *immediatum* Demonstrationis duplex a Philosopho ponitur, *Positio* sc: et *Dignitas.* Positio est: "Principium, quod non est demonstrare, tamen non est necesse praehabere docendum;" (sc: quod tamen ille, cui fit demonstratio, non est necesse, ut praehabeat, sc: mente conspiciat, vel ei assentiat). *Dignitas* vero est: "Principium, quod non modo non est demonstrare, sed omnino necesse est praehabere docendum." Ad cujus rei evidentiam considerandum est, in demonstratione non contineri omnia, quae sunt necessaria ad scientiam ingenerandam, sed omnino requiri, ut animus aliis etiam principiis sit dispositus, ut Demonstratio in ipso scientiam pariat.—Haec autem principia in duplici inveniuntur differentia.—Quaedam sunt, quae absque ulla demonstratione cognoscuntur, quia solum lumen naturale intellectus ea docet esse vera, adeo ut, si semel, quid significent, apprehendimus, statim illis acquiescamus: hujusmodi est v. g. illud: "*affirmatio et negatio non sunt simul vera*" et alia hujus generis, "quorum contrarium, ut ait S. Thomas (1. Post. lect. 6.), nullus credere mente potest, etsi ore proferat." Haec dicuntur *Dignitates*, vel *maximae* propositiones, propter certitudinem, quam maximam habent ad manifestandum alia: sine his fit Demonstratio (quippe *actu* demonstrationem non ingrediuntur, unde necesse est, ut ea praehabeat, qui docetur); ipsae tamen absque demonstratione cognoscuntur.—Sunt praeterea alia principia, minus communia, in quibus, tametsi praedicatum sit *de ratione subjecti*, quaeque proinde *per se* nota sunt, tamen quia definitio subjecti non est omnibus nota, non est necessarium ut haec, quemadmodum priora, ab omnibus concedantur: hujusmodi principia dicuntur *Positiones*, quippe quae cum quadam *positione* recipiuntur, ex iisque procedit demonstratio. Sic v. g. hae propositiones: "*a puncto ad punctum linea duci potest:*". . . . "*in quovis puncto, sumpto ut centro, est circulum describere*" . . . . *Positiones* dicuntur.

330. Differunt autem *Positiones* et *Dignitates* in tribus. Primo.—*Dignitates numquam demonstrari possunt*: at *Positiones*, tametsi in illa scientia, cujus sunt principia, demonstrari nequeant, possunt tamen in scientia superiori demonstrari.—Secundo.—*Dignitates* sunt *communes* pluribus artibus, vel scientiis; at *Positiones* sunt ex materia peculiari illius scientiae, et propter haec duo definiuntur ab Aristotele: "principia, quae non demonstrantur, nec est necesse praehabere docendum;" nam propria quaelibet

scientia declarat.—Tertio.—*Dignitates* nulla via probare est: at *Positiones* probantur, si non demonstratione, inductione saltem, aut exemplo aliquo manifestantur, siquidem non statim ex terminorum apprehensione cognoscuntur, sicut dignitates.

Ad rem S. Thomas: "Considerandum est, quod communes animi conceptiones (sc: *Dignitates*) habent aliquid *commune* cum aliis principiis demonstrationis (sc: *Positionibus*) et aliquid *proprium.* *Commune* quidem habent, quia necesse est tam illa, quam alia principia *per se* esse *vera.* *Proprium* autem est horum principiorum, quod non solum necesse est ea *per se* vera esse, sed etiam necesse est *videri,* quod sint *per se* vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum." Et sic *differunt* a positionibus (quae sunt petitio et suppositio). Nam "Petitio et Suppositio *exteriori ratione,* i. e. argumentatione aliqua confirmari possunt: sed communis animi conceptio non est *ad exterius rationem,* quia non potest probari per aliquam argumentationem, sed est *ad eam rationem,* quae est *in anima,* quia lumine naturali intellectus statim fit nota. Et quod non sit *ad exterius rationem* patet: quia non fit syllogismus per aliquid exterius ad probandas hujusmodi communes animi conceptiones. Et quod hujusmodi non sunt notae per exteriorem rationem, sed *per interiorem,* probatur per hoc, quod exteriori ratione potest instari, vel vere, vel apparenter, *interiori* autem *ratione* non est *possibile semper instari.* Et hoc ideo, quia nihil est adeo verum, quin *voce* negari possit. Nam et hoc principium notissimum, *quod non contingat idem esse* et *non esse,* quidam *ore* negaverunt. Quaedam vero adeo vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non possunt, et ideo *in interiori ratione* iis obviari non potest, sed solum exteriori, quae est per vocem. Et hujusmodi sunt animi conceptiones." (1. Post. lect. 19.)

Ratio autem ultima hujus ex ipsa natura intellectus est desumenda. "Ad proprium enim objectum unaquaeque potentia *per se* ordinatur, *secundum quod ipsa* (i. e. in quantum hujusmodi): quae autem sunt hujusmodi, semper *eodem modo* se habent. Unde manente potentia, non deficit ejus judicium circa *proprium* objectum. Objectum autem *proprium* intellectus est *quidditas* rei. Unde circa quidditatem rei, per se loquendo, intellectus non fallitur; sed circa ea, quae *circumstant* rei essentiam, vel quidditatem, intellectus potest falli, dum *unum ordinat* ad aliud, vel *componendo,*

vel *dividendo*, vel etiam *ratiocinando.* Et propter hoc etiam circa illas propositiones errare non potest, *quae statim cognoscuntur*, cognita terminorum quidditate; sicut accidit circa *prima principia*, ex quibus etiam accidit infallibilitas veritatis secundum certitudinem scientiae circa conclusiones." Ita sapienter S. Doctor. (1. q. 85. a. VI.). Hinc rationem habes, cur prima illa principia (*Dignitates* sc:) non modo sint *vera per se*, sed etiam necesse sit *videri*, quod sint *per se vera.*—Cf. etiam (1. p. q. 17. a. III. in ℣ et ad 1. et 2.).

331. Ad divisionem Positionum quod attinet, *Positio* alia est propositio et rem esse aut non esse significat; et haec dicitur *Suppositio:* alia est, quae non significat rem esse, vel non esse, et haec est *Definitio*, quae quidem *positio* est, non tamen propositio, unde inter *principia* quidem *immediata* demonstrationis adnumeratur, non tamen inter propositiones. Quod autem Definitio sit *positio* ex eo constat, quod in quavis scientia definitiones proprii subjecti ponuntur et eorum, de quibus tractant, tamquam *principia:* sic in Geometria ponuntur definitiones *lineae, superficiei, puncti;* in Arithemetica definitiones *numeri, unitatis* etc. Inter suppositiones etiam adnumerandae sunt *praemissae* demonstrationis cujuslibet: quippe hae supponuntur ad scientiam conclusionis, quemadmodum suppositiones aliquae communes in scientiis supponuntur ad scientiam multarum demonstrationum.

332. *Suppositiones* in aliquo conveniunt, in alio vero ad invicem discrepant. *Conveniunt* in eo, quod cum sint principia complexa demonstrabilia, tamen demonstrator accipit *ea non demonstrans*, quippe non sunt demonstrabilia per suam scientiam, sed ea in alia scientia demonstrata esse *supponit.* Quamobrem ideo inter *principia immediata* computantur, quia Demonstrator utitur eis *absque medio*, siquidem medium non habent in illa scientia.—Differunt vero in eo, quod si hujusmodi propositio sit *probabilis* addiscenti (sc: illi, cui fit demonstratio) tunc proprie dicitur *Suppositio*, non quidem simpliciter, sed *ad aliquem:* sin autem addiscens non sit *ejusdem*, nec etiam *contrariae* opinionis, oportet, quod Demonstrator illam propositionem ab illo petat; et sic denominatur *Petitio;* si demum sit *contrariae* opinionis, tunc dicitur *Quaestio*, de qua oportet disputare inter eos. "Hoc tamen omnibus *commune* est, ait S. Th. quod unoquoque eorum utitur Demonstrator, *non demonstrans*, cum (tamen) sit demonstrabile." —(1. Post. lec. 19.)

333. *Definitio* demum a *suppositionibus* differt. Nam—I.—Omnis *petitio*, vel *suppositio* dicit aliquid *esse* vel *non esse*, et consequenter *propositio* est: *termini* autem, seu definitiones, non dicunt esse vel non esse, et consequenter *per se* sumpti, non sunt propositiones *actu*, sed, ut ait S. Thomas, *virtute* tantum; *assumpti* autem in propositione evadunt *actu* suppositiones, ut v. g. cum dico: "homo est *animal rationale.*"—II.—Omnis *petitio*, vel *suppositio in toto* est, vel *in parte*, i. e. particularis est, vel universalis: *Definitiones* autem, cum sint termini complexi, neutrum horum habent, quia in eis nihil ponitur, vel praedicatur, neque *universaliter*, neque *particulariter*. Advertit tamen Toletus. "Definitiones non significare esse vel non esse i. e. *existere*, quia revera istae *definitiones*, quae *positiones* dicuntur, sunt *nominis:* definitiones autem nominum, etiamsi cum definito propositionem faciant, non ponunt tamen rem esse, vel non esse, sed *significationem* tantummodo manifestant. Hoc intellige frequentius ita esse, nam etiam definitiones rei *positiones* dicuntur; quaelibet enim scientia definitionem sui subjecti non demonstrat, sed supponit." (Cap. 2um.)—Cf. etiam (in Cap. 8. nn. 7. 8. 9.).—Cf. S. Th. (l. c. et Op. 44. cap. 6.)—

334. Non est opus, ut moneamus principia, quibus scientiae innituntur sive *rationales*, sive *experimentales*, alia dici *analytica*, seu *rationalia*, atque haec vel *immediata*, vel *mediata* esse; alia dici *synthetica*, seu experimentalia: (n. 138.) haec autem ultima esse semper *mediata.* Nam judicia synthetica *immediata*, utpote experientiae innixa, semper sunt *singularia:* siquidem experimentum fit per sensus, hi autem nonnisi circa singularia versantur. Quod si *particularia* sunt, universalitatem induere atque ita principia scientiarum evadere possunt, *ope inductionis* innixae *principio analytico* Causalitatis (n. 232.). Quamobrem Principia *analytica*, cum insitam universalitatem ac necessitatem praeseferant, suapte natura scientiarum principia sunt, dummodo aliae conditiones supra positae in ipsis verificentur: *synthetica* vero. utpote *per se* non necessitatem, sed contingentiam praeseferentia. prius quam *principia scientiarum* statuantur, debent universalitatem hanc nancisci, vi principii analytici, quod *absolutam* necessitatem includens, judiciis quibusdam experimentalibus, observatione dilatatis, *universalitatem* communicet: proinde ratiocinatione egent et consequenter semper sunt *mediata.*—

Atque ita declarata et probata manet assertio.

DICO V.—*Scientia, quae Demonstrationis est effectus, est cognitio certa et evidens rei necessariae per suam causam:—eaque ab objecto formali specificatur, seu ab objecto, prout subest principiis, vi quorum innotescit:—et pro diverso, quem respicit fine, est vel speculativa, vel practica.*—

335. Praenoto I.—Vox *scientiae* modo ampliorem, modo strictiorem significationem habet: modo pro *quacumque notitia*, sive certa ea sit, sive incerta et dubia, atque ita quidquid quavis ratione cognoscimus, dicimur *scire:* quandoque vero pro notitia *certa* et *evidenti* rei tantummodo usurpatur. Verum in hac ultima acceptione adhuc multiplex est vocis *scientiae* usurpatio. Quandoque enim denotat cognitionem *certam* rei, etiam *contingentis;* sic dicimus: "scio hominem currere," dum hominem currentem videmus; "scio quae, ope sensuum, percipio" . . . . . etc. Quandoque cognitionem rerum denotat, quae, *ut plurimum*, causas habent, tametsi aliquando deficiant: sic dicimus: "scio in autumno esse tonitrua, in vere pluvias" . . etc: unde horum non datur perfecta scientia. Quandoque adhibetur haec vox ad significandam notitiam *rei necessariae*, quae tamen causam non habet: sic v. g. dicimus nos *scire*, quae per *prima* et *immediata* principia enunciantur; haec enim licet *necessaria* sint, tamen carent neque indigent *medio*, quo demonstrentur (n. 330.).—Demum *propriissime* accipitur vox *scientiae* ad significandam notitiam, vel actualem, vel habitualem, quae *demonstrationis est effectus*, et sub hoc respectu denotat, vel: *a*)—*conclusionem quamlibet*, quae per demonstrationem *a priori* deducitur; vel *b*)—*systema*, aut *complexum* conclusionum demonstratarum, quae circa aliquod objectum versantur et sub principiis, a quibus procedunt, ordinantur; vel *c*)—*habitum* demum, qui mentem ad hujusmodi eliciendas cognitiones inclinat, quique ab habitu principiorum (sc: Intelligentia) distinguitur. Cf. S. Th. (1. Post. lect. 20.). Sub hac propriissima acceptione nos hic et in sequentibus vocabulum scientiae usurpamus.

336. Praenoto II.—Porro in definitione tradita tria sunt sedulo consideranda. Primum est:—*actus* ipse sciendi.—Secundum est:—*objectum* istius actus.—Tertium est:—*ratio*, sub qua objectum per actum illum attingi debet.

Age jam I.—*Actus sciendi* est cognitio *vera, certa* et *evidens*: et consequenter distinguitur tum ab *errore*, tum ab *opinione*, tum a

fide:—*a fide* quidem, nam actus *fidei* est: "*assensus mentis rei, quam quis non videt, sed, propter auctoritatem alterius eam testantis, credit*;" quamobrem, tametsi possit esse *certus* imo (si de fide divina sermo est) sit de facto *certissimus*, est tamen de re *inevidenti*:—*ab opinione* vero; quia *opinio*; "*est intellectualis assensus, qui fertur in alteram contradictionis partem cum formidine alterius*," et consequenter *immobilitatem* et *firmitatem* illam non habet, quae necessario requiruntur ad assensum *certum* habendum:—*ab errore* demum: quia error est: "*assensus mentis, quo difformium conformitatem affirmat*, vel *conformitatem eorum, quae sunt conformia, negat*;" proinde *falsum* judicium semper importat; at falsitas nequit unquam *cum evidentia* sociari, neque *certitudinem proprie dictam* in mente progignere.—Item sciendi actus non *apprehensio simplex* est: quia apprehensioni tres recensiti characteres *proprie* non conveniunt; sed *judicium* importat: judicium, inquam, quod, cum circa rem evidentem versatur, firmum ac certum est. Hic porro sciendi actus saepius repetitus *habitum* inducit, facilitatem nimirum, quae ad actum reproducendum inclinat.

II.—*Objectum* hujus actus est propositio, vel judicium *objective* spectatum, quatenus sc: est connexio subjecti cum praedicato, quam quidem connexionem veteres *enunciabile* dicunt. Hoc autem enunciabile debet esse *necessarium*, necessitate vel *absoluta* ex rerum essentiis emergente, vel saltem *hypothetica* ex constantia sc: legum naturalium, vel moralium dimanante. (n. 168.)

III.—*Ratio* demum, *per quam* hoc objectum cognoscitur, est *causa ipsius propria*, nempe *ratio ontologica* in ordine tum *existentiae*, tum praecipue *essentiae* (nn. 307. seq.), eaque debet esse *propria*, *per se* et *immediata* juxta ea, quae (n. 314. et seq.) diximus. Quamobrem excluditur a ratione scientiae, tum quaevis cognitio *historica* et *experimentalis*; tum iterum quaevis cognitio *motivo extrinseco* innixa; tum demum cognitio quaelibet vel *immediata*, vel *deducta* qua tantummodo cognoscimus *quod sit* res, vel *quia est*. (n. 308.)

Ut igitur *rem per suam causam* cognoscamus, tria necessario requiruntur: I.—ut cognoscamus *causam proximam* cur res sit; II.—ut cognoscamus id (quod causa rei dicitur) *hujus rei causam revera esse*, ita ut res *in ordine ontologico* ab illa dependeat: secus enim, etsi causam cognoscamus, non tamen cognoscimus rem per suam causam: III.—ut cognoscamus quod res, *propter* hujusce-

modi *causam, non possit aliter se habere*, aliis verbis, quod necessitas enunciabilis per hanc causam nobis explicetur. Haec tria complexus est Aristoteles dum ait: "Ille scit *proprie* et *simpliciter*, qui *causam* cognoscit cur res sit, et *illius causam* esse, et *aliter se habere non posse* firmiter tenet." (1. Post. 2.)

Ne tamen in errorem inducaris, observa primo.—Nos hic agere de scientia rerum, quae *causam* habent, cujusmodi sunt omnes res creatae, quae, si *quoad existentiam* considerantur, causam *extrinsecam*, sive efficientem, sive finalem, sive exemplarem habent: sin autem quoad constitutiva essentialia considerentur, sunt plus minusve compositae, et semper ipsarum essentia, veluti causa *intrinseca* consideranda est, ex qua proprietates et cetera, quae rei competunt, dimanant (n. 308.). Quod si res, de qua est scientia, *causam sui esse* non habet et *simplicissima* constat *entitate* (cujusmodi est Deus) tunc cognitio perfecta illius nil aliud exigit, nisi ut cognoscatur res *per rationem, vi cujus* est: et quoniam Deus est *per suam essentiam*, cognitio Dei perfecta illa est, qua Deus *intuitive* per ipsius essentiam cognoscitur. Haec autem cognitio perfecta non habetur ab homine in hac vita, sed beatis in patria reservatur.—Attamen et cognitio, quam de Deo in hac vita habere possumus, quamque Theologia naturalis suppeditat, *scientifica* est: nam postquam ex creaturis existentiam Entis necessarii cognovimus, ad hujus Entis essentiam rimandam, ope ratiocinii, assurgere possumus, eaque cognita eo modo, quo humano intellectui in hac vita est possibile, cognoscimus id, ratione cujus, attributa Deo conveniunt: est enim Divina Essentia, juxta nostrum modum concipiendi, veluti fons et principium, ex quo omnes ipsius proprietates promanant: et exinde ad haec attributa investiganda et deducenda procedimus.

Observa secundo.—Cognitio, quam humana mens de rebus creatis habet, tunc *perfecta* dici meretur atque ideo scientia *proprie* dicta, quando res per omnes suas causas sive *intrinsecas* (materialem sc: et formalem) sive *extrinsecas* (finalem sc: exemplarem et efficientem) cognoscuntur. Haec autem plena et absoluta rerum per omnes earumdem causas cognitio profecto haberi posset, hoc ipso quod quis plene *Efficientem* ipsarum *causam* cognosceret. Nam qui *perfecte* cognosceret *Effectorem* rei, cognosceret etiam *finem*, ad quem effector in molitione rei respicit; cognosceret *exemplar*, ad cujus imitationem effectum conformaret; cognosceret

etiam tum *formam*, quam effectui impertiret, tum *materiam*, qua effectus constaret, sive haec materia sit *proprie* dicta, qua sc: componuntur substantiae omnes materiales, sive *latissime* accepta, (*nomine materiae* accipiendo quicquid habet rationem *subjecti*), cujusmodi est *substantia* respectu *accidentium*, *essentia* respectu *existentiae*, *natura* respectu *personalitatis*, quo sensu etiam in substantiis immaterialibus creatis invenitur materia, vel melius *causa materialis*, quae magis patet, quam materia *proprie* dicta.—Fatendum tamen est, hanc plenam et absolutam rerum, quae nos circumstant, cognitionem *in praesenti vita* non esse possibilem; sed hoc non impedit, quominus ejus descriptio fiat, quemadmodum non impeditur Geometra a definitione circuli perfecta tradenda, licet circulus perfectus in rerum natura, vel in existentiarum numero non inveniatur. Cf. Kleutgen (tract. 4. c. 2. n. 294.)

Hisce praestabilitis:

337. Probatur I. pars assertionis.—Primum argumentum desumitur *ex parte objecti*, de quo scientia habetur.—Scientia est *perfecta* rei *cognitio*. Unde sic arguo. Ut *perfecta* habeatur cognitio, debet ordo *idealis* adamussim respondere ordini *reali;* et consequenter tunc *perfecte* cognoscitur res, quando cognoscitur, prouti est in ordine *ontologico*, sive *existentiae*, sive *essentiae*. Atqui in ordine *ontologico* est dependenter a suis causis. Ergo tunc *perfecte* cognoscitur res, cum *dependentur a suis causis* cognoscitur.—

Secundum argumentum desumitur ex *parte intellectus*.—Perfecta scientia illa est, quae explet *propensionem naturalem* intellectus humani. Atqui intellectus humanus naturalem propensionem habet ad *investigandas causas* rerum et non quiescit, nisi quando ipsas cognoverit. Ergo scientia *perfecta* tunc habetur, quando res cognoscuntur *per ipsarum causas*.—

Tertium argumentum desumitur *ex parte objecti intellectus*.—Objectum enim intellectus est ens, sub ratione veri. Veritas autem in adaequatione, seu similitudine rei ad suas causas consistit. Ergo intellectus rem, prouti est vera, non cognoscit, nisi hanc rei ad suas causas conformitatem deprehenderit. Ad rem S. Thomas. "Scire aliquid est *perfecte* cognoscere ipsum: hoc autem est *perfecte* apprehendere ejus *veritatem;* eadem enim sunt principia (τοῦ) *esse* rei et *veritatis* ipsius, ut patet ex 2. Metap. . . . . Oportet ergo scientem, si est perfecte cognoscens, quod cognoscat causam rei scitae." S. Th. (1. Post. Analy. l. 4.)

338. Corollarium,—Ergo scientia est *universalium*, non autem singularium. Objectum enim scientiae debet esse *necessarium* et *immutabile*: hanc autem necessitatem et immutabilitatem non habet nisi *essentia* rerum, quatenus *abstracta* est a conditionibus individuantibus: *essentia* autem *sic abstracta* constituit *universale*. Ergo *universale* est *objectum scientiae*, singulare autem non item. Nam singulare (dummodo Deum Optimum Maximum excipias, Qui, cum sit Ens *a se*, immutabilis ac necessarius est tum quoad *essentiam*, tum quoad *existentiam*, quae cum ipsius essentia plane identificatur) qua *tale*, nec necessitatem nec immutabilitatem praesefert. Cf. S. Th. (1. Post. lec. 16.)—item Op. 44. (de Syll. Dem. cap. 7.)

339. Probatur II. pars.—Et primo quidem.—Actus sciendi est *motus* quidem rationis, quo a principiis per se notis ad conclusionem (quae est *actus sciendi* objectum) proceditur. Atqui omnis motus *specificatur* a termino, prout respondet initio. Ergo et actus sciendi specificatur ab objecto, prout derivatur a principiis, quorum lumini subest.

Secundo.—Omnis cognitio *speciem* desumit *ab objecto formali*, i. e. ab illa forma, vel ratione, sub qua objectum materiale attingitur (n. 6.). Atqui scientia est cognitio. Ergo scientia desumit speciem ab objecto *formali*, seu ab objecto, *quatenus subest lumini* principiorum, vi quorum innotescit. Quamobrem merito S. Doctor ait: "Sicut *ratio formalis* visibilis sumitur *a lumine*, per quod color videtur; ita *ratio formalis* scibilis accipitur *secundum principia*, ex quibus aliquid scitur. Et ideo quantumcumque sint aliqua scibilia *diversa* per suam *naturam*, dummodo *per eadem principia* sciantur, pertinent *ad unam scientiam*, quia non erunt jam diversa, in quantum sunt *scibilia*: sunt enim *per sua principia* scibilia. Sicut patet quod voces humanae multum differunt secundum suam *naturam* a sonis inanimatorum corporum; sed quia secundum *eadem principia* attenditur *consonantia* in vocibus humanis et sonis inanimatorum corporum, *eadem* est *scientia musicae*, quae de utrisque considerat." (1. Poster. lect. 1.)

Dices.—Sed objectum est *extrinsecum*.

Respondeo.—Objectum *in se* consideratum est utique *extrinsecum*: hoc tamen non impedit, quominus *specificet* scientiam, quatenus haec cognitio est. Scientia enim dupliciter spectari potest, sc: ut *actus*, et ut *cognitio*: est namque actus cognoscitivus. Quatenus

actus est, specificatur per suam entitatem, qua *intrinsecus* constituitur: quatenus vero *cognitio* est, specificatur ab objecto, a quo habet, ut haec potius quam alia sit scientia. Id autem mirum videri nequit; siquidem cum cognitio sit imago et similitudo objecti. non nisi in ordine ad suum exemplar intelligi potest.

340. Probatur III. pars.—Finis cognitionis esse potest vel *mera veritatis contemplatio*, et sic cognitio *speculativa* est; vel *operatio*, quatenus sc: mens postquam objectum contemplata fuerit, in ea contemplatione non quiescat, sed *ulterius se promoveat* ad considerandum respectum, sub quo objectum ad operationem alliciat, et sic cognitio dicitur *practica*. Ergo scientia *inspecto fine*, quem respicit, est vel *speculativa*, vel *practica*.

"Scientia, ait S. Thomas, potest dici speculativa tripliciter.—Primo, ex parte *rerum scitarum*, quae non sunt operabiles a sciente, sicut est scientia hominis de rebus naturalibus, vel divinis.—Secundo, quantum *ad modum sciendi*, ut puta si aedificator consideret domum definiendo et dividendo, et considerando universalia praedicata ipsius; hoc siquidem est operabilia *modo speculativo* considerare, et non *secundum quod operabilia* sunt; operabile enim est aliquid per *applicationem* formae ad materiam, non per *resolutionem* compositi in principia universalia formalia.—Tertio, quantum *ad finem:* nam intellectus practicus *differt fine* a speculativo, ut dicitur (in 3. de anima tex. 49). Intellectus enim *practicus* ordinatur ad finem *operationis;* finis autem intellectus *speculativi* est *consideratio veritatis*. Unde si quis aedificator consideret qualiter posset fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit quantum ad finem, speculativa consideratio, tamen de re operabili.—Scientia igitur, quae est speculativa ratione *ipsius rei scitae*, est *speculativa* tantum. Quae vero speculativa est, vel secundum *modum*, vel secundum *finem*, est secundum quid *speculativa*, et secundum quid *practica*. Cum vero ordinatur *ad finem operationis* est simpliciter *practica*." (1. p. q. 14. a. 14.)—Cf. etiam (q. 79. a. 11.)—(qq. DD. de Veritate q. 3. a. 3.)—

Ex dictis intelliges effatum illud: "Intellectus speculativus extensione fit practicus." Quamobrem merito ait Clemens Alexandrinus: "Veritatis alia quidem est pars, quae versatur in *cognitione;* alia vero in *actione*, profluxit autem a contemplatione." 1. Stromatum 6.

DICO VI.—*Generalis divisio scientiarum optime desumitur a diverso abstractionis gradu: inspecto hoc fundamento, jure dividitur scientia in quinque primarias, sc: Physicam, Mathematicam, Metaphysicam, Logicam, Moralem, quibus reliquae naturales disciplinae recte subordinantur.*—

{ S. Th. Op. super Boet. *de Trinitate* q. 5. a. 1.—Item
{ 1. Par. q. 85. a. 1. ad 2um.—1. Ethicorum lect. 4.

341. Sumpta scientia seorsum pro simplici demonstrationis effectu, infinitam propemodum notionum multitudinem complectitur. Tot igitur erunt scientiae, quot demonstrationes institui possunt. At multitudo, nisi ordine instruatur, confusionem pariat necessum est. Opus est igitur, ut ars desumens a natura divisionis fundamentum eoque innixa, in classes varias has scientificas notiones distinguat. Sic et confusio vitabitur et claritas ac distinctio habebitur. At quodnam est hujusmodi fundamentum, quo philosophus inniti debet in hac scientiarum divisione peragenda?

Respondeo.—Sunt qui existimant hoc fundamentum esse *diversa objectorum genera:* alii in *diversitate potentiarum* hujusmodi fundamentum situm esse contendunt: alii volunt id esse *formas* varias, quibus *veritas nobis offertur:* S. Thomas vero autumat hoc fundamentum *in diverso abstractionis gradu* reponi debere, ab eoque scientiarum divisionem repetendam esse. Hanc sententiam nos tuemur, ad eamque ceteras omnes sententias, dummodo naturae ac rationi consentaneae sint, revocari posse censemus.

Pro doctrinae S. Thomae intelligentia, duo suppono.

342. Primo.—Generalis divisio actuum alicujus potentiae desumi debet *ex differentia characteris* illius, quo objectum efficitur idoneum, ut *per se* ab illa potentia attingatur. Jamvero hujusmodi character est *abstractio praecisiva* intellectus (n. 19.): tum quia objectum, quoadusque non abstahatur a conditionibus individuantibus, objectum est sensuum; at non adhuc est idoneum, ut a potentia intellectiva (quae *immaterialis* est atque ideo *objectum sibi proportionatum* requirit) attingatur *per se:* tum quia per abstractionem objectum evadit *universale* et consequenter *scibile* (n. 339.) Ergo generalis divisio scientiarum, prout sub se comprehendunt illationes et principia, a quibus derivantur, a diverso abstractionis gradu erit desumenda.—

343. Secundo.—*Quintuplex est abstractionis gradus;* et consequenter *quinque* sunt *scibilium principiorumque* ordines.

Primus gradus abstractionis habetur, cum intellectus abstrahit a sola *materia individuali*, v. g. "speciem hominis ab his carnibus et his ossibus, quae non sunt de ratione speciei, sed partes individui et ideo sine eis considerari potest."—*Objectum* ex hac abstractione resultans est *Ens corporeum* a singularitate quidem abstractum, attamen sensibilibus mutationibus affectum i. e. *Ens sensibiliter mutabile.*—*Principia* speculationis experientia sensuum colliguntur.—

Secundus *gradus abstractionis* habetur, cum intellectus praescindit non modo a materia individuali, sed etiam a materia *sensibili*, non item a materia *intelligibili*. "Materia *sensibilis*, ait S. Thomas, dicitur materia corporalis, secundum quod *subjacet* qualitatibus sensibilibus, sc: calido, frigido, duro, molli et hujusmodi: materia vero *intelligibilis* dicitur substantia, secundum quod *subjacet* (sc: est subjectum) quantitati. Manifestum est autem, quod quantitas *prius* inest substantiae, quam qualitates sensibiles. Unde quantitates, ut numeri et dimensiones et figurae, quae sunt terminationes quantitatum, possunt considerari absque *sensibilibus qualitatibus:* quod est eas abstrahi *a materia sensibili;* non tamen possunt considerari sine intellectu (sc: conceptu) *substantiae* quantitati *subjectae;* quod est eas abstrahi *a materia intelligibili communi:* possunt tamen considerari sine *hac*, vel *illa* substantia; quod est eas abstrahi *a materia intelligibili individuali.*" (1. p. q. 85. l. c.) —*Objectum scibile* ex hac abstractione resultans est *Ens quantum*, sive *discretum*, sive *continuum*, sc: substantia corporea sub sola notione quantitatis, remota omni sensibili mutabilitate.—*Principia* vero ex varia observatione numerorum vel figurarum, ope imaginationis conceptorum, suppeditantur.—

Tertius *abstractionis gradus* habetur, cum intellectus praescindit ab omni materia sive *individuali*, sive *sensibili*, sive *intelligibili*.—Objectum scibile ex hac abstractione resultans est *Ens immateriale* vel *positive*, vel *praecisive*. Ens immateriale *positive* illud dicitur, quod materiam omnem excludit ex suapte natura, quae omnino spiritualis est: hujusmodi est v. g. Deus. Ens vero immateriale *praecisive* dicitur illud, in quo materiae exclusio a praecisione mentis procedit. Hujusmodi sunt notiones transcendentales *Entis, unius, veri, boni, potentiae, actus*, etc: quae aptae sunt inesse non modo rebus materialibus, sed etiam immaterialibus.—*Principia* propria hujus abstractionis gradus *mera notionum identitate* nituntur, suntque omnia analytica.

Ultimus *gradus abstractionis* est, quo intellectus *ab ente reali* praescindit, et res considerat *reflexe*, prout in actu animi vel *cognoscitivo*, vel *affectivo* subsistunt (n. 36.). Hic autem abstractionis gradus necessario in duplicem ordinem distribuitur: duas enim et diversas facultates, et consequenter duplicem ordinem respicit, ordinem sc: ponendum *in actibus intellectus*, ut veritatem assequatur, et ordinem ponendum *in actibus voluntatis*, ut finem consequatur.—*Objectum* ex hoc duplici abstractionis ordine resultans, est duplex, *Ens* sc: *Logicum*, et *Morale*.—Principia ex duplici hoc ordine desumuntur et sunt vel *speculativa*, vel *practica*, modo supra explicato. (n. 340.)

Hisce praenotatis, constat quod in thesi asseruimus:

344. Scientiae debent dividi, juxta primarios abstractionis gradus, quibus sc: et objectum *proprium* et principia *propria* cujusque scientiae resultant. Atqui hi gradus sunt quinque. Ergo scientiae primariae, quibus ceterae omnes naturales scientiae subalternantur, sunt quinque, *Physica*, sc: *Mathematica*, *Metaphysica*, *Logica*, *Moralis*. Objectum et principia uniuscujusque supra determinavimus.—

Dico VII.—*Etsi nulla ex enumeratis scientiis primariis alteri proprie subalternetur,—tamen, si comparentur objecta ipsarummet ad invicem, Metaphysica caeteris praestat et dominatur:—si vero objectum unius cum actu alterius conferatur, scientia, cui ceterae subsint, potest haberi non modo Metaphysica, verum etiam Logica et Moralis.*

Cf. Suarez. (DD. MM. 1. sect. 5. nn. 44.—53.)

345. Haec assertio tres continet partes.

Pro intelligentia primae partis observo ex Suaresio, scientiam illam *proprie* subalternari alteri, quae *essentialiter* ab illa dependet in *esse scientiae*, ita ut scientia esse nequeat, nisi cum subalternante conjungatur ab eaque *evidentiam principiorum* sumat. Ratio autem hujus est. Scientia *subalternata* non habet principia *per se nota* et *immediata*, sed conclusiones (sc: *principia mediata*) demonstrabiles in alia scientia superiori. Ergo, quemadmodum scientia omnis *ab habitu principiorum* essentialiter dependet, quia ab illo evidentiam principiorum sumit; ita pariter scientia *subalternata* a *subalternante* dependet, utpote quae ab illa evidentiam suorum principiorum desumit.

Exinde fit, quod Scientiae, inter quas viget praedicta dependentia, seu subalternatio, debeant esse *diversae.* Nam, etsi in eadem scientia sit dependentia unius conclusionis ab altera usque ad prima principia, non tamen haec scientia dici potest vel *totaliter,* vel *partialiter* subalternata: quia, tametsi una conclusio alteri vel ejus demonstrationi subordinetur, tamen *absolute* tota scientia non *alteri scientiae priori,* sed *immediate* habitui principiorum subordinatur. Ad subalternationem igitur requiritur: 1.—ut scientiae (*subalternans* sc: et *subalternata*) sint *distinctae;* et 2.—quod praedicta subordinatio unius ab alia in *esse scientiae* habeatur. Contingit vero interdum scientiam aliquam non in omnibus suis principiis neque in omnium conclusionum demonstrationibus, sed in quibusdam tantum hanc dependentiam ab alia habere, et tunc illa non *totaliter,* sed *partialiter* alteri subalternata dicitur, quemadmodum contingit in geometria, respectu philosophiae naturalis.

Dependentia autem, de qua est sermo, oriri solet *ex subordinatione objectorum.* Nam sicut *esse scientiae* consistit *in ordine ad objectum,* ita et principia sunt illi proportionata. Quocirca, si objecta duarum scientiarum non sunt inter se subordinata (utpote genera et species omnino *condivisae*) inter has scientias vera non dabitur subordinatio. Hujusmodi porro *objectorum subordinatio* in eo sita est, quod objectum unius sit *idem* ac objectum alterius, adjecta aliqua *differentia accidentali,* quae in *esse Entis* sit *per accidens,* in *esse* autem *scibilis* sit aliquo modo *per se* et constituat *speciale* objectum scibile.—Nam quando objecta scientiae subordinantur etiam in *esse rei,* ut puta genus vel species, superius et inferius *essentialiter,* scientiae illae non possunt esse subordinatae, saltem *totaliter:* siquidem vel ad *eamdem scientiam* pertinent, si in eadem sunt abstractione (n. 342.); vel certe, si scientiae sunt diversae, erit *utraque subalternans,* quia utraque habet *propria principia,* quae desumuntur *ex propria differentia* objecti, quod considerat, vel *ex prima passione,* perque ea demonstrare poterit ceteras conclusiones, quae de posterioribus passionibus conficiuntur. Sic v. g. scientia *de homine,* non considerat quae conveniunt homini, ut *animal* est, sed ut *rationalis* est; et in his non subalternatur scientiae *de animali:* nam esse rationale *immediate* competit homini, ex eoque principio ceterae passiones, quae homini, quatenus *homo* est, conveniunt, derivantur. Quod si quaedam sint passiones,

quae ex gradu sensitivo, vel ex conjunctione sensibilis cum rationali dependeant, quantum ad istas scientia *de homine* scientiae *de animali* subalternabitur: at haec subalternatio *partialis* est, non *totalis.*—

Quamobrem ut *absoluta* et *totalis* subalternatio habeatur, necessum est: "ut *Subjectum* subalternatae addat *accidentalem* differentiam *subjecto* scientiae subalternantis, ut linea *visualis* addit lineae, numerus *sonorus* numero, corpus humanum *sanabile* corpori humano. Ex hac enim conjunctione provenit tum ut scientia, quae *specialiter* considerat proprietates ex illo conjuncto ut sic manantes, sit *diversa* a scientia, quae abstrahit ab illa compositione et subjectum secundum se considerat: tum etiam, ut *principia* talis scientiae sint *conclusiones* superioris scientiae; quia nimirum proprietates talis compositi oriuntur ex ipsis componentibus, et ex proprietatibus, quas secundum se habent, et in superiori scientia demonstrantur." Suarez l. c.

Quo posito:

Prob. 1. Assertionis pars.—Nulla ex quinque recensitis scientiis dependet essentialiter ab altera *in esse scientiae.* Nam unaquaeque *proprium* suum *objectum*, resultans ex *diverso* abstractionis gradu, habet. Unaquaeque habet *propria* sua *principia;* haec autem sunt immediata et indemonstrabilia *ostensive* saltem et *directe,* quod quidem sufficiens est, ut evidentiam habeant *immediate* ab habitu Principiorum et scientiam ingenerare possint. Quod si quandoque Metaphysica ista principia confirmat; haec tamen probatio *a*)—non est simpliciter necessaria ad judicium evidens talium principiorum, quia ex terminorum, quibus constant, apprehensione, cognosci possunt evidenter: *b*)—insuper haec probatio non est *a priori*, neque *directa*, sed per *deductionem ad absurdum*, vel ad summum per aliquam causam *extrinsecam*.

346. Probatur 2. assertionis pars.—Metaphysica ceteris scientiis naturalibus praestat *ratione Objecti.* Est enim Metaphysicae objectum Ens *immateriale*, sive *praecisive*, sive *positive.* Jamvero *Ens immateriale*, quatenus *reale* est, praestat Enti *logico;* quatenus vero est *in supremo immaterialitatis gradu*, praestat Enti, vel *sensibiliter mutabili*, vel *quanto*; quatenus vero est Ens *positive* immateriale, sc: Deus O. M., quod modo speculativo attingit, praestat objecto, quod sibi moralis praefigit. Cum enim Moralis *practica* scientia sit, notio Dei, quam ipsa praebet, *fundatur* in

notione Dei, quam suppeditat Metaphysica. Ergo.—Exinde etiam innotescit Metaphysicae prae ceteris excellentia *ratione principiorum.* Haec enim maxima ex parte ex notionibus efflorescunt, quae *communes* sunt *omnibus entibus*, ac proinde *maxima universalitate* fruuntur et *fundamentum* praebent principiis ceterarum scientiarum. Hinc fit, quod ceterae scientiae Metaphysica indigeant, nempe, ut observat Toletus:" Primo *ex parte subjectorum* indigent Metaphysica stabiliente *Ens*, *Substantiam*, *Accidens* etc: quae, nisi essent, subjecta reliqua ruerent.—Secundo: indigent *illius passionibus:* saepe enim de *uno*, de *multis*, de *identitate*, de *diversitate*, de *toto*, de *partibus*, et similibus scientiae tractant, quae metaphysica sunt.—Tertio: indigent, quia nullae propositiones ullam vim probativam haberent, nisi *in virtute principii* (contradictionis) "*quodlibet est, vel non est.*"—Quarto indigent, quia veritates *dignitatum* peculiarium *in virtute universalium* nituntur: et hoc sensu Metaphysica dicitur *probare principia* aliarum scientiarum, quia dum sua probat simul alia probat: ut v. g. qui "omne animal sensibile esse" probat, simul etiam "hominem sensibilem esse" probat, non *in propria forma;* ita pariter dum Metaphysicus stabilit suas communes dignitates et principia, stabilit inferiora, sed non *in propria forma particulari* ea demonstrat: imo nec sua semper demonstrat, nempe, quae *per se nota* sunt, sed a cavillis aliorum defendit, et contra negantes ea *dialectice* et *ad impossibile reducendo* invehitur." (1. Post. Analy. c. 7. q. 1.)—Cf. (nn. 324. 340.)

347. Probatur 3. assertionis pars.—Si *objectum* unius scientiae *cum actu* alterius conferatur, scientia, cui ceterae subsint, esse potest *sub respectu diverso* tum *Moralis*, tum *Logica*, tum *Metaphysica.*—

Et primo quidem *Moralis* praestat *ratione finis practice attingendi.*—Disserit enim *de ultimo fine* hominis et *de prudentia*, quae ad hunc finem dirigit: atqui *finis ultimus* est regula omnium finium inferiorum, et *prudentia* temperare debet omnes actiones humanas atque ideo *scientiam ipsam:* ergo Moralis, sub hoc respectu, *imperium* exercet in ceteras scientias, *imperium* inquam non speculativum, sed *practicum*, quatenus se: dictat bonum usum scientiae, ac proinde, quatenus respicit opus scientiae, magis ut est *opus voluntatis*, quam *intellectus.*—

Secundo.—*Logica* praestat ceteris scientiis, *ratione directionis actuum rationis.*—Speculatur enim ordinem ponendum in actibus rationis, ut *tuto, facile* et *sine errore* veritatem assequatur: ergo ex hac parte legem indicit singulis scientiis, quatenus ratiocinatione et actibus mentis rite ordinatis uti debent. Cf. Suarez. (l. c. sec. 5. nn. 36. 37.)

Tertio.—demum *Metaphysica* ceteras antecellit scientias, *ratione* notionum principiorumque *nobilitatis* ac *independentiae:* haec enim aliqua semper ratione in notiones ac principia ceterarum scientiarum influunt. Unde, sub hoc respectu, Metaphysica omnes scientias dirigit *imperio*, non practico, sed *speculativo.* Ad rem Suaresius, postquam duo in scientia distinxisset, sc: 1.—*veritatis contemplationem* et infallibilem vim, seu rectitudinem, illam attingendi: 2.—*bonum usum* talis scientiae et actuum ejus; primumque (non item secundum) cuilibet scientiae et omni virtuti intellectuali *per se, primo* et *essentialiter* competere docuisset, ita Metaphysicae, prae Morali, excellentiam ostendit. "Dirigere scientias priori modo, *ad veritatis* sc: *contemplationem*, per se primo ac maxime ad Metaphysicam pertinet, a qua quodammodo accipiunt *principia* et *terminorum* cognitionem et objecta, seu *quidditates* suorum objectorum. Et ratione hujus independentiae ac directionis dici potest Metaphysica imperare ceteris *imperio* potius *speculativo,* quam practico; ratione cujus ipsa *simpliciter* eminet in ratione *scientiae,* seu *Sapientiae* (int. naturalis). Demum addo, si Metaphysica consideretur, quatenus in *perfectissimo actu ejus* naturalis hominis felicitas consistit, sic ad illam, ut *ad finem,* ordinari non modo alias scientias, sed ipsas *morales virtutes* ac *ipsam prudentiam:* nam haec omnia ad felicitatem hominis ordinantur et actiones hominis ad hunc finem optime referuntur, ut sc: hominem disponant aptumque reddant ad divinam contemplationem, quae *formaliter* et *elicitive* ad hanc *scientiam* pertinet, licet habere debet conjunctum amorem, qui ex tali contemplatione solet nasci."

"Atque hac etiam ratione concludit Aristoteles Scientiam hanc ceteris imperare, quia contemplatur *summum Bonum* et ultimum finem simpliciter. Sicut enim in artibus, quae ad aliquem finem subordinantur, illa *Architectonica* est, aliisque imperat, quae *supremum finem* in illo *ordine* considerat; ita Metaphysica, quae considerat *absolute* finem ultimum scientiarum artiumque omnium totiusque vitae humanae, dicitur imperare omnibus esseque *omnium*

Princeps, non quia *proprie* et *practice* imperat, sed quasi *virtute* et *eminenter*. Non enim procedit *practice* ostendendo, quomodo ille finis sit obtinendus, aut alia in eum dirigenda, atque idcirco non *proprie* ac *formaliter* imperat: *ostendit* tamen *Finem*, in quem omnia sunt dirigenda eumque *omnium finem ultimum esse* ostendit; et ideo ex parte *rei cognitae*, virtute et eminenter, quantum est *ex se*, omnibus imperat omniaque in eum finem ac *summum Bonum* dirigit." Ita sapienter Suarez. (l. c. n. 45.)

DICO VIII.—*Licet in ordine pure naturali suprema scientia sit Metaphysica, tamen, supposito ordine supernaturali ac Fide, altior exurgit Scientia, quae ex principiis revelatis procedit, Theologia sc: Scholastica: haec autem, tametsi Scientiae Beatificae subalternata sit, tamen tum propter certitudinem, tum propter materiae dignitatem et finis excellentiam, omnes naturales disciplinas longe excellit. Huic proinde Metaphysica ipsa subjaceat necessum est.*—

S. Th. (1. p. qq. 3. et 5.)

348. Theologia Scholastica est: "Scientia, quae ex principiis revelatis ratiocinatur de Deo, ac de omnibus, quae ad Deum referuntur." Quatenus *principiis revelatis* utitur, distinguitur, et quidem *essentialiter*, a Theologia *naturali*; siquidem omnis scientia ab objecto suo *formali* speciem desumit: quatenus vero ex his principiis *ad conclusiones procedit*, distinguitur tum a *Fide simplici*, tum a Theologia *positiva*, quae disciplina illa est, quae, studio Scripturarum, Conciliorum et Patrum, dogmata revelata statuit et explicat.—Duo heic probanda veniunt. Primo:—Theologiam Scholasticam esse scientiam *proprie* dictam.—Secundo.—Theologiam Scholasticam in Encyclopædia christiana *absolutum primatum* obtinere. Utriusque probationem ex S. Thoma (1. p. q. 1. aa. 2. et 5.) desumam.

349. Probatur I. pars.—"Duplex est scientiarum genus. Quaedam enim sunt, quae procedunt ex principiis notis *lumine naturali* intellectus, sicut Arithmetica et Geometria, et hujusmodi; quaedam vero sunt, quae procedunt ex principiis notis *lumine superioris* scientiae, sicut Perspectiva procedit ex principiis per arithmeticam notis (unde ipsae scientiae proprie *subalternatae* sunt). Et hoc modo sacra Doctrina est *scientia*, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae sc: est *scientia Dei et Bea-*

torum. Unde, sicut musica *credit* principia tradita sibi ab Arithmetico, ita Doctrina sacra *credit* principia revelata sibi a Deo." Quamobrem ex eo quod sacra Doctrina procedit ex articulis fidei, qui non sunt *per se noti*, hoc non impedit quominus sit *scientia.* Nam "principia cujuslibet scientiae vel sunt *nota per se,* vel *reducuntur* ad notitiam *superioris* scientiae; et hujusmodi sunt principia sacrae doctrinae." Itaque Ipsa erit utique *subalternata* scientiae Dei et Beatorum, tamen erit vera et *proprie* dicta scientia.

Probatur II. pars.—"Ista scientia (Theologia Scholastica) cum sit, quantum ad aliquid *speculativa,* et quantum ad aliquid *practica,* omnes alias transcendit tam *speculativas,* quam *practicas.*—*Speculativarum* enim scientiarum una altera dignior dicitur, tum propter *certitudinem,* tum propter *dignitatem* materiae. Et quantum ad utrumque haec scientia alias speculativas excedit. Secundum *certitudinem* quidem: quia aliae scientiae certitudinem habent *ex naturali lumine* rationis humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem habet *ex lumine divinae scientiae,* quae decipi non potest. Secundum *dignitatem* vero materiae, quia ista scientia est principaliter de iis, quae sua altitudine rationem transcendunt: aliae vero scientiae considerant ea tantum, quae rationi subduntur. —*Practicarum* vero scientiarum illa dignior est, quae ad ulteriorem (ultimiorem) finem non ordinatur, sicut civilis: nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem hujus doctrinae, in quantum est *practica,* est beatitudo aeterna, ad quam, sicut ad ultimum finem, ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est *secundum omnem modum* eam *digniorem* esse aliis."—Ita S. Doctor.—Cf. etiam Lib. n. 259. et proleg. III.—

Dico IX.—*Quemadmodum duplici via mens scientiam acquirit, inventione sc: et disciplina; ita scientiam in prima principia analytica, quod partem rationalem, et in evidenti perceptione sensuum et conscientiae, quod partem empyricam, ultimo resolvit.*

S. Th. (qq. DD. de Magistro a. 1.)—(1. q. 117. a. 1.).—

Assertio duas continet partes, quarum prima scientiae *acquisitionem,* secunda scientiae *resolutionem* respicit.

350. Probatur I. pars.—Ut mens novas cognitiones ex principiis per se notis eliciat, non indiget nisi, ut haec principia subjectis

quibusdam peculiaribus *applicet*, quorum vel memoriam retinet, vel actu experimentum sumit. Hoc autem dupliciter perficere potest: vel *proprio marte*, vel *ductu alterius doctioris.* Atqui, si primum, habetur *inventio :* si secundum, *disciplina.* Ergo *duplici via* mens scientiam acquirit, *inventione* sc: et *disciplina.*—

351. Probatur II. pars.—Illud est *terminus regressus*, quod est *initium progressus.* Atqui *initium progressus*, quoad partem *rationalem*, qua scientia constat, cernitur in primis principiis, quae, cum immediata gaudent evidentia, nulli subjiciuntur demonstrationi (n. 304.); quoad partem vero *experimentalem*, cernitur in evidenti perceptione sensuum et conscientiae, qua existentia ipsa *per se* apprehenditur, atque ita fundamentum suppeditatur, quo ab ordine *ideali* ad *realem* fiat gradus. Ergo.—Cf. Liberatore nn. 275. et seq.

352. Quaeres.—Quomodo Magister *causat scientiam* in discipulo ?—

Respondeo.—Non quidem ut agens *principale*, sed ut *instrumentale* tantum; non vim intelligendi discipulo largiendo, vel augendo, sed ipsius mentem excitando et dirigendo dumtaxat, tum *a*)—*proponendo materiam*, cui discipulus applicet lucem principiorum, qua jam instruitur (n. 330.): tum etiam *b*)—*ordinem indicando*, quo principia disponi debeant, ut illationem patefaciant.

Ad rem S. Thomas. "Scientia acquiritur in homine et ab *interiore principio*, ut patet in eo, qui *per inventionem propriam* scientiam acquirit; et *a principio exteriori*, ut patet in eo, qui *addiscit.* Inest enim unicuique homini quoddam *principium* scientiae, sc: lumen intellectus agentis, per quod cognoscuntur statim a principio *naturaliter* quaedam universalia principia omnium scientiarum. Cum autem aliquis hujusmodi universalia principia *applicat* ad aliqua *particularia*, quorum *memoriam* et *experimentum* per sensum accipit, per inventionem propriam acquirit scientiam eorum, quae ignorabat, secundum quod dicitur 1. Post. "*omnis doctrina et omnis disciplina fit ex praeexistenti cognitione.*"

"Ducit autem magister discipulum *ex praecognitis* in cognitionem ignotorum, *dupliciter.*—Primo quidem *proponendo* ei *aliqua auxilia* vel *instrumenta*, quibus intellectus ejus utatur ad scientiam acquirendam: puta cum proponit ei aliquas *propositiones minus universales*, quas tamen ex praecognitis discipulus dijudicare potest,

vel cum proponit ei aliqua *sensibilia exempla*, vel *similia*, vel *opposita*, vel aliqua hujusmodi, ex quibus intellectus addiscentis manuducitur in cognitionem veritatis ignotae.—Alio modo, cum *confortat intellectum addiscentis* non quidem aliqua virtute activa superioris naturae (sicut supra dictum est de Angelis illuminantibus: quia omnes humani intellectus sunt *unius gradus* in ordine naturae) sed in quantum proponit discipulo *ordinem principiorum ad conclusiones*, qui forte per seipsum non haberet tantam virtutem collativam, ut ex principiis posset conclusiones deducere. Et ideo dicitur (in 1. Post. tex. 5.) quod "*Demonstratio est syllogismus faciens scire.*" Et per hunc modum ille, qui demonstrat, auditorem scientem facit." S. Th. (1. p. q. 117. a. 1.)

353. Totam hanc doctrinam sapienter declarat S. Thomas (in qq. Disputatis De Magistro). Et quoniam res est maximi momenti et ad alias quaestiones necessarias solvendas viam aperit, placet integrum articulum 1. heic exhibere. Proponit sibi S. Doctor hanc quaestionem:

"*Utrum sc: unus homo alium docere possit et dici ipsius Magister, an solus Deus?*"

Quam quaestionem in hanc modum resolvit.

"Respondeo dicendum quod in tribus eadem opinionum diversitas invenitur, sc: *in eductione formarum* in esse; *in acquisitione virtutum*; et *in acquisitione scientiarum.*

Sententiarum in hac re expositio.—"Quidam enim dixerunt, formas sensibiles omnes esse *ab extrinseco*, quod est a substantia, vel a forma separata, quam appellant datorem formarum, vel intelligentiam agentem; et quod omnia inferiora agentia naturalia non sunt nisi sicut *praeparantia materiam* ad formae susceptionem.—Similiter Avicenna in sua Met. dicit, quod habitus honesti causa non est actio nostra; sed actio prohibet ejus contrarium, et adaptat ad illum, ut accidat hic habitus *a substantia perficiente* animas hominum, quae est intelligentia agens, vel substantia ei consimilis.—Similiter etiam ponunt, quod scientia non efficitur in nobis, nisi *ab agente separato:* unde Avicenna ponit (6. de Naturalibus) quod formae intelligibiles effluunt in mentem nostram ab intelligentia agente.

"Quidam e contrario opinati sunt, sc: quod *omnia ista rebus essent indita*, nec ab exteriori causam haberent, sed solummodo quod per exteriorem actionem manifestantur. Posuerunt enim

quidam, quod omnes formae naturales essent *actu* in materia latentes, et quod agens naturale nihil aliud faceret, quam extrahere eas de occulto in manifestum.—Similiter etiam aliqui posuerunt, quod *habitus omnes virtutum* nobis sunt *inditi a natura*, sed per exercitium operum removentur impedimenta, quibus praedicti habitus quasi occultantur; sicut per limationem aufertur rubigo, ut claritas ferri manifestetur.—Similiter etiam aliqui dixerunt, quod animae est *omnium scientia* concreata; et quod, per hujusmodi doctrinam et hujusmodi scientiae adminicula exteriora, nihil fit aliud, nisi quod anima reducitur in recordationem vel considerationem eorum, quae prius scivit; unde dicunt quod *addiscere* nihil est aliud, quam *reminisci.*—

Refutatio utriusque opinionis.—"Utraque autem istarum opinionum est absque ratione.—Prima enim opinio *excludit causas propinquas*, dum effectus omnes in inferioribus provenientes, solis causis *primis* attribuit; in quo derogatur *ordini universi*, qui ordine et connexione causarum contexitur; dum *prima* causa ex eminentia bonitatis suae rebus aliis confert non solum *quod sint*, sed etiam quod *causae sint.*—Secunda etiam opinio *in idem quasi inconveniens* redit; cum enim removens prohibens non sit nisi *movens per accidens*, ut dicitur (8. Phys.); si inferiora agentia nihil aliud faciunt, quam producere de occulto in manifestum, *removendo impedimenta*, quibus formae et habitus virtutum et scientiarum occultabantur, sequetur quod omnia inferiora agentia non agant nisi *per accidens*,

Doctrina tenenda.—"Et ideo secundum doctrinam Aristotelis (1. Phys. com. 78.), *media via* inter has duas tenenda est in omnibus praedictis.—*Formae* enim *naturales* praeexistunt quidem *in materia*, non *in actu*, ut alii dicebant, sed *in potentia* solum, de qua *in actum* reducuntur per agens *extrinsecum* proximum, non solum per agens primum, ut alia opinio ponebat.—Similiter etiam secundum ipsius sententiam (6. Ethic. 2.) virtutum habitus ante earum consummationem praeexistunt in nobis in quibusdam naturalibus inclinationibus, quae sunt quaedam virtutum *inchoationes*, sed postea *per exercitium* operum adducuntur in debitam *consummationem.*

"Similiter etiam dicendum est *de Scientiae acquisitione:* quod (sc:) *praeexistunt* in nobis quaedam scientiarum semina, sc: *primae conceptiones* intellectus, quae statim *lumine intellectus agentis* cog-

noscuntur per *species a sensibilibus abstractas,* sive sint complexa, ut *Dignitates,* sive incomplexa, ut *ratio Entis* et *Unius* et hujusmodi, quae statim intellectus apprehendit. Ex istis autem principiis universalibus omnia principia sequuntur, sicut ex quibusdam rationibus seminalibus. Quando ergo ex istis universalibus cognitionibus mens educitur, ut *actu* cognoscat particularia, quas prius *in potentia,* et quasi in universali cognoscebantur, tunc aliquis dicitur *scientiam acquirere.*

"Sciendum tamen est, quod in naturalibus rebus aliquid *praeexistit in potentia* dupliciter.—Uno modo in potentia *activa completa,* quando sc: principium *intrinsecum* sufficienter potest perducere in actum perfectum, sicut patet in sanatione: ex virtute enim naturali, quae est in aegro, aeger ad sanitatem perducitur.—Alio modo in potentia *passiva,* quando sc: principium *intrinsecum* non sufficit ad educendum in actum, sicut patet quando in aere fit ignis: hoc enim fieri non potest per aliquam virtutem in aere existentem.—Quando igitur praeexistit aliquid in potentia *activa completa,* tunc agens *extrinsecum* non agit, nisi *adjuvando* agens intrinsecum et *ministrando* ei ea, quibus possit in actum exire, sicut medicus in sanatione est minister naturae (quae *principialiter* operatur) confortando naturam et apponendo medicinas, quibus, veluti instrumentis, natura utitur ad sanationem. Quando vero aliquid praeexistit in potentia *passiva* tantum, tunc agens *extrinsecum* est quod educit *principaliter* de potentia in actum; sicut ignis facit de aere, qui est *potentia* ignis, *actu* ignem.

"*Scientia* ergo praeexistit in addiscente in potentia non *pure passiva,* sed *activa;* alias homo non posset per se ipsum acquirere scientiam. Sicut ergo aliquis dupliciter sanatur, uno modo *per operationem naturae tantum:* alio modo *a natura* cum *adminiculo medicinae;* ita etiam est *duplex modus* acquirendi scientiam: unus, quando naturalis ratio *per seipsam* devenit in cognitionem ignotorum, et hic modus dicitur *inventio;* alius quando rationi naturali aliquis *exterius* adminiculatur, et hic modus dicitur *disciplina.*

"In his autem, quae fiunt a natura et arte, eodem modo operatur *ars,* et per eadem media, quibus et natura. Sicut enim natura in eo, qui ex frigida causa laborat, calefaciendo induceret sanitatem, ita et medicus; unde et *ars dicitur imitari naturam.* Similiter etiam contingit *in scientiae acquisitione,* quod eodem modo docens

alium ad scientiam ignotorum deducit *inveniendo*, sicut si aliquis deducit seipsum in cognitionem ignoti. Processus autem rationis provenientis ad cognitionem ignoti *in inveniendo* est, ut principia communia *per se* nota applicet *ad determinatas materias*, et inde procedat in aliquas particulares conclusiones, et ex his in alias; unde et secundum hoc, *unus alium docere* dicitur, quod istum discursum rationis, quem *in se* facit ratione naturali, *alteri* exponit per signa, et sic ratio naturalis discipuli per hujusmodi sibi proposita, sicut per quaedam instrumenta, pervenit in cognitionem ignotorum. Sicut ergo medicus dicitur *causare sanitatem* in infirmo, ***natura operante;*** ita etiam homo dicitur *causare scientiam* in alio, ***operatione rationis naturalis illius;*** et hoc est *docere*. Unde unus homo alium docere dicitur, et ejus esse magister. Et secundum hoc dicit Philosophus (1. Posteriorum) quod demonstratio est: "*syllogismus faciens scire.*

"Si autem aliquis alicui proponat ea, quae in principiis *per se* notis non includuntur, vel includi non manifestantur; non faciet in eo *scientiam*, sed forte *opinionem*, vel *fidem;* quamvis etiam hoc aliquo modo ex principiis innatis causetur. Ex ipsis enim principiis *per se* notis considerat quod ea, quae ex iis *necessario* consequuntur, sunt *certitudinaliter* tenenda; quae vero sunt *eis contraria totaliter*, respuenda; aliis autem assensum praebere *potest*, vel *non*.

"Hujusmodi autem rationis lumen, quo principia hujusmodi sunt nobis nota, est nobis *a Deo inditum*, quasi quaedam similitudo increatae veritatis in nobis resultantis. Unde cum omnis doctrina humana efficaciam habere non possit, nisi *ex virtute illius luminis:* constat quod solus Deus est, qui *interius* et *principaliter* docet, sicut natura *interius* etiam et *principaliter* sanat."—Ita S. Doctor

354. Ut autem quae huc usque ex S. Doctore transripsimus, ad certa capita revocemus, quae sequuntur accipe.

Docet itaque S. Doctor:

Primo.—Scientiam in nobis *praeexistere* non quidem potentia pure *passiva*, sed *activa*. Nam conclusiones, quarum complexu constat scientia, *virtualiter* continentur in principiis ***per se notis***, atque haec principia *virtualiter* continentur ***in lumine rationis*** divinitus nobis concesso. Hujusmodi autem lumen nil est aliud nisi *vis abstractiva* mentis, quae a munere, quo fungitur, ***abstrahendi*** sc: species intelligibiles a phantasmatibus, denominatur ***Intel-***

lectus agens et sic distinguitur a facultate intellectiva, quae, quatenus potentiam cognoscendi dicit, *Intellectus possibilis* denominationem accipit. Porro Intellectus agens *lumen intellectuale* dicitur, quippe illuminando phantasmata, ea facit *actu* intelligibilia, desumpta metaphora a lumine sensibili.—Cf. Lib. Conoscenza (v. 2. c. 6. aa. 1. e 2.)

Secundo.—Hoc intellectuale lumen facit, ut nos cognoscamus prima principia, mediantibus speciebus, quas a sensibilibus repraesentationibus abstrahit: haec autem principia id praestant, ut nos deveniamus in cognitionem *illationum*, ea applicando ad particularia *subjecta*, vel ad determinatas *materias*, quarum vel memoriam habemus, vel experimentum sumimus.

Tertio.—Hujusmodi porro principiorum *applicatio* dupliciter fieri potest ab homine: vel *proprio marte* et sine exteriori adjumento; vel *adjumento* et *directione* Docentis. In primo casu fit processus in scientiam *per viam inventionis*, in secundo *per disciplinam*.—

Quarto.—Hoc autem Magisterium (seu directio et adjuvamen extrinsecum a docente exhibitum) in eo totum consistit, ut magister discipulo proponat *voce*, vel quovis alio extrinseco signo *eumdem ordinem*, quem ipsemet in applicatione principiorum ad determinatas materias sequutus est.

Quinto.—Discipulus vero, accepta notitia hujus ordinis, aciem attentionis suae convertit ad lucem principiorum, quae jam ipsi sunt *praecognita*, et illa applicat ad determinata subjecta. Hinc fit, ut ex lumine horum principiorum, quae interius intuetur, vim *illativam* ipsorum persentiat scientiamque conclusionum acquirat.—

Atque haec de argumentatione dicta sufficiant.—

CAPUT I.

DE METHODO.

355. Examinavimus hucusque *instrumentum*, quo rite ratiocinari atque ita ad scientiae acquisitionem pervenire possimus. At nil juverit instrumentum *per se* aptum ad finem attingendum tradidisse, nisi una indicemus *viam*, quam sequi debemus, ut ad terminum nobis propositum *tuto* perveniamus. Id namque exigit ex una parte *finis* i. e. scientiae acquirendae arduitas, ex altera vero *humanae mentis infirmitas*. Non enim *immediate* acquiritur ab homine scientia, sed *mediate* et quidem longo ac saepe saepius satis complexo et intricato experimentorum, judiciorum ratiociniorumque processu; aliunde vero satis constat et experientia quotidiana ostendit humanam mentem adeo esse infirmam, ut nisi ipsi *ordo modusque* procedendi exhibeatur, et *via*, quam sequi debet, ostendatur, facile contingat, quod a recto veritatis tramite deflectat. Hunc procedendi modum, hunc ordinem, hanc viam *Methodus* suppeditabit.

Methodus a *μετα cum οδος via*, idem importat ac *cum via*, seu *cum ratione*, et ordinem disciplinae significat, qui quidem ordo facilius et tutius ad veritatis assequutionem dirigit, quemadmodum via brevis et expedita facilius ac tutius ducit ad terminum. Habita igitur vocis etymologiae ratione, methodus est: ordinatus modus in scientiis procedendi: et definiri potest: "ordo, quem mens servare debet in suis operationibus, ut veritatem inveniat et scientiam sibi comparet."

De methodo itaque acturi, ut cum ordine et claritate procedamus, quae sequuntur, inquiremus.

Primo.—Quotuplex sit Methodus?

Secundo.—Quae methodus sit adhibenda tum in alicujus rei *definitione* venanda, cum *in veritate*, quae judiciis continetur, *investiganda* et *explicanda?*

Tertio.—Quaenam methodus *in quaestionibus solvendis*, vel aliis, cum solutae fuerint, *enodandis* inserviet?

Quarto.—Quanam methodo uti debeamus *in scientia* inquirenda, vel tradenda.

Quinto.—Quaenam methodus sit utilior in *disputationibus peragendis.*—

Dico I.—*Methodus est* vel *synthetica,* vel *analytica, prout mens a consideratione partium, simplicium, universalium et causae* ad *considerationem effectus, particularium, compositi et totius procedit:* vel *inversum tenet iter.*—

356. Pro assertionis intelligentia praenoto.—*Analysis,* (ἀνάλυσις, seu *resolutio*) est: "illa operatio, qua *totum* aliquod in suas *partes* decomponitur et *compositum* in *elementa,* quibus constat, resolvitur." E contra *Synthesis,* (σύνθεσις, seu *compositio*), est: "illa operatio, qua *partes* uniuntur ad *totum* aliquod efformandum, et *elementa* in unitate *compositi* reducuntur." Sic v. g. quando hydrogenium et oxigenium misces ad aquam efformandam, *synthesim* peragis; cum vero aquam in hydrogenium et oxigenium decomponis, *analysim* adhibes.

357. Probatur assertio.—I.—Mens humana per unum simplicem conceptum non concipit *adaequaté,* nec exhaurit *distincte* et *clare* rem conceptam, quemadmodum faciunt Deus et Angeli, sed, postquam illam confusa quadam et indeterminata ratione cognoverit, necessum habet, ut iteratis actibus ad singulas ejus notas, quae veluti partes in ipsius *comprehensione* vel *extensione* continentur, considerandas accedat, hisque successive et pedetentim intellectis, distinctam rei cognitionem assequetur.—Hinc fit, ut mens, in dati alicujus objecti consideratione duplici via insistere potest. Primo:—potest incipere a consideratione confusa illius objecti, quod per modum alicujus *totius,* vel *compositi,* primitus ipsi exhibetur, quatenus sc: mens cognoscit aliquid, in quo plura continentur; sine hoc, quod habeat *propriam* notitiam uniuscujusque eorum et postea illud in *partes* vel *elementa,* quibus constat, resolvendo, ad has partes, vel elementa consideranda gradatim accedere, donec ad ultima elementa non ulterius resolubilia deveniat.—Secundo:—potest mens a simplicissimis objecti partibus et elementis considerandis initium sumere, et ab iis ad magis composita, per quosdam veluti gradus procedere, donec objectum totum cognitione complectatur.—In priori casu mens *resolvit,* in posteriori *componit,* in illo *Analysim,* in isto *Synthesim* exercet. Est ergo *analysis:* "processus, quo mens a *toto* ad *partes,* a *composito* ad *elementa*

procedit;" *synthesis* vero est: "processus, quo mens ab *elementis* ad *compositum*, a *partibus* ad *totum* graditur."—

II.—Uterque processus versari potest tam circa *totum actuale* (sive *physicum*, sive *metaphysicum*, sive *integrale*), quam circa *totum potentiale* (sc: *universale* seu *logicum*) (n. 119.). Prior dicebatur a Scholasticis *Analysis*, respectu *totius actualis*, *collectio* vero (συναγωγή), respectu *totius logici*: posterior vero *Synthesis*. respectu *totius actualis*; *divisio* (seu διαίρεσις) respectu *totius logici* ab iisdem appellabatur. Ratio est: quia Totum *Logicum*, puta genus, quando ad inferiora descendit, *dividitur*, et contra fit *collectio* cum ab inferioribus ad superiora fit gradus. Fatendum tamen est *Totius Logici* divisionem, potius ac verius *compositionem* esse, quam divisionem: *dividitur* namque Totum Logicum, v. g. genus, *additione* differentiarum, quae una cum ipso *speciem componunt*: item fatendum est *Totius Logici* collectionem, potius ac verius *resolutionem* esse, quam collectionem: nam cum ex inferioribus, seu particularibus, superiora, seu universalia *colligimus*, revera inferioris, seu particularis notionem *resolvimus*, et neglectis iis notis, in quibus differunt, communem solummodo notam attendimus. Quamobrem jure meritoque *analysis* exercetur et dicitur: "processus omnis a *notionibus particularibus* ad *universales*;" et e contra *synthesis*: "processus omnis ab *universalibus notionibus* ad *particulares*."

III.—Demum "processus a *causa* ad *effectus*" *syntheticus*; "processus vero ab *effectu* ad *causam*" est et jure merito nuncupatur *analyticus*. Nam causa, si *intrinseca* est (puta *materialis*, vel *formalis*) se habet ad effectum, ut pars ad *totum*, ut *elementum* ad *compositum*; sin autem *extrinseca* sit, v. g. *efficiens*, suo effectu *universalior* est et *simplicior*; item ad effectum comparatur *per modum partis*, nam *esse causatum* et *a tali causa procedere* una est ex notis, seu partibus notionis *effectus*. Ex dictis declarata et probata manet assertio.

358. Ex dictis colligere poteris, quaenam mentis operationes *analyticae*, quaenam vero *syntheticae* dicendae sint.—*Analyticae* operationes sunt: *a*)—*Abstractio*, qua vel notio universalis ex particularibus veluti educitur; vel proprietas, remoto subjecto, consideratur: *b*)—*Divisio*: *c*)—*Inductio*, qua ex singularibus sufficienter enumeratis veritas universalis colligitur: *d*)—*mutationes algebraicae*, quibus quandoque formulae minus late patentes

in generaliores vertuntur.—E contra *syntheticae* operationes exercentur, quando vel *a'*)—subjectum aliquod *definitur;* vel *b'*)—*effectus ex causis* demonstratur; vel *c'*)—*axiomata* singularibus, vel *particularibus* objectis *applicantur;* vel demum, *a'*)—*ratiocinatio instituitur*: est enim ratiocinationis proprium peculiare ex universali deducere. Cf. Auctorem n. 262.

DICO II.—*Ad venandam alicujus rei Definitionem utraque methodo uti possumus, sc: analytica, ascendendo; synthetica, descendendo.—Ad inveniendam autem veritatem, quae judiciis continetur, adhibebimus analysim, vel synthesim, prout a consideratione subjecti exordientes ad considerationem praedicati progrediemur, vel inversum servabimus iter.—*

359. Assertio duas continet partes.—Prior pars jam fuit explicata, ubi de Definitione egimus: duplicem enim regulam definitionis venandae, regulam sc: *per ascensum* et regulam *per descensum* tradidimus (n. 129.). Juverit hic illas duobus exemplis illustrare. Quamobrem quaeritur;

I.—Quomodo inveniri possit definitio *Ternarii* per viam *descensus?*

Respondeo.—Sumi debent ea, quae rei definiendae, sc: *Ternario*, sunt cum aliis rebus (*numeris*) communia et usque eo procedendum erit, dum hoc commune per *adjectionem* notarum *proprium* efficiatur, quod in nullam aliam rem transferri possit. Quo posito, sic procedam. Ternarium est *numerus:* at haec proprietas est ipsi communis cum aliis numeris.—Ternarium est numerus *impar*: haec proprietas distinguit profecto ipsum a numeris *paribus*, sed adhuc communis est; multi enim sunt numeri impares, qui tamen non sunt *ternarium.*—Ternarium est numerus impar *primus:* potest autem numerus esse primus duplici ratione; vel, *α*)—quia *non mensuratur ullo numero saepius repetito*, sed sola unitate; vel, *β*)—quia *ex aliis numeris non componitur.* Jam age *Ternarium* est numerus *impar primus utroque modo.* Haec autem proprietas convenit necne soli ternario? Profecto *Binarium* est primus *utroque modo*, sed non est numerus impar: *Quinarium*, quod proxime sequitur *ternarium*, inter numeros impares est quidem primus, at uno tantum modo, quatenus sc: non mensuratur eodem numero saepius repetito, at ipsum aliis numeris, *binario* sc: et

ternario componitur: id a fortiori de aliis numeris superioribus dicendum erit. Quocirca tria illa praedicata *impar primus utroque modo* non conveniunt nisi *Ternario*, unde haec definitio "*numerus impar primus utroque modo*" reciprocatur cum definito: et consequenter est *definitio quaesita*.—(Cf. 11. Post. c. 16.)

II.—Quomodo invenitur definitio Justitiae *per viam ascensus?*

Respondeo.—Invenienda est *ratio communis* nominis quaesita. Quo posito sic procedam. Multi *denominantur* justi, sc: tum quidam *mercatores*, tum illi, qui *damma illata compensant*, tum *parentes*, tum *judices*. Verum si hos singillatim considero, deprehendo ideo mercatores denominari *justos*, quia tantum reddunt, quantum requiritur, ut servetur aequalitas cum eo, quod debent: ob eamdem rationem *justos* dici, qui damna illata compensant: Judices vero et parentes ideo denominari *justos*, quia praemia, vel poenas, pro meritis vel demeritis personarum distribuunt. Exinde concludo duas esse *rationes specificas* justitiae, quarum una servat *aequalitatem rei cum re;* altera vero servat *proportionem rei cum persona.* Prior justitia *commutativa*, posterior justitia *distributiva* dicitur. At quaenam est *ratio utrique communis?* Profecto hujusmodi ratio in eo cernitur, quod in utroque casu jus suum unicuique tribuatur: nam et illi, qui reddunt quod debent, et illi, qui merita, vel demerita compensant, in eo conveniunt, quod *unicuique suum jus tribuant.* Quamobrem justitia *commutativa* et *distributiva* revocantur, *veluti species*, ad genus justitiae, quae definiri proinde poterit: "*Habitus, secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit.*" Atque haec erit definitio quaesita.

Ut vides in primo casu mens ab universalibus ad particularia *descendit;* in posteriori ab inferioribus ad superiora *ascendit*: Unde in via descensus, *synthesim*, in via vero ascensus *analysim* adhibet: prior est facilior, posterior vero difficilior.—

360. Probatur II. assertionis pars.—In judicio affirmatur identitas vel diversitas *objectiva* notionum ad invicem comparatarum (n. 137.): ita tamen ut *Subjectum* exprimat objectum, secundum significatum *materiale*, i. e. prout est *a parte sui: praedicatum* vero exprimat objectum, secundum significatum *formale*, i. e. prout ab intellectu *hic* et *nunc* concipitur et per conceptum exprimitur; unum vero refertur ad aliud per *copulam*, quae identitatis est signum (n. 136.). Quamobrem *Praedicatum* comparari potest ad

subjectum, ut *universale* ad *particulare*, ut *pars* ad *totum*, ut *simplex* ad *compositum*, (et si quando *partem essentialem* exprimit) ut *causa intrinseca* ad *effectum*. Atqui processus a *parte* ad *totum*, a *simplici* ad *compositum*, a *superiori* ad *inferius*, a *causa* ad *effectum*, est *synthesis*; processus vero inversus est *analysis*. Ergo quotiescumque in judiciis ex consideratione *praedicati* ad *subjecti* considerationem fit transitus, adhibetur *Synthesis*; quotiescumque autem ex consideratione *subjecti* ad considerationem *praedicati* proceditur, *Analysis* adhibetur.

361. Quando Ratiocinatio, per quam a praedicato ad subjectum, aut a subjecto ad praedicatum devenitur, est *simplex* et uno continetur syllogismo, discrimen utriusque methodi dignoscitur in *mentali* quidem *operatione* ex fonte, unde *Medius* desumitur: si enim *medius terminus* desumitur ex consideratione *subjecti*, methodus erit *analytica*: sin autem ex consideratione praedicati, methodus erit *synthetica*: in orali vero expressione dignoscitur ex *diversa praemissarum dispositione*: si assumptio *praecedit* propositionem, methodus erit *analytica*, si vero *subsequitur*, methodus erit *synthetica*. Quoniam vero naturalis praemissarum dispositio est, ut Propositio primum locum in syllogismo teneat, consequenter Syllogismus inter *syntheticos* processus adnumerari consuevit.

362. Quando vero transitus ad conclusionem multorum ratiociniorum serie continetur, discrimen utriusque methodi est plane manifestum. Sic v. g. cognoscere volo, an:

"*Ille qui cupiditates suas non coercet* sit *miser?*"

duplici via procedere possum: vel, a)—incipiendo a *consideratione subjecti*: vel, b)—incipiendo a *consideratione praedicati. Subjectum* est: "*qui cupiditates suas non coercet: Praedicatum* est: *miser.*"—Itaque:

a)—Perpendo subjectum, et invenio hoc esse proprium illius, qui *cupiditates suas non coercet*, ut multa desideret: concludo:

"Qui cupiditates suas non coercet *multa desiderat.*"

Considero illum, qui multa desiderat et invenio quod ideo multa desiderat, quia *multis eget;* concludo:

"Qui multa desiderat, *multis eget.*"

At certe ille, qui multis eget, *inquietus vivit;* concludo:

"Qui multis eget *inquietus vivit.*"

Qui autem vivit inquietus, *miser* est. Inveni proinde, quod quaerebam et concludo:

Ille, qui cupiditates suas non coercet, est miser.

Ut vides processus adhibitus fuit *analyticus:* a consideratione enim *subjecti*, per viam *resolutionis*, ad *praedicatum* devenit.

b)—Perpendo praedicatum *miser*, et invenio hanc notam competere illi, *qui vivit inquietus:* considero hanc notam inventam; reperio illam convenire illi, *qui multis eget:* hanc ulterius perpendo et invenio proprium esse illius, qui *multa desiderat*, multis egere. At quinam est ille, qui multa desiderat? Profecto inter alios, ille, *qui cupiditates suas non coercet*, desiderio tenetur multorum. Concludo, quod quaerebam:

"*Ille, qui, cupiditates suas non coercet, est miser.*"

Hic processus est *syntheticus:* a consideratione enim universalioris, sc: *praedicati*, ad *subjectum*, per viam *collectionis*, seu *compositionis*, devenit.

Cognita natura utriusque methodi, prout ad veritatem, quae judiciis continetur, inveniendam, adhiberi *potest;* ulterius quaeri quis potest, quaenam ex his *servanda erit?* Responsio patebit ex dicendis.

Dico III.—*Quamvis in quaestionibus solvendis et in propositionibus probandis sive analytice, sive synthetice procedere possimus, ut ex dictis liquet: nihilominus in quaestionum resolutione Methodus analytica, in propositionibus vero probandis, Synthetica methodus erit, ut plurimum, opportunior. Quamobrem illa Inventionis, haec Doctrinae methodus jure nuncupatur.*—

Assertio duas continet partes, quarum prima respicit *Problematum*, seu Quaestionum *solutionem:* secunda vero *Theorematum*, seu Conclusionum *probationem.*

363. Declaratur I. Assertionis pars.—Quando proponitur aliqua quaestio, vel *Problema*, datur unum extremorum et quaeritur alterum: nam, quemadmodum supra monuimus et per se est manifestum, si *utrumque* extremorum datur, quaestio erit eo ipso *soluta;* sin autem *neutrum* detur, quaestio nedum proponatur, profecto *ignoratur.* Ex extremis vero illud, quod generatim datur, est *subjectum*, illud autem, quod quaeritur, est *Praedicatum:* solet enim, ut plurimum, dari concretum aliquod ens et quaeri aliqua ipsius proprietas, quae se habet consequenter ad illud, ut *universale*, vel *simplex*, respectu *particularis*, vel *compositi.*

Atque hoc fortasse in causa fuit, cur quidam recentiores Philosophi putaverint *analysim* semper a cognito ad incognitum; *synthesim* vero ab ignoto ad notum procedere. Hujusmodi autem opinatio, si in tota sua generalitate sumatur, falsa est. Etsi enim concedamus subjectum, generatim loquendo, esse *datum*, praedicatum vero esse *quaesitum*; fatendum tamen est quandoque contrarium verificari, aut saltem verificari posse. Sic v. g. si proponatur haec quaestio: "Quaenam sit *proprietas* illorum angulorum, quorum vertex est in eadem peripheria, et quorum latera innituntur extremitatibus unius ejusdemque diametri?" Responsio esset: "proprietas illorum angulorum est ut sint *recti*." In hoc casu datum fuit *subjectum*: *inventum* vero, et consequenter *quaesitum*, fuit praedicatum: siquidem angulus *rectus*, magis patet, quam angulus ita descriptus; nam, praeter angulos *rectos* ita descriptos, dantur innumeri alii anguli *recti*.—At si quaestio proposita fuisset hoc modo: "Inscribatur in data aliqua circumferentia angulus *rectus*;" in hac certe hypothesi daretur *praedicatum* et quaereretur *subjectum*. Ergo non semper subjectum est terminus *datus*, sed quandoque hujusmodi terminus est praedicatum. Quoniam vero nequit umquam praedicatum habere *majorem* compositionem, quam habet Subjectum (nn. 158. 159.), consequenter nequit fieri transitus a praedicato ad subjectum via *analysis*, seu *resolutionis*. Quomodo igitur methodus ab universali noto (praedicato) transibit ad particulare ignotum (sc: subjectum)?

Respondeo.—Duae hypotheses fingi possunt: vel, *a*)—praedicatum habet *eamdem* extensionem, quam habere debet subjectum, de quo quaeritur: vel, *b*)—praedicatum habet extensionem *majorem*. Si *a*)—Propositio converti potest *simpliciter* et dici tuto poterit fieri transitus a subjecto ad praedicatum; nec ulla occurrit specialis difficultas. Sin autem *b*)—contigerit, non nisi *synthesis* poterit perducere a noto ad ignotum. An vero *de facto* ad quaestionis solutionem perducat, id pendet a modo, quo quaestio proponitur. Si enim *datur* tantummodo *Praedicatum*, nec dantur conditiones sufficientes ad limitandum, vel determinandum subjectum *incognitum*, Quaestio erit *indefinita* dicique solet Problema *indeterminatum* quodque proinde innumeras suscipere poterit solutiones. Ratio est: quia praedicatum, utpote sua natura universalius subjecto, nequit esse proprietas *specifica* ipsius subjecti, sed ad summum esse poterit proprietas *generica*, quae non modo huic

subjecto, de quo quaeritur, sed et aliis competere poterit. Sic v. g. si quis quaereret: "quinam sint numeri illi, qui simul multiplicati dant centum?" is certe quaestionem *indeterminatam* proponeret, quae multiplicem subire poterit solutionem, si nomine numeri intelligantur non modo integri sed et fractiones, et numeri tam positivi, quam negativi.

Haec Problemata *indeterminata* duplici ratione solvi queunt.

Primo.—Emendetur proposita quaestio, et quin determinetur species vel individuum, assignetur *genus* commensuratum extensioni dati praedicati. Sic propositae quaestioni responderi potest, quaesitos numeros esse illos omnes, qui continentur hac formula. $\left(a \text{ et } \frac{100}{a}\right)$. Hic procedendi modus revocatur ad praecedentem: totus enim in eo consistit ut extensio subjecti augeatur, donec praedicati extensioni aequalis evadat, atque ita subjectum fiat cum praedicato convertibile.

Secundo.—Substituantur propositae quaestioni tot *hypotheticae* conditiones, quot sufficiant, ut *Subjectum determinetur*; hujusmodi essent in proposito problemate, v. g. quod solutio daret numerum integrum, inter hos vel illos limites contentum etc. Sic v. g. adjicerem conditiones proposito problemati hoc modo: "quinam sunt numeri illi . . . qui tamen sint *integri*, et quorum summa non superet *viginti?*" Responsio determinata esset in promptu: "*hujusmodi numeros esse* 10, et 10."—At hae conditiones non exhibentur a natura Quaestionis, prout haec proposita est: qui illas introduceret, *arbitrarie* ageret, et ad aliud quidpiam, quam ad id, quod quaeritur, responsum daret.

Quamobrem, ut brevius, quae hucusque diximus, colligamus: quando datur Praedicatum et quaeritur Subjectum, vel a)—Haec extrema eamdem habitura sunt *ex suapte natura* extensionem, et tunc transitus fieri potest indifferenter a Subjecto ad Praedicatum, vel e converso. Vel, b)—Duo extrema *diversa* gaudent *extensione*: et tunc nequeunt *per copulam* ad aequalitatem reduci, nisi mutetur ipsorum *comprehensio*, mutando sc: notas, vel proprietates, vel conditiones, quae ipsis tribuuntur. Jam age duplex est Methodus: *analytica* sc: quae id, quod compositum est (sc: subjectum) *resolvit; synthetica* vero, quae id, quod simplex est (praedicatum sc:) *componit.* Prior a *subjecto* (quod in aliqua specie situm esse quaeritur) transit *ad genus*, in quo subjectum illud contine-

tur; posterior a praedicato, quod *per se* ad plures species extendi potest, transit ad *aliquam speciem*, vel subjectum *arbitrarie* determinatum *per adjectionem* alicujus proprietatis, vel notae, quae tamen *ex natura* quaestionis non deducitur. Prior methodus indicat *genus*, in quo certe invenitur species quaesita; posterior vero, inter multas, illam seligit speciem, quae vel nullo modo, vel non nisi fortuito quaestioni propositae satisfacere posset. Prior *solvit* illam quaestionis partem, quae solutionem suscipere potest, illam vero, quae a conditionibus non est data, *insolutam* relinquit; posterior autem divinatur potius, quam certa via aut ordine procedat, et saepe saepius, ubi praesertim de factis agitur, se exponit periculo errandi ex nimio desiderio sciendi, vel investigandi.

Hinc sequitur, quod tametsi utraque Methodus, ad *eamdem conclusionem* perducere possit, facilius tamen ac tutius eo pervenitur per viam *analysis*, quam *synthesis:* facilius namque errare poterit, qui ab *universali*, quam qui a *particulari* initium sumit. Etenim si quis, priusquam rite perspexerit alicujus *speciei*, vel *subjecti* proprietates, *genus* seligere ac determinare voluerit, is profecto, ut plurimum, operam perdet, nec fortasse umquam perveniet ad cognoscendas relationes extremorum, quorum conjunctionem exquirit: nam contingere poterit, ut genus *arbitrarie* determinatum non contineat *speciem*, vel *subjectum*, de quo est quaestio. Sic v. g. si quis ad probandum quod "sanitas sit *expetenda*," hoc principium, a praedicato profectus, assumeret, quod sc: "*expetenda* sit Virtus:" is certe nihil umquam pro solutione suae quaestionis vel *affirmative*, vel *negative*, concluderet. Nam *sanitas* nec sub genere *virtutis*, nec sub genere *vitii* continetur; sed est aliquid *per se* indifferens, quod tam pro virtute, quam pro vitiis inservire poterit, prout bene vel male quis utitur sanitate.—Sic etiam, si quis *a priori*, sine ulla probatione statueret, quaecumque in mundo accidunt phoenomena ex *viribus chimicis* vel *physicis* esse repetenda, ab eoque principio *supposito* profectus ad phoenomena v. g. *vitae* explicanda procederet, is certe numquam ad haec phoenomena, prout experientia nobis illa manifestat, perveniret. Sed de his iterum recurret sermo.—

E contra qui a *subjecto* sumit initium, tutius procedere poterit. Is enim ab investigandis illis subjecti proprietatibus incipiet, quae *sponte* et *facilius* ipsi exhibentur vel experientia suadente, vel facili deductione; ex his *gradatim* ad illas considerandas et

deducendas accedet, quae *magis* reconditae et difficiliores sunt: exinde gradum faciet ad notiones et principia semper universaliora, donec menti occurrat principium aliquod, quod suppeditet praedicatum subjecto conjungendum.—In hoc *analysis processu* numquam labor frustraneus cedet: vel enim obtinetur id, quod intendebatur, quaestionis sc: solutio, vel saltem ratio erit in aperto, seu cognoscetur causa, cur ad optatam solutionem perveniri non potest, nimirum, quia data non fuerit aliqua conditio necessario requisita ad propositae quaestionis solutionem, ex quo fit, ut proposita quaestio sit *ex sua natura* insolubilis. In *Synthetico vero processu*, quando nimirum supponitur quod ignoratur, maximum esse solet incommodum: poterit enim aliquando contingere, ut bene incipiatur stabiliendo fortuito principium aliquod, quod ad solutionem quaesitam perducat; at vero hoc rarissime continget, et non nisi quibusdam viris maximo ingenio praeditis quandoque contingit, ut veluti quadam inspiratione, ut ita dicam, ducti, per *viam synthesis* ad solvendas quaestiones perveniant.—

364. Probatur II. Assertionis pars.—Quando quaestio aliqua *soluta* est, et id unum agitur, ut *inventa* veritas aliis communicetur et suadeatur, *utraque methodo* uti tuto possumus. Nam cognoscimus *utrumque* propositionis probandae *extremum*, Praedicatum sc: et Subjectum: cognoscimus pariter *viam*, qua unum extremorum ad alterum reducitur: hoc solummodo ostendendum remanet, sc: "praedicatum *affirmandum*, vel *negandum* esse de subjecto." Tuto proinde procedemus, sive a consideratione *Subjecti*, sive a consideratione *Praedicati* demonstrationem auspicando: si primum, *Analysim;* si secundum, adhibebimus *Synthesim.* Illa graditur eadem via, quam mens in veritate *invenienda* perlustravit; posterior eamdem percurrit viam, sed ordine inverso: haec *incipit*, ubi analysis *desiit*; et ibi *consistit*, unde analysis *incepit.* Utraque definitiones adhibet, axiomata pro opportunitate proponit, et ad formam syllogismi reduci potest: utraque a *notioribus* incipit, hac unica differentia, quod illa, a quibus incipit analysis, *notiora* sunt, quia clarius ad *comprehensionem subjecti* pertinent; illa vero, a quibus exorditur synthesis, *notiora* sunt, quia clarius sub *praedicati extensione* continentur.

Verum, tametsi utraque methodus sit ad demonstrandum *tuta et utilis*, opportunior tamen erit *Synthetica.* Nam I.—Synthesis, quoniam a notionibus simplicioribus et universalibus initium

sumit, omnium suarum deductionum seriem, uno veluti obtutu, jam ab ipsis initiis contemplandam offert. Exinde consequitur II.)—Quod facilius tota tractatio memoriae retineatur et, quando opus fuerit, aliis communicetur. Haec autem in analysi locum non habent. Hinc semper *synthesim* adhibuerunt in docendo Scholastici Doctores: unde merito haec *methodus Doctrinae*, vel *Disciplinae*, quemadmodum altera *Methodus Inventionis* denominata est.—

Dico IV.—*Ad scientiae acquisitionem tam analysis quam synthesis est necessaria:—ut autem scientia objectivam rerum realitatem nobis manifestet, necessum est, ut analysis synthesi praecedat:—in scientia autem totali tradenda, etsi utraque adhiberi per se possit, synthetica tamen methodus est pro addiscente opportunior.*—

Assertio tres continet partes.

365. Probatur I. pars.—Et primo quidem: Scientia est *cognitio rei per propriam causam* (n. 336). Duo proinde necessario requirit: a)—ut cognoscamus *rei causam:* b)—ut cognoscamus *connexionem* rei cum sua causa, *modumque* quo res a sua causa procedit. Primum praestat *Analysis*, cujus ope, a cognitione effectus ad causae cognitionem assurgimus: secundum praestat *Synthesis*, cujus ope, a causa jam cognita ad effectum descendimus (n. 357.). Ergo ad scientiae acquisitionem non modo *analysis*, sed et *synthesis* est necessaria. Quamobrem *analysis* scientiae *initium*, *synthesis* vero scientiae *perfectio* et *complementum* jure merito nuncupatur. Illa suppeditat *materiam*, unde scientia formari potest, et sic *viam* ad acquisitionem scientiae parat; haec ex principiis deducit, ratiocinationis ope, conclusiones et sic *causat proprie* scientiam eamque ad complementum adducit.—Hinc merito S. Thomas ait: "temporalia et aeterna comparantur ad cognitionem nostram hoc modo, quod unum eorum est medium ad cognoscendum alterum. Nam secundum *viam inventionis*, per res temporales in cognitionem devenimus aeternorum, secundum illud Apostoli (Rom. 1. 20.) *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. In *via* vero *judicii*, per aeterna jam cognita de temporalibus judicamus, et secundum rationes aeternorum de temporalibus judicamus." Quod autem S. Doctor hic dicit de temporalibus respectu aeternorum, dici pariter debet de effectibus

respectu causarum et de cognitione, quam de utrisque habemus. Cf. S. Thomam (Op. super Boet. de Trinitate q. 1. a. 2.)

Secundo.—Methodus ad scientiam *realem* acquirendam suapte natura est ordinata: quoniam vero scientia realis *realitatis expressiva* est (n. 337.), consequenter debet Methodus suppeditare media, quae *per se* sint idonea ad cognitionem, quae perfecte, quoad fieri potest, *ordini reali respondeat*, acquirendam. Jamvero *in ordine reali* invenitur *varietas* et *unitas*, ex quarum conjunctione mundi pulchritudo consurgit: invenitur *varietas* in entium multitudine; invenitur *unitas* in relationibus, quas haec entia sive ad invicem, sive cum suis causis, *efficienti* praesertim et *finali*, habent: ad *varietatem* autem percipiendam, *analysis*, ad *unitatem* vero internoscendam requiritur *Synthesis*. Quamobrem, ut methodus sit *per se idonea* ad acquirendam scientiam, quae *ordini reali respondeat*, necessum est, ut *Synthesis Analysi* conjungatur.

Tertio.—Quemadmodum scientia, ita pariter Methodus, quae ad scientiae acquisitionem ordinatur, debet *naturae* et conditioni *cognoscentis* proportionari. Atqui Mens humana, si consideretur ipsius natura et debilitas luminis intellectualis, quo donatur, non potest plenam capere notitiam rei, nisi illam *in plura distinguat*, et postmodum haec *plura ad unitatem* iterum revocet: *distinctio* autem per *Analysim*, *reductio* vero ad unitatem fit per *Synthesim*. Ergo Methodus proportionata naturae humanae mentis est *analysis synthesi* conjuncta.

Ex dictis colliges errores omnes Materialistarum, et Idealistarum, praesertim Transcendentalium, ex Synthesis vel Analysis exclusione ortum habuisse. Priores enim analysi dumtaxat contenti, synthesim omnem neglexerunt: posteriores synthesi plus aequo insistentes, analysim omnem respuerunt. Illi in factis et experimentis, quae analysi subjiciuntur, materiam deprehendentes, non nisi hanc extare arbitrati sunt; hi vero abstractiones potius, quam res, quae mundum hunc concretum et adspectabilem circumstant, sectati, scientiam quamdam arbitrariam confixerunt, cui vel non respondent facta, vel casu potius, quam certa et immutabili ac necessaria ratione. (n. 363.)

366. Probatur II. Assertionis pars.—Ut scientia *objectivam* rerum realitatem nobis manifestet, Analysis debet Synthesim praecedere. Id constat primo ex dictis. Nam cum in rerum universitate consideranda nobis per se non pateant nisi individua

et composita; qui primum detegere novam veritatem studet, ejusque *scientificam* cognitionem acquirere, is *a concretorum consideratione* examen inchoet necessum est, et quaque versus rem contemplando, diligenter perpendere debet, num consimilis aliqua in omnibus *ratio*, aut *latens elementum* appareat. Quae ubi deprehenderit, poterit postea *per viam synthesis* a causa ad effectum regredi, et sic rei scientificam cognitionem habere: cognoscet scilicet rem, non per causam arbitrariam et hypotheticam, sed *realem*, quae sc: ex observatione rerum procedit.

Secundo.—Idipsum ostendunt principia a quibus in comparanda sibi scientia mens procedit. Hujusmodi namque principia, si spectetur modus, quo acquiri debent, consentire debent cum natura humanae mentis: haec est autem natura humanae mentis, ut ipsius cognitio a sensibus *inchoetur* et ab intellectu *perficiatur.*—Cf. S. Thomam (1. p. 85. q. 1. a.).—Ad rem S. Augustinus. "Mens humana prius haec, quae facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis suae modulo capit, et deinde quaerit eorum causas." (De Gen. ad lit. IV. 31.). Ergo principia, quibus mens nostra ad acquisitionem Scientiae pervenit, primum *experientia,* deinde *ratione* comparantur.

367. Ut autem Analysis ad scientiam *ineundam* juvet, tria necessario requiruntur, sc: accurata *observatio* et *experientia* et legitima *Inductio.* Nam, ut mens perfectam habeat notitiam rerum, quarum causas postmodum inquirere debet, necessum est, ut a)—facta *observet,* prout a natura *sponte* offeruntur: b)—*nova conquirat,* periculum naturae *de industria* instituendo, et compellendo res ad phoenomena exhibenda: c)—ad universales leges, quibus res illae reguntur, vel causas, unde effectus illi proficiscuntur, detegendas progrediatur. Ad primum *Observatio,* ad secundum *Experientia,* ad tertium ordinatur *Inductio.* Ergo haec tria suppetunt media, quibus regi debet *Analysis,* ut *Scientiae initium* suppeditare valeat. De singulis aliquid delibabo.

I.—*Observatio* est: "*immediata* notitia factorum, seu *phoenomenorum,* prout natura *sponte sua* nobis illa exhibet." Haec autem facta vel sunt *interna* (ut puta internae modificationes vel animi, vel conjuncti, quas ope *Conscientiae,* vel *Sensus interni* percipimus), vel *externa* (ut sunt modificationes corporum, quae nos circumstant, quasque *Sensibilitatis ope* attingimus); atque idcirco observatio erit vel *interna,* vel *externa.* Utraque in eo conveniunt, quod

factum, *qua tale*, exhibeant: differunt vero in eo, quod prior (sc: *interna*) clariorem distinctioremque notitiam, quam posterior (sc: *externa*) praebeat, ut per se est manifestum.—

Ut autem observatio recte procedat, servanda sunt tria. Primum: in observationibus peragendis seria et non interrupta abhibeatur attentio, ut nihil, quod ad exactam factorum cognitionem requiritur, omittatur.—Secundum:—Secerni debet objectum, quod observatur, ab iis, quae circumstant; ne forte quod aliunde provenit, ipsi tribuatur.—Tertium:—Ubi autem dilucide perspectum est quid proprie ad objectum pertineat; tum demum plenum et sufficiens casuum peculiarium examen instituendum est, observatioque iteranda, pro rei, de qua agitur, conditione.—

II.—Quemabmodum *Observatio* in factis, prout a natura exhibentur, colligendis examinandisque consistit, ita *Experientia* (vel experimentatio, ut aliis placet) ulterius progrediens, substantias substantiis subdit easque inter se miscet atque ita novos et interdum insolitos effectus, seu *phoenomena*, arte procurat. Ut rite fiat, tria requiri videntur, sc: experimentorum *variatio*, *inversio*, *repetitio*. Et primo quidem *variari* debent experimenta, objecto in diversis conditionibus et adjunctis constituto, ut quaque versus effectus, qui ad ipso prodit, appareat.—Secundo.—Saepenumero experimenta *invertenda* sunt, ut dispiciatur utrumne diverso processu, consimilis aut contrarius obtineatur effectus (nn. 292. 994.) —Tertio.—Sumpta semel experientia *produci* debet, ut constantia phoenomeni dignoscatur; nec non ad res diversas vel consimiles extendenda est, ut manifestum fiat, utrum ab accidentali vel fortuita causa, an vero a communi aliqua lege, vel proprietate effectus fluat.

III.—Ubi certo constiterit phoenomenon constanter et uniformiter rem aliquam comitari, poterit mens *inductionis ope* et *principio analytico causalitatis* innixa, ex constantia et uniformitate effectus *constantem* et *uniformem causam* derivare; ex hac vero *identitatem* naturae, vel legis generalis, qua illa individua fruuntur, vel reguntur, deprehendere; ex identitate demum naturae, vel legis, *universalitatem effectus* deducere et principia scientiarum constabilire, ex iisque conclusiones et consequenter scientiam *realem*, ope Syllogismi, sibi comparare.—Cf. quae supra diximus de Inductione (n. 232.) nec non (n. 334.)—

367. Declaratur III. Assertionis pars.—Ut rite cognoscatur quaenam sit methodus adhibenda in scientiis tradendis, duo sunt

sedulo distinguenda. Vel enim sermo est de ***singulis quaestionibus***, quae ad scientiam aliquam *totalem* (puta Metaphysicam, Mathesim, etc.) veluti partes ad totum, comparantur: vel est sermo de earumdem *ordinatione* et *structura*, qua in *unum quasi totum* conflantur et integram scientiam aliquam *totalem* constituunt.

Si de hac ultima agitur, utilitas addiscentis expostulat, ut *Synthesis* adhibeatur. Ratio est: quia nequit ordo, distinctio et nitor idearum in mente discipuli progigni, nisi quaestiones ita disponantur, ut a generalioribus, simplicioribus, atque ideo *facilioribus*, initium sumatur ex iisque ad magis composita, particularia, atque ideo *difficiliora*, gradatim procedatur. Atqui processus ab *universalioribus* ad *minus universalia*, a *simplicibus* ad *composita* etc: est *Syntheticus*. Ergo in scientiis *totalibus* tradendis *synthetica* methodus est pro addiscente opportunior.

Sin autem de *singulis* quaestionibus agitur, tunc potius spectandum erit, quid cujusque tractandae quaestionis *natura* postulat, habita ratione *ordinis* et *perspicuitatis*. Sunt enim quaedam quaestiones (in *Metaphysica* et *Mathesi* praesertim) quae facile et ordinate per *analysim* tractari possunt, et sic tractatae magis discipulorum animos percellunt et majorem delectationem afferunt; et in hoc casu adhibeatur *Analysis*. Sunt vero aliae quaestiones (in *Logica* praesertim et in *Morali*) quae si analytice tractarentur, in longas ambages Magistrum circumducerent, nec inde satis claritatis et ordinis pro discipulis sperari posset; et tunc ad illas solvendas *Synthesis* magis expediet.

Haec procedendi ratio, quae in forma disciplinae instruenda *synthesim* adhibet, in singulis autem quaestionibus enodandis modo *Analysim*, modo *Synthesim*, pro rei opportunitate et natura, *Methodus mixta* nuncupatur. Ut autem rite adhibeatur, quae sequuntur serventur regulae.

Prima.—Res disceptanda *dilucide* proponatur, ac definitione, quae *nomen* explicet, a caeteris secernatur.

Secunda.—Quaestio *in partes*, quas complectitur, diligenter *distribuatur*: quae vero partes ad quaestionis *Substantiam* non pertinent, resecentur et in alium potius locum, omittantur.

Tertia.—*Minutatim* elementa, quae remanent, consideratione *in partes omnes* versa, *expendantur*.

Quarta.—Ab iis fiat principium, quae *lumen reliquis* afferunt et

generaliores notiones suppeditant. Et *ex fonte proprio*, unde dimanat, objecti notio firmetur.

Quinta.—*Principia*, quae ad considerationem juvandam arcessuntur, *idonea* ad finem sint et *certa:* proinde vel *per se evidentia*, vel jam antea *evidenter demonstrata.*

Conf. Auctorem n. 267.

368. Contra ea, quae supra et potissimum (nn. 365. 366.) diximus, specialis occurrit difficultas hoc in loco solvenda.

Dicet fortasse aliquis.—Si ad scientiam *inveniendam* necessaria est *Analysis*, atque haec Synthesim *praecedat* oportet, et si ad principia scientiarum constabilienda necessaria est *observatio*, *experientia* et *Inductio;* profecto *principia Scientiarum* erunt *a posteriori*, et nulla amplius *scientia a priori* et *propter quid* haberi poterit.—

Respondeo.—Ut haec difficultas apte solvatur, observo I.—Non esse confundenda *principia* scientiarum cum *conclusionibus*, quae ex ipsis derivantur, quaeque *proprie* constituunt scientiam; nec esse confundendam *naturam Principiorum* cum *modo*, quo a nobis eorum *acquiritur cognitio.*—Observo II.—Principia, de quibus est sermo, judiciis contineri. Porro in judicio duo sunt consideranda, *materia* sc: et *forma* (nn. 131. 147.). *Materiam* suppeditant notiones, seu termini. *Forma* vero est relatio identitatis vel diversitatis, quam *copula* exprimit. Jam age, tametsi notionum acquisitio a sensuum experientia pendeat, non tamen *relationum illarum cognitio* in judiciis omnibus, *experientiae ope*, comparatur. Sunt enim judicia quaedam, in quibus praedicata *in ratione subjecti* inveniuntur *sola notionum consideratione*, et idcirco dicuntur esse *de ratione* subjecti: quia nempe vel ejus *essentiam*, vel *partem essentiae* exprimunt, vel *ab ipsa* necessario profluunt. Sunt vero alia judicia, in quibus praedicata, tametsi non sint *de ratione* subjecti, tamen sunt *in notione* subjecti *post experientiam*, quia nempe experientia nobis non modo talia praedicata suppeditavit, sed etiam *conjuncta* esse cum subjecto nobis manifestavit. Hinc vides in hoc secundo, non item in primo casu, intellectum, ut *conjungat* praedicatum cum subjecto, ac proinde *judicet*, inniti necessario debere *experientiae:* atque ideo haec judicia dici *a posteriori*, vel *experimentalia*, illa vero *a priori*, vel *rationalia: forma* enim est, quae judicium *constituit* (nn. 329. seq.).

Ex dictis patet solutio. Et primo quidem ad principia quod

attinet, dico non omnia principia scientiarum esse *a posteriori:* item in principiis analyticis generalissimis, quaeque communia sunt fere omnibus scientiis, requiri tantummodo *per se* experientiam *late* dictam, sc: apprehensionem terminorum, quae sensu *inchoatur,* mente tamen et ratione *perficitur;* in principiis vero propriis scientiarum requiri praeterea, tam in via *inventionis,* quam in via *disciplinae* experientiam *proprie* sumptam et collationem multorum singularium, ut firmus et evidens assensus eorum habeatur. Secundo.—Ad scientiam *propter quid* requiri experientiam, non quidem *ut causam,* sed tantummodo ut *conditionem,*qua *via* ad scientiam *paratur,* ut sc: per ipsam *manuducatur* intellectus ad intelligendas exacte *rationes terminorum* simplicium, quae *materiam* principiorum constituunt; hisce intellectis, Ipse intellectus *naturali lumine suo* videt clare immediatam connexionem eorum inter se, quae est *prima* et *unica ratio* assentiendi ipsis.

Totam hanc doctrinam profunde evolutam invenies apud Suaresium (MM. DD. 1: sec. 5. n. 34.—et sec. 6. nn. 10. seqq.). Placet praecipuam partem, quae principiorum et scientiae acquisitionem respicit, heic transcribere; tum ut complementum eorum, quae supra ac praecipue in Dico IV. et IX. docuimus, habeatur; tum ut plane innotescat nullos melius, exactius ac profundius de Principiis, ac de Methodo, quam Veteres Scholasticos disseruisse.

Itaque

QUAERES I.

Quomodo Scientia propter quid ab experientia causetur?

369. Respondeo.—"Experientia non potest esse *propria* et *per se causa* artis seu scientiae *a priori,* sed est *occasio,* vel *conditio* quaedam necessaria, qua *paratur via* ad scientiam acquirendam. Quod intelligetur facile, advertendo in scientia *duo per se requiri,* sc: veritatem, quae scitur ac demonstratur, quae *conclusio* dicitur; et *principia,* per quae scitur ac demonstratur.—Scientia ergo conclusionis *per se* tantum pendet *ex principiis:* nam cum sit scientia *a priori,* ut diximus, *medium* ex quo per se deducitur, non est experientia, sed *causa ipsius effectus,* quem experimur; unde si principia, quae *causam conclusionis* continent, sciri possent, vel intelligi clare sine experientia, nullo modo *scientia conclusionis* ab experientia penderet. Principiorum autem cognitio evidens,

quae propria illorum est, non ex aliquo medio, sed ex ipso naturali lumine *immediate* nascitur, cognita extremorum significatione, seu ratione. Agimus autem de principiis *primis* et *immediatis*, nam si sint mediata, erunt conclusiones demonstratae, de quibus eadem erit ratio, quae de omnibus aliis veritatibus, quae *a priori* sciuntur.

Igitur nec *immediata* principia per se cognoscuntur per experientiam, tamquam *per proprium medium;* hoc enim modo non cognoscerentur ut principia, sed ut conclusiones *a posteriori* demonstratae et scitae per scientiam *quia;* ut sic autem non possent esse sufficientia ad generandam scientiam *propter quid* conclusionis, quia non potest causa nobiliorem effectum producere, quam ipsa sit. Relinquitur ergo experientiam solum requiri ad scientiam, ut intellectus noster per eam *manuducatur* ad intelligendas exacte *rationes terminorum simplicium*, quibus intellectis, ipse *naturali lumine suo* videt clare *immediatam connexionem* eorum inter se, quae est *prima* et *unica* ratio assentiendi ipsis." Suarez (Met. D. 1. s. 6. n. 26.)—Conf. (nn. 330. seq.)

QUAERES II.

An sine experientia scientia generari possit?

370. Respondet Suaresius l. c. "Quidam sine restrictione et absolute putant experientiam *propriissime* sumptam esse *necessariam* ad scientiam, vel artem *ex parte judicii* principiorum, ita ut numquam sufficiat unius, vel alterius singularis cognitio experimentalis, sed necessarium sit multa experiri et conferre et omnia conformia et sine discrimine reperire. Nam antequam intellectus omnem hanc diligentiam adhibeat, non potest omni certitudine naturali assentire, prout in *primis principiis* necessarium est: quia cum ipsum lumen intellectus nostri sit infirmum et imperfectum, nisi juvetur *experientia*, facile hallucinari potest; sicut e converso ipsa etiam experientia *per se* fallax est, nisi intellectus suo lumine invigilet ad rationes rerum, et connexionem terminorum in se ipsa intuendam. . . . . .

"Nihilominus si de experientia *proprie* dicta sit sermo, mihi videtur *distinctione utendum*, tam *in principiis ipsis*, quam *in modo acquirendi* scientiam. Dixi, de experientia *proprie* dicta . . . quia si generatim agatur de quacumque sensibili cognitione necessaria

ad terminorum apprehensionem et intelligentiam, clarum est hanc esse necessariam ad cognitionem principiorum, quia omnis nostra cognitio a sensu incipit: (haec autem non est *proprie* experientia, quae, ut ex dictis constat,*in judicio,* seu habitu judicativo, consistit: et de hac sine dubio loquutus est Aristoteles 1. Prior. 31.—Lib. 2. c. 23.—1. Poster. c. 14.—11. Post c. ultimo). De hac ergo loquendo, *distinctione* utendum est. Principia enim non omnia sunt aequalia.

I.—Est namque inprimis unum vel alterum generalissimum et notissimum sc: "*Quodlibet est vel non est*"—"*Impossibile est idem simul esse et non esse.*" Et ad haec cognoscenda *nulla* requiritur *experientia,* sed sola terminorum apprehensio, intelligentia, seu explicatio; imo vix possunt illa principia ad *positivam* experientiam reduci. Nam, licet de quocumque singulari possimus experiri, quod sit, tamen quod tunc non careat existentia, non possumus positive experiri distincto experimento ab eo, quo videtur illud esse, sed sola intelligentia id percipitur, explicatis terminis. Et hoc videtur adeo *per se notum,* ut alia probatione non indigeat. Possumus tamen ad majorem explicationem exemplum adhibere: nam si hominem rusticum, qui ob ignorantiam terminorum nescit assentiri illis principiis, velimus inducere ad eorum assensum, nulla certe *nova experientia* utemur, sed solum conabimur ita terminos explicare, ut intelligat rem, quam videt *esse,* non posse absolute *non esse.*

II.—"Praeter haec principia notissima, de quibus vix potest (ut opinor) esse controversia, quin *propriam experientiam non requirant,* sunt alia etiam valde necessaria et communia fere omnibus scientiis, ut v. g. "*Quaecumque sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se:*" et "*omne totum est majus sua parte:*" et "*si ab aequalibus aequalia demas, quae remanent sunt aequalia:*" etc... Et de his *distinguere* oportet, quando horum principiorum notitia acquiritur *inventione,* vel *disciplina.*

Nam a)—in hoc posteriori modo existimo non esse necessariam experientiam *proprie* sumptam, sed supposita illa, quae *ad distinctam notitiam* terminorum satis sit, et explicatis sufficienter per doctrinam rationibus terminorum, absque alia experientia, posse intellectum assentiri suo lumine cum sufficiente evidentia et certitudine. Et ratio est, quia haec, quae requiruntur ad hujusmodi assensum evidentem, sive sit experientia, sive quaecumque

alia terminorum declaratio, non requiruntur ut *formalis ratio assentiendi*, neque etiam ut *principium per se efficiens*, seu eliciens actum assentiendi, sed ut *sufficiens applicatio* objecti (ut supra dictum est). Sed nulla est sufficiens ratio, quae suadeat experientiam *rigorose* sumptam, prout includit multorum singularium intuitionem et collationem et inductionem esse necessariam ad *sufficientem applicationem* horum principiorum, eorumque rationum intelligentiam aptamque compositionem. Cur enim non potest hoc per doctrinam compleri, adhibito ad summum uno alterove exemplo sensibili, quo satis penetrato per intellectum, statim appareat per se evidens veritas Principii? Atque hoc ipsum confirmat experientia: ad admittenda enim haec principia in doctrinis nullus expectat *plurium* singularium *inductionem*, vel *experimentalem* cognitionem, sed facillimo negotio *rationes terminorum* quisque intelligit, et statim illorum veritatem mente intuetur, praeceptoris mediocri diligentia adhibita.

b)—"At vero, qui *sola inventione* scientiam acquirunt, *indigent experientia* ad horum principiorum cognitionem: quia sine illa et sine exteriori adjutorio praeceptoris et doctrinae, non possunt haec *principia satis proponi*, aut *rationes terminorum satis cognosci*, ut illis evidens praebeatur assensus. Atque hoc confirmant testimonia Aristotelis et usus ipse satis id ipsum docet. Ratio autem est: quia nostra *intellectiva cognitio* valde *limitata* est et *imperfecta* nimiumque *a sensu pendet:* et ideo, sine sufficiente adminiculo ejus, non potest cum sufficiente certitudine et firmitate procedere, et inde accidit saepe, ut qui multum de intellectu confidunt, sensum deserentes, facile *in rebus naturalibus errent*, ut adnotavit Aristoteles (8. Phys. c. 3.). Oportet autem hic limitationem adhibere, sc: hoc *regulariter* intelligendum esse. Nam adeo aliquis posset pollere ingenio et tam attente ac considerate rationem *Totius* et *partis* v. g. in uno tantum singulari perpendere, ut veritatem totius principii inde statim eliciat: sicut dicunt Theologi Animam Christi D. N. ex sola efficacia naturalis ingenii, sine speciali adminiculo supernaturali, ex uno phantasmate elicuisse multas veritates vel principia. Quia *medium experientiae* non est tam *per se necessarium*, quin possit aliunde suppleri.

III.—Alia demum sunt principia *particularia* et *propria* Scientiarum, et de his verisimile est *necessariam* esse *experientiam* et *collationem* multorum singularium, ad firmum et evidentem assensum

eorum, non tantum *via inventionis*, quod est notissimum, sed etiam *via disciplinae*, quia rationes terminorum in his principiis non sunt ita notae ac faciles, ut sufficiat quaelibet propositio eorum, nisi is, qui addiscit, eas *conferat* cum singularibus, quae novit, et videat, cum illis et cum omnibus, quae de talibus rebus expertus est, recte consentire: item numquam talia principia *instantiam* (ut dicunt) passa esse. Denique in his tanta fere semper est difficultas, ut vix perveniatur ad assensum proprium principiorum, seu *per se notum* de illis habendum, nisi *inductione* et *notitia a posteriori* sistatur: ergo signum est ad obtinendum assensum evidentem ex ipsorum terminorum rationibus probe cognitis, multam esse *necessariam experientiam; majorem* quidem *via inventionis, aliquam* vero *via disciplinae:* quamvis *pro ingeniorum diversitate* major etiam vel minor sufficiat." Hactenus Suarez, et sic constabilita manet assertio.—

DICO V.—*Ad veritatem autem confirmandam, collustrandam et tuendam, summopere confert Disputatio, dummodo rite peragatur.*—

371. Quemadmodum *Analysis* et *Synthesis* ad veritatem inveniendam et cum aliis communicandam inserviunt, ita *Disputatio* ad ipsam confirmandam, et cum opus fuerit tuendam, natura sua ordinatur. Est autem Disputatio; "argumentio unius ad alterum alicujus finis, seu propositi, ostendendi gratia." Hic finis debet esse *Veritas*, ad quam tripliciter comparari potest *Disputatio*, vel enim, a)—illam *confirmare* et suadere *directe* intendit; vel, b)—illam *indirecte probare* assumit, contradictoriae, vel contrariae propositionis falsitatem ostendendo; vel demum, c)—illam *tuetur*, oppugnantium tela disjiciens. Disputatio, quae pro fine habet veritatis *confirmationem directam, Apodictica:* quae vero pro fine habet *adversae propositionis confutationem, Elenctica:* quae demum pro fine habet *veritatem impugnatam tueri, Apologetica* nuncupatur.

De his satis superque de argumentatione sive *formaliter*, sive *materialiter* inspecta agentes, disseruimus. Heic unum vel alterum adnotabo.

372. Primum.—Qui disputationem *apodicticam*, seu probativam, instituit, debet et ipse clare et distincte, quod probandum assumit, *intelligere*, et accurate *proponere* et declarare, terminos, quando opus fuerit, *definiendo;* limites, intra quos assertio conti-

netur, *constabiliendo;* atque ea, quae supponi debent, in memoriam *revocando* (n. 300.): quod si thesis probanda pluribus constet partibus, divisione peracta, singulas probet.—Qui vero Disputationem *Elencticam* aggreditur, probe intelligat propositionem refutandam illamque fideliter referat; ac dein singula argumenta subruat, vel ostendendo in iis *consequentiam desiderari;* vel *praemissas* argumentorum *refutando;* vel *earum sensum distinguendo* et simul probando quinam *verus* earum sensus sit, quinam *falsus*, *ex vero* autem propositum adversarii non colligi.—Qui demum disputationem *apologeticam* peragit, is argumenta ab adversariis contra suam thesim opposita ad examen revocet, et nullam habere vim ostendat.

373. Secundum.—Tam in *probando*, quam in *refutando*, vel *defendendo*, argumentis sive *directis*, sive *indirectis* uti fas erit. Argumenta *directa* idonea sunt ad conclusionem probandam *per se* et independenter ab alio medio; *indirecta* vero *per se* idonea non sunt ad illam colligendam, sed potius ostendunt aliud, ex quo vel conclusio probanda colligi poterit, vel saltem quo ejusdem refutatio obtunditur.

Hujusmodi argumenta indirecta haec sunt: a)–Argumentum *ex absurdo:* b)—Argumentum *negativum:* c)—*Instantia;* d)—Argumentum *ad hominem:* e)—*Retorsio* argumenti: f)—*Inversio* argumenti: g)—Argumentum *per distractionem;* h)—Argumentum *ad ignorantiam, invidiam* et *verecundiam.* De singulis pauca.

a)—Et primo quidem argumentum *ex absurdo* habetur, quando thesim nostram colligimus ex absurditatibus, quae ipsius negationem sequerentur. (n. 305.)

b)—Argumentum *negativum* profertur, quando pro sententia aliqua probanda nullum quidem adhibetur probationis *medium*, at simul affirmatur nullum pro ipsius contradictoria proferri posse argumentum: quo fit, ut adversarius ad aliquid, si quid habet, proponendum provocetur, et totum probandi onus in ipsum rejiciatur. Huc spectant argumentationes hujuscemodi. "*Omnibus perpensis, nulla in hac sententia apparet contradictio:* ergo *est possibilis.*"—"*Nulla hujus rei assignari potest causa;* ergo *non datur.*"—"*Hoc gratis asseritur;* ergo *impune negatur.*"—"*Nulla hujus rei est necessitas:* ergo *non datur.*"—"*Qui de hac re loqui potuissent et debuissent, non sunt loquuti;* ergo *res non videtur credibilis:*" et alia id genus.—

c)—*Instantia* affertur, quando impugnatur propositionis alicujus *universalitas*, afferendo vel *experientiam contrariam*, vel *casum aliquem peculiarem*, in quo illa propositio non verificatur. Huc etiam referri potest illa arguendi ratio, qua ostenditur in argumento adversarii *formam desiderari*, transferendo hanc formam *in aliam materiam*, in qua fiat evidens, argumentum allatum non esse *formaliter* rectum (n. 215.).

d)—Argumentamur *ad hominem* quotiescumque ex principiis adversarii, ceteroquin dubiis vel falsis, quae tamen ut certa vel vera ab ipso assumuntur, nostram colligimus sententiam: et sic cogimur adversarium vel ad *nostram sententiam admittendam*, vel *ad sua principia rejicienda.*

e)—*Retorsio* argumenti fit quando adversarius cogitur ad suum ipse solvendum argumentum. Id autem continget cum *ex principiis* ipsius, vel *ex conclusione* ab ipso admissa inferimus, vel falsum esse, quod ipse verum putat, vel verum esse, quod ipse falsum existimat; vel demum aliquid, quod ipsi non arridet. Exempla Retorsionis habes in Auctore (nn. 92. et 175.)—Cf. etiam Matt. XXII. vv. 42.—46.

f)—Argumenti *Inversio* habetur, cum ex *medio* adhibito ab adversario ad suam thesim defendendam, vel nostram impugnandam, colligimus vel thesim nostram, quam ille impugnare vult, vel contrarium ejus, quod ipse defendit. Inversionem a Chananaea muliere Servator noster benigne acceptavit, seu potius, ut mulieris fidem probaret et manifestam faceret, occasionem illi obtulit hanc inversionem adhibendi, aspera illa et apparenter dura negatione: "*non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus*:" cui Chananaea submisse respondit: "*Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.*"—Matt. XV. 25. 27.—Cf. etiam Joan. c. IX. vv. 24. ad 34.

g)—Argumentamur *per distractionem*, quando, praetermissa responsione ad argumentum, vel interrogationem adversarii, avertimus ipsum ad explicandum aliquid, quod ipse nescit, aut non vult explicare; atque ita tacite vel aperte concludimus, mirum non esse, si et nos responsum ipsi non demus. Exempla hujus generis passim in Evangelio prostant: hac argumentandi ratione saepissime usus est Christus Dominus ad retundendam pervicaciam Scribarum et Pharisaeorum induratum habentium cor. Sic v. g. quadam vice cum hi interrogassent Christum: "in qua *potestate* haec

(signa) facis?" Christus respondit: *interrogabo vos et ego unum sermonem.... Baptismus Joannis erat de coelo, an ex hominibus?*... "At illi, subjungit Evangelista, cogitabant inter se dicentes: si dixerimus: *E coelo:* dicet nobis: quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus: *Ex hominibus*; timemus turbam; omnes enim habebant Joannem ut Prophetam. Et respondentes Jesu dixerunt; nescimus. Ait illis et Ipse: nec ego dico vobis, in qua potestate haec facio." Matt. c. XXI. w. 25. 26. 27.

h)—Arguimus demum *ad ignorantiam*, vel *invidiam*, vel *verecundiam*, quando vel adversarium lacessimus ad nostra solvenda argumenta, et ad meliora proferenda; vel ex doctrinis adversarii deducendo consectaria, quae ipsum risui vel odio exponunt: vel quando adversarium tanto auctoritatis pondere opprimere aggredimur, ita nostrae sententiae firmitatem extollendo, ut qui ipsi contradicit, tamquam stultus vel ineptus habeatur. Ab his argumentis, quantum fieri poterit, abstinendum erit, neque his indiget *sapiens veritatis inquisitor.*—

374. *Disputatio* duorum ex una parte *elenctica, apologetica* ex altera, *concertatio scientifica*, seu *circulus* audit, et *proprie dicta* disputatio est. Eaque triplici forma peragi potest, *communi* sc: *Socratica, Scholastica.* Habetur *prima*, quando sequimur liberum disserendi modum, prout in ordinaria loquendi ratione fieri assolet. Habetur *secunda*, quando quis interrogationibus apte dispositis et sibi ordine succedentibus sensim sine sensu adversarium adducit, vel ad veritatem, quam impugnat, vel ad falsitatem rei, quam propugnat, agnoscendam. Habetur *tertia*, quando et qui impugnat thesim et qui illam defendit perpetua et severa *Syllogismi*, vel quando opus est, *enthymematis* forma argumentantur. Haec ultima forma duabus praecedentibus praestat: tum quia facilior et accomodatior est ad *Disputationis finem* obtinendum: tum quia opportunior est ad colligendos *Disputationis fructus:* tum demum quia aptior est ad *praecavenda vitia*, quae in aliis disputandi formis irrepere solent. Quamobrem constanter adhibita fuit in *Scholis* et hodiedum adhuc usurpatur et usurpari debet. Ut autem rite adhibeatur, quaedam ab illo, qui thesim defendit, quaedam vero ab illo, qui thesim impugnat, praestanda erunt, eaque desumam ex P. Tongiorgi, qui nitide de hac re disserit (lib. IV. c. 4. a. 7.).

375. I.—*Munia Defendentis.*—"Qui thesim defendit, audito opponentis argumento, totum *semel* repetat quam fidelissime, nullis adhibitis animadversionibus. Regrediatur deinde ad argumenti initium, et de toto argumento ac de singulis propositionibus judicet. Si in argumento *consequentia* desideratur, *omittat judicare* de praemissis et *consequentiam neget.* Si vero argumentandi *recta* sit *forma*, de singulis judicet propositionibus: *concedat* veram, *neget* falsam simpliciter, nec rationem addat negationis; onus enim probandi incumbit adversario: quae ad rem non facit, *transmittat*, ut assumatur tamquam concessa: si qua demum propositio sit ambigua, eam *distinguat*, concedens sensum propositionis verum, et negans falsum. Quod si unum vel alterum distinctionis membrum aliquam adhuc offerat ambiguitatem, adhibeat *subdistinctionem.*—Datam distinctionem, nisi clarissima sit, declarabit et confirmabit. Si eum adversarius de quopiam interrogabit, repetat interrogationem semel atque iterum, ac respondeat, sive affirmando, sive negando, sive permittendo, sive distinguendo." Tria hic adnotanda veniunt.

Primum est.—Ambiguitas propositionis tum in *medio termino*, tum *in extremorum altero* latere potest. Si ambiguitas latet *in medio termino*, distinguenda est tum *Propositio*, tum *Assumptio*, atque ita ut quod negatur in *majori*, affirmetur in *minori*, et vicissim: et postea neganda erit simpliciter *consequentia.* Sit exemplum.

> Notio *exhibens aliquid, quod dicitur de pluribus*, est universalis:
> Atqui notio collectiva *exhibet aliquid, quod dicitur de pluribus;*
> Ergo notio collectiva est universalis.

Defendens resumat argumentum et hoc modo distinguat.

Distinguo Majorem. "Notio exhibens aliquid, quod dicitur de pluribus *distributive*, est notio universalis;" *Concedo Majorem.* "Notio exhibens aliquid, quod dicitur de pluribus *simul sumptis* est universalis." *Nego Majorem.*

Contradistinguo minorem.—Notio collectiva exhibet aliquid, quod dicitur de pluribus *simul sumptis.*" *Concedo minorem.* "Notio collectiva .... *distributive sumptis.*" *Nego minorem.*

Ergo etc: *Nego consequentiam.*

Si vero ambiguitas latet in altero extremorum, tunc distinguenda erit *praemissa*, in qua illud invenitur: concedenda altera; et

distinguendum *consequens*; et *concedenda* erit *consequentia* secundum eum sensum conclusionis, qui conceditur, *neganda* vero secundum eum sensum, qui negatur. Sit exemplum.

> *Actus, quam Voluntas impedire nequit*, est necessarius:
>
> Atqui assensus legitimae conclusioni est *actus, quem voluntas impedire potest:*
>
> Ergo assensus legitimae conclusioni non est *necessarius*.

Respondebit Defendens. *Concedo Majorem,—Distinguo minorem*. . . . . "Quando veritas non est evidens." . . . . . . *Conc. Min.* "Secus . . . . . *nego min.*—Et distinguet eodem modo *Consequens*.

Secundum est.—*Subdistinctio* modo cadit in illum terminum, in quem cadit *distinctio:* modo in alium. Hoc postremum si contingat, *distinctio* prima erit applicanda, ubi redit primus terminus, secunda ubi alter. Exempla invenies passim in Auctore.

Tertium est.—Quandoque negandum occurrit in aliqua propositione *Suppositum:* i. e. aliquid, quod aperte vel occulte assumitur ab adversario, tamquam Subjecto conveniens. Ex. g. si adversarius dicat: "*Deus, cum esse coepit, fuit infinitus:*" supponit aperte Deum aliquando coepisse. Si quis vero dicat: "*circulus quadratus est miraculorum maximum:*" supponit occulte *Circulum quadratum* esse *possibilem*.—

376. *Munia Oppugnantis.*—Qui thesim impugnat, probe apud se determinato quaestionis statu, argumentum ita proponat, ut conclusio ejus sit propositae theseos *contradictoria:* quando vero id postulet veritas, thesi *contrariam* opponere poterit. Attendat post haec ad Defendentis responsionem: si *consequentiam* ille aut aliquam propositionem negaverit, ea erit probanda: si vero *distinctionem* adhibuerit, instaurandum erit argumentum, quod faciet vel a)—*impugnando* ipsam *distinctionem:* vel b)—*impugnando* distinctionis *applicationem:* vel demum c)—*Probando Consequentiam.*

a)—*Impugnabit distinctionem* hoc modo:

> "*Atqui sive veritas praemissarum sit dubia sive manifesta, semper assensus legitimae conclusioni impediri potest a voluntate. Ergo nulla distinctio.*"

b)—*Impugnabit applicationem* distinctionis hoc modo:

> "*Atqui assensus, tametsi sit evidens, impediri potest a voluntate. Ergo stat difficultas.*

c)—*Probabit consequentiam* hoc modo:

{ "*Assensus, juxta te, non est necessarius quando veritas praemissarum est dubia. Atqui semper est dubia. Ergo assensus numquam est necessarius.*"

Antecedens praecedentium argumentationum dici solet *Minor subsumpta: subsumpta* quidem; quia argumentum resumit; *minor* vero, quia majorem conditionalem supponit.

Notet insuper Arguens I.—Si quando disjunctiva negetur, licere sibi ab adversario *medium* petere, nimirum, ut assignet membrum disjunctivae addendum, ut enumeratio sit completa.—II.—Si adversarius neget universalem conclusionem, quae, *inductionis* ope, collecta fuerit, petendum ab eo est, ut afferat aliquid ad quod conclusio illa non se extendat: hoc vocant *petere instantiam.* —III.—Medium terminum temere ne immûtet, sed illum retineat, quamdiu negata cum concessis eam connexionem habent, ut his positis, illa quoque cum verisimilitudine inferri possint. *Mutatur* autem *medius* terminus, vel *non probando,* quod negatum est; vel *non instaurando* argumentum distinctione disjectum. Quum vero difficultas soluta fuerit, ne urgeat cavillando, sed vel alium assumat *medium,* vel quae illi supersunt argumenta *extra forman* exponat. Haec de Disputatione dicta sufficiat: usus te plura docebit.—

Atque ita hanc ultimam Logicae partem, quam sub S. Josephi ac S. P. Ignatii patrocinio tractandam suscepimus, finiendo, ad optatam jamdiu Logicae totius metam et complementum pervenimus. Nil aliud mihi praestandum nunc remanet nisi vos rogare, fratres charissimi, in quorum utilitatem hoc munus ab obedientia mihi commissum suscepi, ut haec praecepta ad praxim deducatis, et una mecum gratias ex corde agatis Deo Optimo Maximo, a Quo omne *datum optimum* et *donum perfectum* est; Qui initium, progressum et terminum dedit, Cui sit honor et gloria in saecula.

Die S. Josepho sacra anno 1874.

INDEX GENERALIS

LOGICÆ

DEFINITIO—OBJECTUM—PARTITIO—

PRIMA PARS

DE PRIMA MENTIS OPERATIONE

PARS II.

DE SECUNDA MENTIS OPERATIONE

CAPUT I.

CAPUT II.

PARS III.

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

INDEX SPECIALIS.

LOGICAE SYNOPSIS.

PARS I.

DE PRIMA MENTIS OPERATIONE.

---

*The references on the right are to pages, those on the left, to paragraphs.

QUAESTIO I.

DE CONCEPTU, SEU TERMINO MENTALI.

QUAESTIO II.

DE TERMINO ORALI.

QUAESTIO III.

DE TERMINORUM PARTITIONIBUS.

QUAESTIO IV.

DE UNIVERSALIBUS.

ARTICULUS I.

DE UNIVERSALI IN GENERE.

ARTICULUS II.

DE PRAEDICABILIBUS.

ARTICULUS III.

DE PRAEDICAMENTIS.

§ I.

DE PRAEDICAMENTO SUBSTANTIAE.

§ II.

DE PRAEDICAMENTO QUANTITATIS.

§ III.

DE PRAEDICAMENTO AD ALIQUID.

§ IV.

DE PRAEDICAMENTO QUALITATIS.

§ V.

DE PRAEDICAMENTIS ACTIONIS ET PASSIONIS.

PARS II.

DE SECUNDA MENTIS OPERATIONE.

CAPUT II.

DE SIGNO JUDICII.

QUAESTIO I.

DE ENUNCIATIONIS NATURA.

QUAESTIO III.

DE PROPOSITIONUM PROPRIETATIBUS.

PARS III.

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE.

CAPUT I.

DE RATIOCINIO IN SE SPECTATO.

CAPUT II.

DE RATIOCINII SIGNO.

QUAESTIO I.

DE CONSEQUENTIA.

QUAESTIO II.

DE ARGUMENTATIONE FORMALITER SPECTATA.

ARTICULUS I.

DE PRAESTANTIA SYLLOGISMI.

ARTICULUS II.

DE SYLLOGISMI STRUCTURA.

ARTICULUS III.

DE SYLLOGISMO SIMPLICI ET COMPOSITO.

ARTICULUS IV.

DE SYLLOGISMI LEGIBUS.

ARTICULUS V.

DE FIGURIS ET MODIS.

QUAESTIO III.

DE ARGUMENTATIONE MATERIALITER SPECTATA.

ARTICULUS I.

DE ARGUMENTIONE SOPHISTICA.

§ III.

DE SOPHISMATUM SOLUTIONE.

ARTICULUS II.

DE ARGUMENTATIONE PROBABILI.

§ I.

DE LOCIS INSITIS, QUAE SIGNIFICANT IDIPSUM, EX QUO DESUMUNTUR.

§ II.

DE LOCIS, QUI DESUMUNTUR EX HIS, QUAE CUM RE SUNT CONJUNCTA.

CAPUT III.

DE METHODO.

ERRATA.

PAG.	LIN.	ERRATA.	CORRIGE.
16	12	numeres	numerus
30	4	ad	ab
39	31	ὑπομείμενον	ὑποχείμενον
50	37	namquam	numquam
51	34	uon	non
55	24	cognoscatnr	cognoscatur
60	3	. . . . . . Deest	*Sapientia*, *Scientia*
64	18	effeetus	effectus
65	21	ad eo	ab eo
68	20	paoprie	proprie
77	5	qualitaeis	qualitatis
82	35	*copulativa*, copulativus	*collectiva*, copulatus
84	6	qro	pro
"	7	ad ea	ab ea
85	17	quod	quoad
92	10	quatuplici	quotuplici
93	31	immeditae	immediatae
94	15	paredicatur	praedicatur
95	12	quatuplice	quotuplici
"	30	demostrandum	demonstrandum
103	34	bebet	debet
104	8	differentialum	differentialium
107	7	Psycologiam	Psychologiam
113	1	Judica	Judicia
140	37	I.	O
163	25	incurruptibilis	incorruptibilis
176	35	necessaaio	necessario
178	15	illa bonum	illi
181	6	dilemna	dilemma
185	26	constants	constans
188	17	exprimunt	exprimant
192	3	conditio nati	conditionati
195	34	couclusionis	conclusionis
200	24	asfirmativa	affirmativa
208	21	verietas	varietas
224	31	ομονγμια	ὁμωνυμία
228	4	langam	longam
228	22	subdule	subdole
230	14	extraneam	extraneum
234	24	τον	του
238	3	nodos	modos

PAG.	LIN.	ERRATA.	CORRIGE.
240	fin	sun	sunt
256	23	diximns	diximus
267	14	mente	menti
278	16	ad	ab
304	30	transripsimus	transcripsimus
306	1	CAPUT I.	CAPUT III.
307	28	continentur;	continentur,
308	fin	formalae	formulae
310	9	damma	damna
313	20	compositionem	comprehensionem
320	12	quemabmodum	quemadmodum
"	23	994	294
vi	n. 57	create	createe
viii	n. 82.	pundat	fundat
xi	l. 7	Mataphysici	Metaphysici
xiii	n. 135	Camprehensionem	Comprehensionem